BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIV
C
47
NAPOLI


Calabrò

XXIV C 47

Digitized by Google

XXIV C 47

Google



h

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" - NAPOLI

Digitized by Google

PETRI POIRET
DE
ERUDITIONE
SOLIDA, SUPERFICIARIA, ET FALSA,
LIBRI TRES.

In quibus
Oſtenſa Veritatum ſolidarum via & origine,
Cognitionum Scientiarumque Humanarum, & in ſpecie

CARTESIANISMI,

Fundamenta, valor, defectus & errores deteguntur.

Præmittitur Tractatus.

De Vera Methodo inveniendi verum,

Confutationem fundamentorum libri Belgici de *Mundo faſcinato* in fine obiter exhibens.

Subnectuntur nonnulla APOLOGETICA.

AMSTELODAMI,
Apud ANDREAM PETRI, 1692.
Proſtant in Officina Wetſteniana.

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

Google

Digitized by Google

AD
LECTOREM
BENEVOLUM.

POſtquam ante aliquot annos tractatum de ERUDITIONE pollicitus ſum, idem mihi fere accidit ac Carteſio, qui librum ejuſdem argumenti aggreſſus, eum non perfecit, forte nec inceperat. Et ille quidem ob principiorum ſuorum inſufficientiam (ut ſic dicam) ab opere ejuſmodi non poterat non abſtinere. Ego vero ob rationes à Lectorum parte deſumendas, & alicubi dicendas, laborem inceptum interrumpere & premere decreveram, niſi crebris amicorum inſtantiis, quando poſt partem primam libri primi per triennium & ultra ab opere ceſſaveram, illud ut reſumerem abſolveremque impulſus fuiſſem noviſſime. Inde ergo

nunc prodeunt qualeſcunque vides, Lector, *de* ERUDITIONE *ſolida, ſuperficiaria & falſa* LIBRI TRES, in quibus deprehendes rem cognitionum & ſcientiarum non declamatorio modo tractari, ſed philoſophico & per principia deduci. Præmiſi Tractatum de *Vera* METHODO *inveniendi verum*, qui cum omnium ultimo compoſitu s ſit, & ſurperpondii loco poſſit haberi, non miraberis ſi in libris ſequentibus de quibusdam ſic agitur, ac ſi de iis nil dictum fuiſſet prius, de quibus tamen actum eſt in hoc tractatu, cujus rationem dicet ipſiuſmet Exordium. Libri PRIMI contenta ſi ſublimiora aut abſtractiora videantur, ſolida tamen eſſe, eademque, ſi ad ea penetraveris, omnium quam maxime radicalia & fœcunda principia complecti, deprehendes vividius: poſt quæ in SECUNDO detegere poteris (abſit dicto jactantia!) penitius quam quidem hactenus ſit factum, humanarum

cogni-

cognitionum & ſcientiarum fundamenta, valorem & defectus; in TERTIO autem earundem errores: & hæc quidem non tantum generaliori modo ibi tractantur; ſed & plura ex præcipuis in ſpecie commemorantur, inter quæ, omiſſis infinitis variorum philoſophantium nugamentis, ne quidem recenſione dignis, id honoris *Carteſianiſmo* delatum eſt, ut ejus opiniones propius conſiderare & examinare duxerim operæ eſſe pretium. De APOLOGETICIS, præmonui initio eorum, cur adjecta ſint; & ex ſequentium *Indicum* exhibitione, opera data eſt ut omnium quæ toto opere tractantur argumentorum conſpectus & ſeries brevibus exponi poſſet, in quibus niſi tanta tamque multiplex materiarum præſtantiſſimarum & exquiſitarum, quæ illic contineri & explicari indicantur, varietas curioſitatem tuam, Lector, ſciendique deſiderium vel delectent, vel alliciant, haud ſane is fueris qui

magno ſciendi ardore percitus haberi poſſis.

Cæterum opus eſſe arbitror, ut unam atque alteram nonnullis conquerendi anſam hic tollam, inter quas eam, quæ ſtylum concernere poſſet, minimè numerabo; ſiquidem quid de fucandis verbis ſentiam, ſuo loco videbitur. Sed cauſabitur quis forte, primum quidem multa, quæ non paucis æſtimabilia cenſentur, vilius ac par eſt a me contemni. Ad quod reſpondeo, nil eorum quæ ſcientias concernunt, a me ita contemni, quin ſi quædam horum in me ſint, ea prius in me (quod utique mihi licet) deſpiciam; quæ ipſa etiam ſolidiorum æternorumque reſpectu ita contemptibilia ſunt, ut conceptis Dei verbis in Scriptura S. dicantur meræ vanitates, idola, ſtultitiæ, imo & ſtercora. Cur ergo non liceret ea parvi facere, abuſum eorum ſi conſideremus, quando nempe aut ſola curantur, neglectis cæteris; aut ſolidioribus vixdum

dum obiter curatis, ipſa ſolent præponi?

At magis forte diſplicebit quibuſdam, opiniones aliorum, quæ interdum examinantur, in partem quæ ſequior apparet, ſumi, vel abſurdis maliſve conſequentiis nimium aggravari, aut non laudatis appellari titulis. Optarent nonnulli, plus æquo indulgentiores, omnia in benignam partem trahi & boni conſuli; quibus ego libens concedam modum illum agendi, quem improbant, a malignitate poſſe produci: at quin idem a charitate atque a neceſſitate provenire queat, ipſi, attente ſi rem conſiderent, fateri utique cogentur; & eum adeo juxta legem ſuam, in bonam partem potius quam in malam interpretari debebunt. Dantur enim interdum, ac ſæpius quidem quam optandum eſſet, errores ita pernicioſi, & quorum ſequelæ adeo ſunt noxiæ, ut quotquot ſe iis patiuntur perſuaderi, ad privationem æternam omnis lumi-

nis & boni paulatim modoque inſenſibili abducantur, qualis v. g. error ille eſt, quo interna Dei in animis operatio negatur, & quo uni rationis corruptæ activitati ſuperſtruuntur omnia. Qui tamen errores, omnium malorum fontes, ob tenebras & corruptionem rationis, non agnoſcuntur quales ſunt, cum noxiis conſequentiis ſuis, ab eis qui illos producunt vel tuentur, neque a plurimis qui eos ex auctoribus ſuis legunt & amplectuntur: auctores ſiquidem ipſi eos potius nituntur tanquam probabiles aut veros multis argumentis proponere, nec non iſtiuſmodi artibus & ornamentis induere, quibus tanquam veritates quam maxime gratæ & delectabiles a lectoribus admittantur, tametſi æternæ veritatis lumen, amorem, ſuique ſanandorum curam, ipſamque adeo beatitudinem inde ſint amiſſuri, niſi hinc dum tempus eſt revocentur: quo quidem eos illinc revocandi officio, evidens eſt nil charita-

tati magis eſſe congruum; prout e contra nil eſſet crudelius, quam in periculoſo ejuſmodi ſtatu homines vel ſilentio, vel dulcibus & benignis commentariolis confirmare. Itaque ſi quis hoc in caſu prodat, ornamenta verborum, quibus opiniones noxiæ incruſtantur, fucos eſſe; tum argumenta quibus nituntur, ſophiſmata; ex erroneis opinionibus conſequi ea quæ ſaluti animæ Deique cognitioni & amori adverſentur; ſique hæc omnia, ut ficus ficus, ſic proprio nomine a malâ arboris & fructuum natura appellentur, quo homines, his cognitis, ab æterni exitii periculo liberari aut præmuniri poſſint; neſcio ſane an in omni genere officiorum detur quicquam præſtantius atque utilius. Qui hæc mecum non fatebuntur, eos ad res æternas obduruiſſe & ſenſu divino carere oportet. Equidem nil, quoad me, novi melius, quam ab ejuſmodi erroribus, dum tempus eſt, revocari: quapropter ſi accidat me hîc

ejuſmodi nonnullorum errores detegere, quia id ex charitate velim fieri & amore, quo errantes inde liberari opto, ſperem eorum in me animum potius gratum fore quam offenſum. Neque propterea eos præ me minoris æſtimo quod in erroribus ipſos eſſe judicem, me (eo reſpectu) in veritate. Eſt veritas, in quocunque ſit, gratuitum Patris luminum donum, ob quod nemo magis gloriari poſſit quam corpus opacum de affuſo ſibi lumine: & accidit ſæpe, eos, qui prius aliis veritatem recepêre, eandem etiam prius aliis violare agnitam: quo pacto deteriores iis fiunt qui eam, quippe nondum agnitam, nondum etiam tam indigno & contumelioſo modo potuerunt offendere. Idcirco ſi qui ſe errorum argui per me putent, velim credant, ſe mihi a me in animo meo præponi, & meliores exiſtimari; meque optare, ea mens mihi ut ſemper remaneat.

Quod autem nominibus propriis non-

nonnulli ſint in ejuſmodi elenchis deſignati, ideo factum eſt, quod errores momentoſi non pauci cum ſæpe recipiantur, aut ut probabiles opiniones conſiderentur, ob nomen celebris alicujus Auctoris vel libri, cui etiam multi implicite credere volunt antequam ejus mentem ſciant explicite; neceſſe ſit, hoc fulcrum ut corruat, ejuſmodi errores non generalius tantum, ſed & addito nomine auctoris ſui confutari; non ut hic infametur; ſed ne ſub nominis auctoritate errori, animabus noxio, ſerpendi detur locus, utque ſciatur librorum, qui multis nocuerunt, errores alicubi eſſe deletos. Quod præprimis non poteſt non eſſe æquiſſimum quando res agitur cum iis veritatis aggreſſoribus aut irriſoribus, qui nominatim eos, quorum ope vera publicata ſunt, ideo ſunt aggreſſi, quod ſuis, quos tecte inſinuare volebant, erroribus adverſentur: tunc enim eos & refelli poſſe, & nominari, & cauſas veras in-

ſenſi animi (errores ipſorum amatos) declarari, quis prohibeat? Charitas quidem non permittit ut proximi defectus recenſeantur cum gaudio & irriſione, aut eo fine & modo unde odioſus aliis reddatur: at quemadmodum quando conducit aliquem de morbo corporeo convinci, non idcirco exponi cenſetur odio hominum; ſed potius eorum commiſerationi & precibus; ita etiam eſt de erroribus noxiis, qui ſunt morbi animarum: compaſſio & ſanitatis vota erga ejuſmodi ægros ſic poſſunt in animis aliorum excitari, quibus ad ſanitatem adjuvari queant: ad quam cum aliquando redeunt, eo major eſt lætitiæ atque dilectionis erga eos dilatatio, quo major erat ipſorum morbus, qui ſtatim atque ſerio agnitus eſt, protinus nullus eſt, nec amplius ad eos pertinet: ſunt namque errores talis naturæ, ut ſtatim atque eos ex animo improbat qui eis infectus eſt, ejus eſſe deſinant; quapropter etiam non amplius poſſunt

ei

ei exprobrari ut ipſius; ſed habendus is eſt tanquam qui eos nunquam habuiſſet. Quâ de cauſa lætabor, ſi per ejuſmodi errorum, qui hic (in fine præſertim operis) indicantur, renunciationem, (ſi ſperanda ſit) poſſim quæcunque de his dicta ſunt, aliquando pro indictis habere & haberi velle; atque deinceps veritatem in charitate cum quibuſvis colere. Quodſi tamen nonnullis videar durius interdum egiſſe alicubi; id, ſi ita placeat, meæ imputent infirmitati, quæ non potuit adverſantium irriſorum ideam ſine alicujus interdum indignationis motu diutius (quod in ſcribendo fieri debet) præ oculis habere: pro quo meo defectu, veluti animæ meæ morbo, nec non ob alios meos infinitos, optent mihi & Deum propitiabilem, & ab eodem vim omnia mala, dum tempus eſt, emendandi, quod etiam omnibus opto ex animo, ut quamdiu hic vivitur, hoc eſt, quamdiu in ſtatu ſumus nos

in

in formas malo oppoſitas immutandi & refingendi, nec coctorum vaſorum inſtar adhuc ſumus inflexiles, ei operæ gnaviter benedicente Deo incumbamus.

Udum & molle lutum es: nunc, nunc properandus, & acri
Fingendus ſine fine rota.

Supereſt Lectores rogem, ut ſphalmata, quæ frequentius ac optaſſem, commiſſa ſunt, dum liber in loco unde aberam imprimebatur ex apographo, cui ultimam non potui adhibere manum, neque ejus impreſſionis ſpecimina videre, æquo mecum tolerent animo, nec dedignentur antequam ad lectionem ſe accingant, eis corrigendis ſemihorulam impendere, ne dictorum ſenſus vel nullus vel abſurdus appareat. Minutula, quæ nulla difficultate agnoſci poſſunt, ex ſe quidem facile animadvertent: quæ momentoſiora ſunt, ex appoſito *Erratorum* Indice emendabunt, ſi placet, ac præterea verba

ba illa Libri III. pag. 262. quæ parentheſi includuntur, (*quod, ni fallor, in tornandis vitris a Carteſio non prævi∫um, ejus omnes machinas reddidit ineptas*) vel delebunt omnino, vel pro *non præviſum* legent *non proviſum ſatis*: præviderat enim incommodum, ut ex Dioptrices capite ultimo §. 7. videre eſt; at ei non ſufficienter proviſum fuiſſe, eventus palam exhibuit.

EXPLICATIO TABULÆ

Libri titulo præfixæ, Eruditionis triplicis imaginem repræſentantis,

Ad SPECTATOREM.

Securus Eruditionis qui cupis
Inire ſemitam, viarum quas petis
Hic indicem ducemque tabulam videns,
Attende muta quæ loquatur pagina:
Caverna multis quam tenebris obſitam
Tantâ celebrem conſpicis frequentiâ,
Hæc ERUDITIONIS *eſt* FALSÆ *domus,*
Præjudiciorum tecta denſis nebulis,
Queis faſcinati, qui videntur, hoſpites
Omnes ad unum turgidas vento levi
Conflare bullas vel docentur vel docent.
Cave librorum ne ſtrues fucum tibi
Titulis ſuperbis faciat, aut te ſchematum
Contagioſa faſcinent præſtigia.
Nil hic latet quàm quæſtionum putidæ
Spinæ, & chimæræ ſomniorum, quæ fere
Minus juvant aranearum ſtamine,
Ovisque vel ſerpentis haud minus nocent.
Abrupta quæ ſequuntur montis ardui
Sterilisque, vix uni vel alteri gradu
Tentata dubio, (namque & in præceps ruunt,
Abyſſus ingens & ruentes excipit)
Provinciam ſcias SUPERFICIARIÆ
Eſſe ERUDITIONIS, *inviam nimis,*

Pau-

Pauciſſimisque vix celebratam libris.
Hic picta tantùm Veritas acquiritur,
Quam radiolis a Sole per nubeculas
Adſperſa Ratio adumbrat ideis ſuis.
Hinc Solis umbram vivido ſine lumine
Tantum gerit, nec frœna vel virgam tenet
Imbellis, animos nec coercens, nec regens.
Hac vero quanto dignior nubes procul
Transvecta, cuboque inſidens immobilis
In monte læto apparet ERUDITIO
SOLIDA, *rudes quæ ſola mentes perpolit!*
Perenne cujus poſſidens Solis jubar
Auguſta nil ſinit latere dextera,
Longæque noctis dira ſolvit vincula:
Siniſtra vero frœna virgamque afferens
Animoſa corda temperat feliciter,
Pedesque dirigit Salutis in viam.
Ad hanc, procul poſt ſe relictis omnibus,
Juvenis Viator, nudus a præjudiciis,
Solus licet, nec obrutus libris, gradû
Votisque ſeriis anhelat, impiger.
Nec fallet illum ſpes: profanos nam quidem
A monte murus arcet; at fideliter
Pulſantibus tandem patebit janua;
Qui ſic refecti fructibus montis ſacri
Læta deinceps verticem aſcendant viâ,
Ferantque digna pro labore præmia.

Viro

Viro Eruditiſſimo

PETRO POIRET

S. P. D.

Iterumque, ut ſubſequentem Oden, in Veritatis animique grati teſtimonium, ſuis de ERUDITIONE *libris adjungere dignetur, ipſum rogat.*

G. v. E.

VElles ergo, Vir integerrime, ita mea me concepiſſe verba, nequis ex illis ſenſus elici poſſet vel tibi minime gratus, vel a mente mea quam longiſſime forte alienus. Et ego profectò idem tecum deſiderarem, niſi ex innumeris ſibi ipſis, aliiſque contradicentium Theologaſtrorum colloquiis ſcriptiſque perquam manifeſtum foret, ipſa Dei Verba, & quæ Sapientiſſimus ejus Spiritus humano generi gratificatus eſt ſcripta, omnium quidem maximè huic malo expoſita eſſe: utpote quæ ab omnibus ferè, tam publicè quam privatim, peſſime ſoleant detorqueri. Attamen ut pro humaniſſimo tuo deſiderio, quantum potis ſum, impediam ne quis, Veritatem nondum ut decet aſſecutus, eive malevolè etiam inimicus, è non ſatis com-

moda interpretatione verſiculi, (quo *Virum* te dixi *omnibus nunquam nimis laudandum Eruditis*;) præ invidia vel ignorantia, crucem ſibi malumve quærat, aut inveniat; palam profiteor atque proteſtor me profundiſſimam quidem hactenus in ſcriptis tuis animadvertiſſe Eruditionem; puriorisque Metaphyſices, Ethices, Politices, ut & Phyſices, omniumque ſcientiarum principia ſolidiſſima ſimul & fertiliſſima: imò in illis, præſertim in OECONOMIA tua DIVINA, non tantum reperiſſe me claram diſtinctamque veræ Religionis ideam; ſed & exactiſſimas atque pleniſſimas deciſiones intricatiſſimarum quarumvis controverſiarum; quibus dirimendis vel maximorum Theologorum ingenuiſſimus quiſque ſeſe longe imparem ſponte ſemper faſſus eſt. (a) Quibus addo, innumeris memet ipſum & quotidianis admodum experimentis compertum habere, adeo perſpicua adeoque fœcunda eſſe *Oeconomiæ* illa tuæ principia, ut nullus queam dubitare quin quivis, bona mente non nimium deſtitutus, illorum auxilio admodum facile ſibi ſolvere, penituſque tollere poſſit omnes omnino quæſtio-

(a) Quales ſunt quæſtiones illæ de S. S. Trinitate, de Providentia Dei, de Peccato, de Libero arbitrio, de Prædeſtinatione, &c.

ſtiones difficultateſque, quæ vel unquam de rebus Theologicis, Fideive, inter homines motæ fuere, vel etiamnum forte moveri poſſent. Quamvis igitur non ſine cauſa videri poſſem Virum te appellaſſe, qui non tantum digniſſimus ſit qui a doctiſſimo quoque commendetur; verùm etiam, cujus prædicandis pro merito laudibus ne omnes quidem Eruditi pares unquam futuri ſint; (Hæc enim forſitan in foro Soli, ubi *humana* fere ſemper prædominatur *Veritas*, locum ſibi vendicaret interpretatio;) Palam tamen, inquam, proteſtor alium longe verborum meorum eſſe ſenſum; atque etiam talem, cujus ipſiſſima (niſi fallor,) verborum conceptio non ſuperficiarium lectorem manifeſte ſatis admonere apta ſit; nimirum, Te Virum non eſſe, quem Eruditorum quiſpiam (etiamſi omnes doctrina antecelleres,) multum unquam debeat laudare. Siquis autem interpretationem hanc minus congruam, minuſque metro dignam exiſtimet; ejuſmodi tamen non ideo minus Chriſtianum decere, taleſque fortaſſis ſolas in foro Poli (ubi *Divina* tantùm *Veritas* imperium obtinet) admittendas eſſe, à temet ipſo, Vir Humaniſſime, jam dudum edoctum me ſciat:

Nem-

Nempe, creaturis, noſti, quantum ipſe C R E A T O R (a)
Præſtet; & hoc coram quantula res homo *ſit.*
Scis bene, quam recte moneant, divinior *unquam*
Spiritus *haud vanè queis ſapere alta dedit:*
OMNE, *ſuum* Nihilo *dedit omne; hinc &* Nihil, OMNI
Omne etiam nihilum debet, & omne, ſuum. (b)
Sic illi dixere: horum tamen optima doctos
Cernimus haud rarò ſenſa latere viros.
Scilicet hinc diſcant, verborum quiſque ſuorum
Optimus interpres quam ſit, & haud alius;
Atque adeo Sacri *ſi quis velit intima noſſe*
Codicis, *à ſolo hæc ſæpe petenda* D E O. (c)
Negligit hæc quiſquis proprio, ridetque, ſuperbit (d)
Ingenio, & populum peſſima quæque docet.
Hinc illæ lites, quas per tot ſæcula mundus
Suſtinet: hinc Verum *(proh dolor!) exul agit.*
Tollere ut has pergis, Falſum *fugit: in ſua* Verum
Et, poſtliminio jura redire facis.
Ergò dicans tibi me Veroque, *remuneret ut te*
Ille, cui ſoli (e) gloria danda, *precor.*

Hagæ-Comitis
Kal. Octob.
cIↄ. Iↄc. xcI.

Æternùm tibi divinctiſſimus
G. V. E W Y C K. J. U. D.

(a) OEcon. Creat. c. II.
(b) Deus a ſe ipſo, & in ſe ipſo perfectiſſimum *Totum* eſt, omniſque boni (in creaturis) cauſa. 1. Cor. XV. 28. & XII. 6. Jacob. I, 17. Rom. XI, 36.
Homo à ſe *Nihil* eſt, nulliuſque (in ſe, aliiſve creaturis) boni cauſa. Gal. VI, 3. 2 Cor. XII, 11. 1 Cor. XV, 10. & III, 7. 2 Cor. III, 5. Videſis Oecon. Creat. c. IV. Cogit. Rat. l. 3. c. 13. §. 28 & 29.
(c) 2 Petr. I, 19, 20, 21. Jac. I, 5.
(d) Prov. III, 5.
(e) Oecon. Creat. cap. VIII. §. 3 & 4. Cogit. Ration. l. 4. c. 5. §. 12 & 13.

Ad

CLARISSIMUM VIRUM
PETRUM POIRET;

Cum in publicum daret ſuos

De Eruditione Solidâ, Superficiariâ, & Falſâ,

Libros

Non omnibus forte placituros:

Ille namque hodiè longe plurimus vivit, ſibi ſuiſque plaudens,
Qui, niſi quod ipſe facit, cogitat, approbat,
Nihil rectum, verum, bonum, putat.

O D E.

QUærenda VERI principia optima
JUSTIQUE quondam, omniſque ſcientiæ
Deſiderandæ, in Cogitatis
Carteſii Hobbeſiique duxi.
Verùm, *Eruditis* VIR *nimis omnibus*
Laudande nunquam, dum tua ſedulus
Evolvo ſcripta, erraſſe & ipſum
Carteſium Hobbeſiumque vidi.
Hic, tollit: *Ille*, ignorat amabile
Vitæ beatæ principium unicum,
Feliciores nos ſtatim omnes,
Mens niſi læva foret, daturum.
Eò colendam quiſque ſcientiam
Plùs clamitat, nos quò indubiè & facit
Beatiores & tuetur
Utile dum ſibi *dulce* jungit.

At

At quæ (ſtupendum!) hæc *ars*, *ſtudiumque* ſit
Præ cæteris quod præſtet id optimè,
Indoctus omnis atque doctus
Æquè hodiè dubium fatetur.
Hinc turba tot diverſa ſequentium
Timens & *optans*, innumerabilis;
Contenta nunquam, & pœnitendis
Mox aliis agitanda votis.
Sic quiſque manes jam patimur ſuos.
Sed nos docendo, *Candide*, vindicas
Quis *eruditus*, quis *beatus*
Veridico queat ore dici?
O ter beatum! JUSTITIAM BONUS (a)
VERAXQUE *ſervans* qui *didicit* piâ,
Fortunâ in omni, mente *amare*;
Magnanimum ut decet & fidelem.
Qui vitam, *Amico ut proſit*, & omnia
Edoctus audax ſpernere, prævio
Confidit *Illi*, his ſempiterna
Omnipotens bona qui reſervat.
Præcepta *Amoris* fac, DEUS, impleam!
Sit mentis hæc una ambitio meæ;
Hinc *uſque* AMICI *effata* SUMMI
Da *mediter*, *imiterque facta*.
Sic *eruditus*, pectore candido
Omnes *amabo*, TE ſuper omnia
O VERITAS! ô PURI AMORIS
JUSTITIÆQUE *imitanda* VIRTUS!

Dabam Hagæ-Comitis
Anno,
A mundi Salvatore e
benedicta Virgine nato, 1691.

Amor & Divina Voluntas
Quo nos cunque trahunt retrahuntque, ſequamur.

* . *

Ad

(a) Videſis Cogit. Ration. ſecundæ editionis pag. 251. & ſeqq. ubi de S. S. Trinitate.

Ad Reverendum & Eruditiſſimum

DN. PETRUM POIRET,

De ERUDITIONE *ſolidè ac eruditè ſcribentem.*

UNa breviſque via eſt, Doctrinam ex Fonte petendi,
Una breviſque licet ſit via, nota parum eſt.
Nota parum, ſed trita minus, ſatis eſſe putatur
Ad rivos variis ire redire viis.
Nec mirum infelix ſi paſſim exuberet Error:
Quid Verum invito quærere Fonte juvat?
Rectiùs iſta doces quî dedoceantur, Amice,
Lectorique unum hoc & breve pandis iter.
Pandis idemque præis, præeuntem ut rite ſequantur
Ad meliora quibus fertur anhela ſitis.
Queis deguſtatis dabitur diſcernere, quanto
Puriùs ex ipſo Fonte bibantur aquæ.

Amſtelodami. d. 4. Dec. ClƆ IƆc xcI.

JUSTUS SCHRADER. Med. D.

In

In

Clariſſimi Domini

POIRETI

Libros de Eruditione, Methodumque inveniendi Verum.

ERgóne tandem quid ſit Eruditio,
Quidve valeant Scientiæ, videbimus,
Viæque, quæ ſint Veritatis: qua ſine
Nunquam quieſcet mentis ardor anxius?
At at nimis plerique ab ipſo limine
Erramus, à Ratione quærentes malis
Noſtris medelam, quæ gravantur ſic magis.
Namque illa, quicquid ſe valere ſomniet,
Morbo gravi correpta languet, impotens
Sanare ſemet & nihil certi ferens,
Nugas tot inter, queis onuſtum dat caput,
Præter figuras atque numeros. Hæc tamen
Idola mente culta devotâ & mihi
Fuêre, cùm lubuit *Matheſin abditam*
Adire, SPECIOSAMQUE ſacro nomine
(Cujus, ferunt, arcana virtus mentibus
Erroris excutit tenebras) ALGEBRAM.
Sed quicquid hiſce temporis diu datum,
Næ perditum fuiſſe dicerem; niſi
Vel hac mihi conſtaret experientiâ,
Feliciori quod patet compendio
Ex hiſce paginis, Amice, quàm viâ
Aliâ ſolidior ſit petenda Veritas:
A qua profectò tortuoſis tot nodis
Ambagibuſque mens aberrat longiùs.
Vos ergo nunc valete bullæ ſplendidæ,
Numeri quadrati, cubici, multanguli:
Rectæque, curvarúmque claſſes cum ſuis

Locis, cerebroſæque tot myſteria
Subtilitatis, cujus inter plurima,
Vir Docte, quæ brevi libro compleĉteris
Laborioſæ quò valerent næniæ,
Non paſſus es latere Lectorem tuum.
Faxit Deus, ne ſolidiora quæ doces
Tantùm otioſis imbibantur auribus
Oculiſve, ſed recocta ritè cordibus
In intimis Æternitatis omnibus
Fiant beatæ fructuoſa germina!

P. J. H. J. B. P.

Ad Reverendum Clariſſimumque Virum

Dn. PETRUM POIRET,

Cum Libros de Eruditione Methodumque inveniendi Verum ederet.

SCripta quæ nobis dediſti, Docte Vir, quidni colam,
Æſtimemque quovis auri cariora pondere?
Scripta quorum occaſione cœperam cognoſcere,
Quid lupinis æra diſtent, quid Superficiariâ
Litteraturâ Solidior præſtet Eruditio,
Aut Polymathias inanis apparatu ſplendido.
Hæc ſacrum mentita nomen Veritatis nos quidem
Glandibus diu repavit, quotquot ad Scientias
Litteraſque humanitatis aut Sophorum tradita
Impotens curioſitatis æſtus ablegaverat.
Quin & abſtractæ (minoribus relictis) juſſerat
Initiarier Matheſeos & interioribus
Algebræ quondam ſacris, qua propitiante plurimos
Improbo videas labore cuncta (ſi Diis placet)

Et

Et ſacrata cum profanis velle ſubjici ſibi,
Præferentibus facem quos vulgus ipſi Vindices
Et Statores Veritati cœlitus datos putant.
Aſt ad hanc quid conferant quæ non niſi ſuperbiæ
Ac amori proprio carniſve deſideriis
Serviuns; tumidaque mentem vanitate diſtrahunt?
Quàm pol iſtis digniora & tuta, quæ mihi Deus
In tuis deinde ſcriptis obtulit: queis intima
Gratiæ principia Naturæque vera ſemina
Sic recludis, utriuſque ſicque leges & vias
Pandis, ut ſincera mens perculſa vivo lumine
Veritatis Solidioris, non queat non unice
Intimis ad hanc ſequendam pertrahi præcordiis.
Inde quantum Vanitatis, quæ ferat pericula
Noſſe cœpi, Æternitati quicquid haud impenditur,
Nec rudes cœleſtibus conſortiis animos parat.
Hincque nil moras juvabat nectere, aut erroribus
Quos amaveram tenendis uſque cauſas quærere,
Nec licebat vel volenti memet intus fallere,
Conſcientiâ palam clamante, me eſſe conditum
Ad ſuperna, non ad alta ſeculi ſubſellia
Aut honores comparandos, cœca vel ſuffragia
Plebis, aut caduca quævis aucupanda commoda.
O mihi ſi ſeriò licuiſſet his tunc obſequi
Vocibus, vel nunc liceret, quando eas in intimis
Rurſus innovat meis hæc, Erudite Vir, tua
Eruditione Commentatio de triplici!
Fructuoſam quam benignus faxit in multis Deus
Qui creaturis ſuis non velle non poteſt bene,
Quas ſuæ ſimiles imagini creavit, ſingulas
Totius Divinitatis ut bearet gaudiis:
Quique ſe calamitatis perditis ſocium dedit,
(Mira vis Amoris!) ipſe carne tectus fragili
A periculis ut exitialibus reduceret
Noſque aberrantes Supernæ Veritati redderet.

AD EUNDEM.

POIRETUS *per anagramma* PIUS ORET.

QUicunque inſcitiæ cupit tenebris
Solvi, ſit PIUS & fidelis ORET;
Hæc eſt unica diſciplina Veri,
Dudum moribus obſoleta noſtris,
Dudumque obruta temporum tenebris:
Scripto & nomine quam doces, Amice,
Quam ſic aſſeris, Eruditionis
Ut qui ſub ſpecie latebat error
Poſſit fallere non niſi volentes.

F. O. H. J. C.

CON-

CONSPECTUS & SERIES MATERIARUM TRACTATUS

DE VERA METHODO INVENIENDI VERUM.

Tractatus hujus ratio, ſcopus & diviſio. pag. 3

§. 1.

Pars prima SEX *Methodi ad Veritatem leges, obſervatis multis expoſitas, continens.*

I. (1) Regula prima ſive Cognitum primum. *Ad veritatem detegendam ordinem ſervandum eſſe*, eoque violato omnis generis incommoda & inconcinna ſequi. 5

II. In quibus maxime ordo ſit ſervandus. 6

III. Philoſophorum contra ordinem erratum primum fons cæterorum. 6

IV. (2) Regula altera ſive Cognitum alterum: *Mentem ſinceram eſſe debere* nec doloſe ſecum agentem. 7

V. Fraudes quædam mentis occultiſſimæ eæque veritati adverſiſſimæ deteguntur. 7

In his *erratum* alterum capitale, veritati viam præcludens conſiſtere. 8

VI. Vera ſinceritas quæ? 10

VII. (3) Tertia veræ Methodi lex, ſive tertium Cognitum: *Quemlibet incipere a ſe & in ſe ipſo.* 11

De aliis non tantum non cogendis ſed nec convincendis adeo curandum eſſe. 12

VIII. Maxime ubi ii ſunt minus ſinceri, & vero ſponte delirant. 12

IX. Male Carteſium duxiſſe in principio Philoſophiæ opus eſſe convincere Scepticos. 13

X. Id nocuiſſe & Philoſophiæ ipſi;& diſcipulis ejus *errati* inſignis anſam dediſſe. 14

XI. Quomodo cuique in ſe quærenda Veritas.

Exempla & criteria veritatum primarum & proximarum. 16

XII. A ſe ſeu a ſui conſcientia & ſenſu qui incipit ordine & ſincere philoſophari, cum convinci ſe eſſe rem cogitantem, deſiderandi, intelligendi, acquieſcendi, libere ſe determinandi facultatibus præditam, unitam corpori, cui multa alia adſunt corpora eam per ſuum afficientia. 16

XIII. Deinde eundem ex ſenſu intimo ante omnem aliam demonſtrationem, convinci de Deì exſiſtentia 17

XIV. Aliorum de Deo exſiſtente dubitationes noſtram non labefactare inconcuſſam certitudinem. 18

XV. Illis non hic ſed ſuo ordine & loco eſſe ſatis faciendum. 19

XVI Carteſii & ſuorum *erratum*, dum velocius quam par eſt, ubi vix quædam generalia de Mente & Deo ſuo more demonſtrarunt, provolant ad ſpecialiora & phyſica, ingenti prætermiſſo hiatu. 20

XVII Carteſii & ſuorum in inquiſitione veri triplex incogitantia plurium erratorum cauſa. 1. primum quodvis criterium arripiunt.: 2. Veri fontem dum nec ſatis norunt nec prope ſunt: 3. nec attendunt ſuæ facultates utrum in bono ſint ſtatu an ſecus. 20

XVIII. Obſervationes ad ſequentia.

Veritatem primo recte diſtingui in materialem & mentalem. 21

In utroque genere dari veritates bonas, malas, & futiles atque vanas. 22

XIX Veritas mentalis & afficientiæ quæ? 23

XX. Veritates has in tres ſpecies diſtingui:

1. in reales ſpirituales.

2. in reales corporeas.

3. in

3. in pictas umbratileſque.
Singularum exempla dantur. 23
XXI. Tribus hiſce veritatum generibus reſpondere tria facultatum in homine genera.
1. Intellectum paſſivum.
2. Senſus corporeos.
3. Rationem ſive intellectum activum. 25
XXII. Quibus etiam terna reſpondent lumina.
1. Divinum.
2. Naturale externum.
3. Lumen umbratile rationis. 26
XXIII. Ad Criteria veritatum prænotanda quædam.
1. De veritatum in generales & ſpeciales diviſione. 26
2. De certitudine & incremento evidentiæ. 27
3. De evidentia perceptionis objecti, qua afficientis vel qua talis naturæ. 27
4 De evidentia poſſeſſionis ſive CRITERIO veri; & reflexionis ſive cognitionis iſtius criterii. 27
XXIV. Dari ſex criteriorum veri ſpecies.
1. Prima Criterii ſpecies, de veritatibus generalioribus ſpiritualibus realibusque. 28
XXV. 2. Secunda criterii ſpecies, de veritatibus ſpecialioribus ſpiritualibus realibusque. 29
XXVI. 3. Tertii generis criterium, de generalioribus veritatibus corporeis realibusque. 30
XXVII. 4. Criterium quartæ ſpeciei, de veritatibus ſpecialioribus corporeis realibusque. 30
XXVIII. 5. Quintum Criterium, de veritatibus umbratilibus generalioribus. 31
XXIX. 6. Sextum criterium, de veritatibus idealibus ſpecialioribus. 31
XXX. Non tam de ipſis criteriis, quam de non examinandis aut de non tractandis unius generis veritatibus per criteria aliarum, eſſe laborandum. 32

Mathematicos & Carteſianos quandoque hic peccare. 34
XXXI. Erratum quoddam ex Mathematicis comparationibus oriundum & præcavendum. 35
Ex ideis aut criterio veri mathematici, non poſſe oſtendi rerum naturæ ideas poſſideri. 35
XXXII. Matheſis plus ignorantiæ involvit quàm cognitionis. 37
XXXIII. Quæſtio capitalis: Quomodo quis ſciet evidentiam & verum criterium adeſſe ſuis cogitatis: Aut, ſi putet adeſſe, & tamen fallatur, errorem ſuum deteget? 38
XXXIV. Ob *duos defectus* inſignes homines de veritate eſſe incertos. 39
1. Defectus primus, AVERSIO & abalienatio a fonte omnis luminis Deo. 39
2. Defectus alter, corruptio facultatum mentis atque adeo rationis. 40
XXXV. Corruptio facultatum rationiſque revelatione ſepoſita evincitur. 41
1. Experientia idque modis quatuor.
2. Demonſtrative & a priori evincitur facultatum corruptio a cauſa efficiente in homine actuata quinque modis. 42
XXXVI. Ex juſtitia Dei ſequi abſentiam luminis in homine, nec non ejus ineptitudinem ad veritatem. 44
XXXVII. Obex Veritati acquirendæ obductus & hiatus ingens a Philoſophis diſſimulatus, conſtans ſex aliis craſſis eorum *erratis* præcipuis. 44
XXXVIII. (4) Quarta veræ Methodi Regula: *Agnoſcendam eſſe unicuique corruptionem ſuam*, unde a veritate alienus & ad omne falſum & malum proclivis eſt. 46
XXXIX. Philoſophorum Gentilium errores unde. 46
XL. Corruptionem hanc non Theologiam modo, ſed & Philoſophiam ſpectare. 47

XLI. Corruptionem non eſſe tantùm in abuſu facultatum, quæ in ſe ſint illæſæ: ſed eam ipſis facultatibus inhærere & inhabitare. 50

XLII. Quid ſit corruptio facultatum, præſertim intellectus atque rationis indicatur nomine.

Et re per quoſdam veluti aphoriſmos. 51

XLIII. De intellectûs natura & corruptione Aphoriſmi duodecim. 51

) 1. 2. 3. 4. 5. 6. Intellectum factum eſſe ad aſſumendum duobus modis omnium rerum formas, paſſivitate & activate. 52

XLIV. 7. De transformatione reali intellectus in divinas formas. 53

Eum hic, excepto oblationis ſuæ actu, mere paſſivum eſſe. 54

XLV. 8. De transformatione reali intellectus animalis in formas naturales ſenſibiles. 54

Eum hic, excepto actu oblationis organorum, mere paſſivum eſſe. 55

XLVI. 9. De transformatione umbratili intellectus ſive rationis humanæ in pictas rerum icones ſeu formas.

Eum hic ſe active habere. 55

XLVII. 10. Ad transformationem activam intellectus ſive uſum rationis conditiones aliquot ut bene ſe gerat. 56

XLVIII. 11. De habitudine libertatis, deſiderii & acquieſcentiæ ad intellectum, ut bene ſe habeat. 57

XLIX. 12. Lapſus & corruptio intellectus rationisque humanæ. 59

L. Carteſii Meditationem quartam hinc multorum erratorum falſorumque convinci. 63

Error quî fiat, & quæ ejus forma 63

LI. Aliud capitale Philoſophorum erratum. 67

LII. (5) Methodi veræ lex *quinta* cum errato capitali ei oppoſito. 67

LIII. Ad reſtitutionem facultatum & intellectus in integrum

grum duo prænotanda. 68
LIV. Quomodo ex divino præſcripto intellectui rationisque morbo ſit medendum. 68
LV. Intellectus æger, petulans & delirus, vix ac ne vix quidem de ſe ſanando vult audire quicquam. 70
LVI. (6) Sexta veræ Methodi lex *de medio ſanationis* proximo: cum errato oppoſito. 71
LVII. Nil ultra hæc ad generalia Methodi requiſita poſtulari poſſe. Tranſitus ad ſequentia. 72

PARS ALTERA.

Ubi variæ quæſtiones & difficultates de intellectus impotentia, quiete, paſſivitate, de Dei in illo actione & lumine, deque ejus ſtatu diviniori & medio ad illum proximo enodantur.

I. *De impotentia intellectus.*

Quæſtiones variæ de intellectu.
1. Cur tam impotens dicatur, cum in eo plurimæ innaſcantur veritates? 73
2. Cur intellectus non amittat aptitudinem cognoſcendi veritates mathematicas: amittat autem aptitudinem cognoſcendi divinas ſibi magis congruas? 75
3. Unde conſtat intellectum activum ſeu rationem eſſe facultatem ſuperficiariam ſeu acceſſoriam. 78

II. *De quiete intellectus activi ſeu Rationis.*

Quid ſit quies intellectus, & an ſit poſſibilis? 79
Activitatem bonam quandoque frangendam: & media ad hoc. 80

III. *De paſſivitate hominis ejuſque facultatum.*

1. Quid magis obtineat in homine: activitas an paſſivitas. 82
Status activitatis per ſe quis? 83
2. Quibus magis perficiamur: actione an paſſione? Felicitatem & perfectionem ſolidam in paſſione conſiſtere, ſed admitti actione in paſſionem terminata. 85

Acti-

Activitate ſola damnationem effici. 86
Ad perfectionem acceſſoriam nos itidem paſſive nos habere: 87
3. Unde conſtet mentem habere hac in vita facultatem ratione recta majorem ad cognoſcendum Deum. 90
De multiplici horum experientia & unde deſumenda. 91
Ex naturalibus id etiam patere. 92
4. Quia ratione conſtant, quæ & aliis facultatibus; annon hæ ſuperfluæ ſaltem in hac vita? 94

IV. De actione, ſive operatione Dei in homine.

1. An Deus in anima corrupta poſſit operari? 95
2. An velit in ea operari? 96
Naturam creationis & reſtaurationis noſtræ involvere Dei internam operationem. 97
Comparatione illuſtratur operatio Dei interna. 98
3. Etſi Deus in anima agat, non ſtatim ideo illa ſit luminoſa & beata. 99

V. De lumine Dei in homine.

1. An lumen Dei ſit diſtinctum a lumine aut ideis rationis? An ratio ſit illius capax?
Carteſii locus de lumine Dei. 102
Ideam Dei e ratione non eſſe lumen Dei directum. 105
Rationem luminis divini intimioris non eſſe capacem. 106
2. De amiſſione luminis divini præ lumine rationis. 106
3. An ad reſtitutionem luminis rationis requiritur præcedanea divini luminis reſtitutio? 108
4. An lumine Dei detur magis frui poſſe cum ratione quam ſine illa; an ſecus. 108
Non requiri abſolutam rationis rejectionem.
Non ſtatim adeſſe ſperatum Dei lumen. 109
Quid ſi rectus rationis uſus? 111

Duo concludenda ſimili explicantur. 112

(1) Animam majoris luminis eſſe capacem per Deum quam per rationem. 113

(2) Quo magis rationem relinquit, eo eſt capacior divini luminis, & contra. 114

5. Certitudo luminis divini omni alia certudine major. 115

6. De illuſionibus circa lumen divinum: pro bene diſpoſitis nullas eſſe, ſed certitudinem infallibilem. 117

Illuſiones unde procedant? 119

Cur vis divini luminis ſit in tam paucis & tam rara? 119

VI. De ſtatu ſupernaturali mentis.

Naturam noſtram ad ſupernaturalia eſſe factam, atque ad ea debere adſpirare. 122

VII. De deſiderio ut medio ad obtinenda divina.

Deſideria non eſſe inefficacia.

Deſideria eſſe media ad facultatum reſtitutionem & impletionem recipiendam. 125

Precum ad veritatis poſſeſſionem obtinendam neceſſitas utilitaſque, & earum ratio. 127

Ad reſtitutionem & conſervationem facultatum deſideria eſſe ſæpius exercenda. 128

PARS TERTIA.

Ob neglectum ſuperiorum regularum Carteſium cum ſuis in multa incidiſſe errata, quorum aliquot in illius Methodo & Meditationibus, in horum autem opinionibus nonnullis deteguntur.

I Regularum ſex Methodi præcedentis utilitas præ quibuſdam aliis. 130

II. Sphalmata in regulis Methodi Carteſianæ, earumque non obſervatione.

In prima.

In ſecunda. 131

In

In tertia.
In quarta. 132
III. Sine legibus præcedentibus nec dari aditum ad poſſeſſionem veri: nec caveri poſſe a falſo. 133
IV. Sphalmata non pauca in Meditationibus Carteſii ob eas neglectas. 134
V. Sphalmata Meditationis primæ Carteſii. 135
VI. Sphalmata Meditationis ſecundæ. 136
VII. Sphalmata Meditationis tertiæ Carteſii.
Dari vias meliores exiſtentiæ Dei demonſtrandæ eis quas Carteſius omnibus prætulit & quibus uſus eſt. 137
VIII. Prænotata quædam ad exiſtentiam Dei ſolidius demonſtrandam atque fecit Carteſius.
Primum, de potentia affectionum mentis. 138
Secundum, eas vim majorem habere & eſſe potentiores in paſſivis quam in activis.
Tertium, de vi remiſſa atque impotentia earum in activis præ paſſivis. 139
Quartum, Argumenta ex activis minus efficacia debere eſſe quam ex paſſivis. 140
IX. Demonſtratio prima Carteſianis melior de Dei exiſtentia vividis effectibus in paſſivis facultatibus ſupremis potentiſſime percipienda. 141
X. Demonſtratio altera, quæ eſt præcedentis gradus multo adhuc altior. 142
XI. Tertium exiſtentiæ Dei argumentum ex facultatum paſſivarum capacitate ipſa. 143
XII. Quarta de exiſtentia Dei ex rebus corporeis demonſtratio Carteſianis præſtantior. 143
XIII. Quinta demonſtratio Carteſianas ſuperans, ex facultate activa libertatis. 145
XIV. Poſt has demonſtrationes ſequi demum eas quas Carteſius ex activa facultate rationis ejuſque actibus & ideis deſumſit. 145
Error Carteſii circa concurſum Dei. 146

XV. Sphalmata Meditationis quartæ Carteſii. 148
XVI. Sphalmata Meditationis quintæ. 149
XVII. Sphalmata Meditationis ſextæ Carteſii. 150
XVIII. Plura errata & perniencioſiora a non paucis Carteſianis commiſſa eſſe & committi quam a Carteſio, ob neglectum verarum regularum. 152
XIX. Exempla horum,
1. in Spinoſiſtis, contra quos demonſtratur obiter libertas.
2. in Malebranchiſtis.
3. in Pajoniſtis
4. in iis qui Scripturam S. ad ideas rationis interpretari volunt. 153
XX. Exemplum noviſſimum pernicioſiſſimi *errati* ab intellectu ægro, per pravas vias gradientis admiſſi, in libro *mundus faſcinatus*. 156
XXI. Principia quibus mens bene diſpoſita, memorati libri fundamenta & errores evertat 158
XXII. Pravitas methodi qua is liber Scripturas S. ei adverſantes, explicat & pervertit. 163
XXIII. Objectiunculæ libri circa potentiam & miracula Diaboli, quî ſint ſubvertendæ. 164
XXIV. Continuantur nonnulla ad everſionem prætextuum objectorum in dicto libro. 167
XXV. Quanta ſint pericula tentationum Diabolicarum, nec non doctrinæ eas cum Diabolo ſubtegentis. 175
XXVI. Tanguntur adhuc nonnullæ oblocutiones & contradictiones in eodem opere: & concluditur. 179

CON-

CONTENTA & SERIES
MATERIARUM
in libris de ERUDITIONE *contentarum.*

LIBRI PRIMI PARS I.

Quæ eſt de Eruditione ſolida acquirenda.

I. AB etymo vocis explicatur generaliùs, quid ſit *Eruditio vera*: item quid *ſuperficiaria*; quid *falſa*. pag. 4

II. Eruditionis *eſſentiam* fundari in relatione ad Deum, ut Mens ei evadat ſimilis, tum depoſitione contrariorum, cùm adjuvantium acquiſitione. 5

Eruditionis *principium* rectiſſimè à Scripturis poni in timore Domini. *ibid.*

III. De Deo Mentéque nonnullas conſiderationes hîc eſſe reſumendas. 6

IV. Dei unita æternitas, trinuſque ſui in ſe ordo. Capacitates facultatéſque menti illis admittendis correſpondentes ineſſe. 7

V. Sola iſthæc (adeoque & Eruditionem de his) ſolida eſſe: cætera ſuperficiaria & peritura. 9

VI. Ex Dei placito arbitrario ludendi cum picturis ſui umbratilibus, natas eſſe in conceptu ſuo rerum ideas, eaſque omnis generis & varietatis. In his duo eſſe conſideranda, 1. repræſentationem Dei. 2. ipſaſmet ſui ipſarum formas. 10

Menti humanæ (cui ſuperiores facultates ad ſui eſſentialem perfectionem ſufficiebant;) datam eſſe acceſſoriam facultatem Rationis, ſive intellectûs activi, ut horum eſſet imitatrix. *ibid.*

VII. Facultatem Rationis, ſive intellectus activi, non admittere ideas Dei ejuſque luminis vividas ac ſolidas; ſed pictas, ſteriles & ſuperficiarias tantùm. 11

Hæc tamen à Philoſophis pernicioſè confundi. 12

VIII. In Ratione eſſe curioſitatem ſeu deſiderium: lumen

men ſeu ideas; affirmationem ſeu acquieſcentiam; & Diſcurſum ex duobus his exſurgentem. 13
Eruditionem malè ad hæc reſtringi. *ib.*
IX. Deum, qui præter ſe & ideas, extra ſe res effecit & poſſidet, dediſſe menti humanæ, ut cum rebus haberet commercium, facultates imaginationis, ſenſuum, motûs & paſſionum cum corpore. 14
X. Hominis perfectio eſſentialis & acceſſoria. 15
Homo creatus fuit ſapiens, non verò eruditus. *ibid.*
XI. Homo poſtquam facultates ſolidas à Deo ſejunxit, ſuperficiariis ut adhæreret, lapſus ita eſt, ut cœcus, craſſus & corruptus ſit etiam quoad rationem & ſuperficiaria. 16
XII. Quænam in mente lapſa ſint erudienda Quî ea poſſit ſolidè, ſuperficiariè, falſò erudiri comparatione generaliùs oſtenditur. 17
XIII. Tria in unaquaque eruditione poſtmodum ſpectanda. 18
XIV. Ante Eruditionem quinque maximè notanda. 19
De Eruditione acquirenda Axioma fundamentale. 20
XV. Tres primæ fundi ad Eruditionem acquirendam diſpoſitiones ſeu conditiones requiſitæ, ſinceritas, humilitas & à cæteris ad Deum defectio. 21
XVI. Ex parte deſiderii ad Eruditionem conditiones quatuor; ejus ardor, illimitatio, conſtantia & confidentia. 24
XVII. Ex parte intellectûs conditiones duæ, evacuatio (cum ſua exceptione) & quies. Quænam evacuanda, etſi clarè & diſtinctè percipi putentur. Clara & diſtincta perceptio, criterium veri, in applicatione fallit Philoſophos. 27
XVIII. Ex parte acquieſcentiæ ad Eruditionem conditiones duæ, traditio abſoluta ſui Deo, & patientia. 31
XIX. Ad Eruditionem fundi & ſuperiorum facultatum, quid

quid ex parte rationis & inferiorum facultatum requiri poſſit. 32

Deus prævenit mentes juvátque, ut illæ ei conditiones offerant debitas. *ib.*

Quis ordo hoc in negotio obſervetur. *ib.*

XX. Qui mens erudiatur ſolidè quoad diſpoſitiones prævias. 34

XXI. Quî Mens quà æterna in fundo erudiatur. 35

Quî ejuſdem facultates ſuperiores & immenſæ, deſiderium, intellectus, & acquieſcentia erudiantur divinè. *ib.*

XXII. Hanc Eruditionem ſolam eſſe ſolidam, permanentem & homine dignam. 36

Ex ea ſequi Eruditionem, omne cum externis commercium ſpectantem, quæ ſine hac merè ſuperficiaria eſſet. *ib.*

XXIII. Experimenta facti. 38

Inter modos quatuor quibus eruditio ſolida contingit; primus iſque generalior, in mente, Deo ſe & ſua offerente: unde Deus ex tempore illi ad omnia proſpicit & ſufficit. *ib.*

XXIV. Secundus quidam modus adeptæ eruditionis ſolidæ divinitus infuſæ, & ad omnia ſpeciatim ſe extendentis: cum exemplis facti. 41

XXV. Tertius Eruditionem habendi modus: & cur ejus experimenta pauci capiant. 43

XXVI. Quartus veram Eruditionem acquirendi modus, videlicet per aliorum tum ſcripta tum voces. 45

Quî hîc ſe gerendum. 46

Modi hujus cauſæ & neceſſitas. 47

Vocis vivæ præ ſcripta prærogativa. 49

In eis quæ rationem & infimas facultates concernunt: quatenus cum his nectuntur, ſimili quodam modo procedi. 51

LIBRI PRIMI PARS ALTERA.

Quæ eſt de vera Eruditionis poſſeſſione.

XXVII. Veri Eruditi proprietates.
Omnia bona præcedentia in eo firmari & augeri. 52
Quî deſiderium, quod vacuitatem ſupponit, ſemper augeatur. *ib.*
XXVIII. Veri Eruditi character primus, *Pax*, in intimis, in externis & cum proximis. 54
Vera pax quæ. *ib.*
Quî calumniantium & adverſantium impetûs, ejus pacem non turbent. 57
Alii characteres paci annexi, *bonitas, juſtitia, patientia, ſilentium.* 58
XXIX. Eruditi præcipuus quidam character, *gratitudo lauſque* erga Deum, quibus neglectis tenebris & ſtoliditate percutiuntur eruditi. 59
XXX. Alii characteres, *Dependentia* à Deo; ſolida *humilitas* cum ejus effectis erga ſe, res, hominesque. *Amor* Dei & proximi. 62
XXXI. Cum *amore* ſive charitate omnes ſolidè eruditi characteres includi, dici & recenſeri oſtenditur. 64
XXXII Eruditum verum non eſſe ſollicitè curioſum de futuris; nec habere in promtu repertorium idearum & demonſtrationum ad quoſvis caſus poſſibiles paratarum: ſed principium ſolidum quo gaudet, illi ſufficere ad omnia ex tempore. 68

LIBRI PRIMI PARS TERTIA.

Quæ eſt de veræ Eruditionis communicatione.

XXXIII. Verè eruditos eruditione communicanda, ſive docendi officio libentius abſtinere quam eo onerari, etſi Deo vocante. Vocationis veræ criteria præcipua 70

XXXIV.

XXXIV. Eos primo factis docere, quæ omnium efficaciſſima via. 72

XXXV. Nec irriſoribus, nec opinioſis, nec rixoſis, neque calumniantibus communicanda eſt ſolida veritas; neque ſemper contra adverſarios verbis tuenda eſt. 73

XXXVI. Neque etiam eadem omnibus ejus cupidis exponenda; Sed, quantum fieri poteſt, ſolis fidis, cautela adhibita. 75

XXXVII. Quinam ei ſint qui veritatis participandæ ſunt capaces: eos infirmitatibus, præjudiciis, praviſque affectibus, maxime amore proprio, non carere initio: queis tamen ſe accommodet eruditor neceſſe ſit; & quomodo. 77

XXXVIII. De medio communicandæ eruditionis ſolidæ: id nec voces eſſe, nec ſcripta; ſed docentis & diſcentis internas diſpoſitiones, accedente Dei actu. 80

Clavis Scripturæ, quæ. 81

Obſcuritatis in incipientibus cauſſa. 82

Quî tunc fides ab illis requiratur. 83

Irriſorum criticorum iniqua abſurditas. 84

XXXIX. In modo docendi à ſimpliciſſimis maximeque neceſſariis inchoandum: tum, quod ſummi beneficii loco eſt, diſcentis præjudicia nævique invadenda, etſi is inde commoveatur. ib.

Sine ſenſu anxio ei adverſante eruditionem nec communicari nec acquiri poſſe. 86

XL. Neceſſaria, cæteris ſemotis, aliquoties eſſe inculcanda. 89

Cur nonnulli ab ejuſmodi repetitione averſi ſint. *ibid.*

Ejus ſumma neceſſitas & ingentia emolumenta. 90

XLI. A ſolide erudientibus negligi ut plurimum ſtyli methodique rigidioris artes ſolidis de cauſſis: etſi iiſ-

iiſdem, ob nonnullorum molliores diſpoſitiones, quandoque utantur, quandoque in his aliiſve ſuam fateantur ignorantiam, vel etiam hallucinationem. 92

XLII. Erudientes ſolidos per impoſturas, irriſiones, perſecutioneſque vexari ſuperficiariorum & falſorum eruditorum, ſupellectilis ſuæ ruïnam per veritatis ſolidæ communicationem metuentium. 95

LIBER SECUNDUS.

Qui eſt de Eruditione Superficiaria.

I. Libri hujus materia, ſcopus moduſque tractandæ rei. *pag.* 98

II. Cavetur ne multi ex eruditis offendantur dum eruditioni ſuperficiariæ plura annumerari videbunt. 99

III. Fundamentum Eruditionis ſuperficiariæ, quid ſit. 101

IV. Ad majorem diſtinctionem quædam de Mentis facultatibus reſumuntur brevius; & primo quidem de facultatibus realioribus, quæ pro objectis realibus factæ ſunt, & è quarum debito ſtatu Eruditio ſolida exurgit. 102

V. Eſſe in mente facultatem veluti picturariam & umbratilem, quæ eſt *Ratio*, eruditionis ſuperficiariæ fundamentum & cauſſa; uti ejuſdem *ideæ* & *ratiocinia* illius ſunt materia & inſtrumentum. 104

VI. Idearum proprietates octo, ſimilitudine illuſtratæ, unde conficitur eruditionem in eis fundatam eſſe prorſus ſuperficiariam. 106

VII. Rationem eſſe facultatem corruptam, limitatam, umbratilem, ſuperficiariam, mereque accidentariam. 110

Illam activitate ſua ideas ſuas ſine Dei amico concurſu

curſu debite excitare non poſſe. 111

VIII. Ratiocinandi actus ipſa Ratione ideiſque imperfectiores eſſe. 112

Eruditionis ſuperficiariæ ex fundo valor. *ib.*

IX. Objiciuntur quatuor in ea quæ modo concluſimus. 113

X. Reſpondetur objectioni primæ, de objecto Pyrrhoniſmo. *ib.*

XI. Luminum genera tria, treſque certitudinis ſpecies. 114

Dari lumen, atque etiam certitudinem, omni lumine & certitudine rationis, omnique demonſtratione immenſe ſuperiora. 115

XII. Vigiliæ, hujuſque à ſomno diſtinctionis certitudinem, perperam à ratione exſpectari. 117

XIII. Certitudo Metaphyſica nec ſumma eſt, & tenuis eſt, nec non & pauci uſus. 120

XIV. Rerum naturalium cognitio ſolida nec à ratione, nec in ratione eſſe poteſt. 121

Simili res explicatur. 122

XV. Recapitulantur præcipuæ certitudinum ſpecies, ad divinam, naturalem ſeu phyſicam, & metaphyſicam relatæ. 124

XVI. De triplicis luminis perceptione. 126

XVII. Reſpondetur inſtantiæ ſecundæ ex Matheſi deſumptæ. Fruſtra eam allegari ad probandam ſoliditatem cognitionum per rationem acquirendarum. 129

XVIII. Reſponſio ad tertiam Objectionem, quæ erat, Rationem impugnari non poſſe quin hoc ipſo ſtabiliatur, quia in ejus impugnatione ipſa ratio valere debeat. 133

In illa ludi æquivocatione. *ibid.*

XIX. Sophiſma vulgatum pro rationis valore, ſolvitur. 135

XX. Rationis uſum ſcopumque ſupra dictis non tolli.

Quis

Quis & quotuplex is ſit ? 138
XXI. Quis ad eruditionem ſolidam acquirendam poſſit eſſe rationis uſus. 139
Ejus cautelæ aliquot. 140, 141
XXII. Superficiaria, viaſque ad ſolida, non niſi à ſolidis, vel ab eis qui ſolida poſſederunt, recte tradi & explicari poſſe. 144
XXIII. Exactius oſtenditur quid ſit Eruditio ſuperficiaria, ejus amplitudo, raritas, ejuſdemque vanitas. 148
XXIV. Eruditionis ſuperficiariæ in partes notabiliores diſtributio. 150
XXV. Eruditionem ſuperficiariam ita raram eſſe, ut quæ ejus ditionis ſunt ſcientiæ, ne quidem ad perfectionem ſuperficiariam adhuc attigerint; idque ... tis de cauſis.
XXVI. Specialiores nonnullæ cauſſæ defectuum in præcipuis quibuſdam ſcientiis. 154
XXVII. *Metaphyſices* defectus nonnulli. *ibid.*
XXVIII. *Phyſices* defectus generaliores. 156
XXIX. *Ethices* defectus capitaliores quidam. 158
XXX. Querela. Hìc, & alibi ſæpius, ea quæ Dei, Theologiæ & Revelationis ſunt, nimis cum Philoſophicis miſceri; quæ tamen ſola eſſe debeant. 161
XXXI. Querelam hanc non eſſe ſine abſurditate, & forte impietate. *ibid.*
XXXII. Hominem qua Philoſophum, experientias tum naturales, tum divinas, debere conſulere, ut ex illis proſpiciat Rationis ſuæ ideis. 163
XXXIII. De præſentia & abſentia luminis divini. 166
Nullum poſſe recte philoſophari niſi actibus Philoſophicis Theologicos interponat. 167
Simile. *ib.*
XXXIV. Quomodo quiſque de rebus mentalibus philoſophaturus, poſſit divinas experientias conſulere vel aſſumere, iiſque ſuas adjuvare ſpeculationes. 168

XXXV.

XXXV. Philoſophi circa revelata officium. 169
XXXVI. Multa dari quæ à ratione infirma detegi quiem non poſſint; ſed quæ per revelationem reperta, ratione oſtenduntur eſſe vera, & neceſſario ita. 170
XXXVII. *Logicarum* vulgarium defectus præcipuus. 172
XXXVIII. Veræ Logicæ leges capitaliores, 174
Circa Philoſophiam in genere. *ibid.*
Circa ideas. 175
Circa judicia. 177
Circa ratiocinia. 178
Circa methodum. 180
XXXIX. De *Grammatica* & *Critica.* *ibid.*
XL. Grammaticæ atque Criticæ veriores leges, caſtigatæ falſis. 181
XLI. De *Theologia*; & in anteceſſum aliquid de vera & ſolida Theologia, ejuſque communicatione. 193
XLII. De degeneratione Theologiæ ſolidæ in ſuperficiarium: & quænam hæc ſit. 199
XLIII. Theologi ſuperficiarii & ſolidi ut principiis, ſic effectis diſpares. 201
XLIII. Theologia ſuperficiaria etſi in rationis faculta- reſideat, non tamen per illam ſolam acquiri poteſt. 204
XLIV. De reductione ſuperficiariorum ad ſolida. 206
XLV. Non ſine cauſſa pluribus hic de iſtis non agi. *ibid.*

LIBER TERTIUS.

Qui eſt de Eruditione falſa.

I. AB Eruditione ſuperficiaria, in veram vel in falſam neceſſario tranſitum fieri. 209

II. Neglecto vero ſcopo, omnem eruditionem fieri falſam, neceſſe eſt. 210
III. Diverſi generalioresque quidam modi quibus id fit, indicantur. 212
IV. Monitum ad cavillationum nec non & deceptionum cautionem. 213
V. Falſi Scopi Eruditionem fruſtraneam eſſe, generalibus quibuſdam documentis declaratur. 214
VI. Eruditionis falſæ cauſſæ aliæ quatuor, de quibus ſpecialius in ſequentibus. 215
VII. Rationem (unam ex his cauſſis,) corrupta ut eſt deſerto Deo, ſervitute inſuper affectuum & præjudiciorum oppreſſam, non poſſe non parere eruditionem falſam. *ibid.*
VIII. Præjudicia quædam de ratione, quæ quo magis ſunt occulta, eo ſunt nocentiora, recenſentur. His omnes fere doctos præpeditos eſſe, oſtenditur. 216
IX. A Magiſtris pædagogiſque iniquius adhibitis, ineptis, & quibus plus æquo creditur, eruditionem falſam non poſſe non prodire. 219
X. Adultos officium ſui cura propria inſtituendi, male negligere, idque ſecurius in alios refundere. 221
XI. Non ideo tamen ſubſtitutionem Magiſtrorum eſſe abrogandam. 223
XII. De libris quatenus ad eruditionis conſtitutionem ſpectant; deque eorum originibus. 224
Eruditionem a libris non pendere. *ib.*
XIII. Librorum bonorum origo prima, verusque uſus. *ib.*
Malorum quorundam origines & propagines. 225
XIV. Paucitas primariorum bonorumque librorum & Auctorum. Numeroſitas & ſpecies nonnullæ malorum. 226
XV. Libri promiſcui nec ſunt, nec uſum præſtant uti præ ſe ferunt & putantur. 228
XVI. In profanos, vanos & impuros Ethnicorum libros,

bros, magiſtroſque qui eos eruditionis gratia juventuti proponunt. 230
XVII. Prætextus malorum librorum Eruditioni falſæ inſervientium, quatuor aut quinque præcipui. 231
XVIII. Confutantur omnes. Primus quod multa bona, egregiæque in illis occurrant ſententiæ. *ib.*
XIX. Secundus, de uſu Ethnicarum hiſtoriarum & locutionum ad Scripturæ interpretationem. 233
XX. Tertius, de latino ſermone ex Ethnicorum profanis Scriptis diſcendo. 234
XXI. Quartus prætextus, omnia ab hujuſmodi literis renovatis, renovata & polita eſſe, confutatur; & contrarium oſtenditur. 237
XXII. De ſcientiis quatenus ad eruditionem falſam pertinent. 238
XXIII. Per falſa idealia removeri veritates ſolidas 239
XXIV. De falſitate præcipuarum ſcientiarum vulgo obtinentium.
Et primo quidem de generalioribus erroribus in fundamentalioribus *Metaphyſicis*. 241
XXV. Veritates præcipuæ capitalibus iſtis erroribus oppoſitæ, breviter demonſtrantur, videlicet circa rerum ideas; Dei omniſcientiam; hominis libertatem; fatum; tranſcendentales veritates, unum, verum, bonum: ſubſtantiam &c. 242
XXVI. *Phyſices* diverſa Syſtemata falſa. 247
Cartesii phyſicam tripliciter falſi convinci 248.
XXVII. 1. Ex principiis Metaphyſicis. *ibid.*
XXVIII. Cauſæ finalis cognitio in phyſicis contra Cartesium aſſeritur. 252
XXIX. Ipſum Carteſium pro validis principiis ſtatuere & allegare cauſas finales. 254
XXX. Quod cauſa finalis ſit & ipſa efficiens. Quî ea detegi poſſit in ſingulis. 255
XXXI. Principia ſua ſuſpecta reddit ipſe Carteſius, no-

noſtraque confirmat. 257

Inſtantiæ duæ quibus mox reſpondendum. *ib.*

XXXII. 2. Phyſicam Carteſianam multis veritatibus certis adverſari, & proinde falſam eſſe. 258

XXXIII. Cur principia Carteſii etſi falſa, cum experimentis tamen ſint interdum conformia. 260

XXXIV. 3. Phyſicæ Carteſianæ falſitatem tertiò oſtendit inconſequentia ex propriis principiis. 261

Exempla illius, circa Carteſii vortices, tria elementa, lucem, phænomena ſolis & ſtellarum, gravitatem, magnetem. *ibid.*

XXXV. Vortices Carteſianos ex mera vi & legibus naturæ brutæ, ne quidem eſſe probabiles aut etiam poſſibles. *ibid.*

XXXVI. Generationem, figuram, ſitum, trium elementorum Carteſii ex principiis ſuis non ſequi uti proponit. 262

Globulos ſecundi elementi debuiſſe potiùs eſſe ellipticos non ſphæricos. *ib.*

XXXVII. Materiam primi elementi non debuiſſe ad centrum confluere in ſphæram, ſed ad axem totius vorticis in modum columnæ. 264

Hunc locum & ſitum debuiſſe quoque à tertio elemento occupari. *ib.*

XXXVIII. Juxta principia Carteſii de luce, Solem debere lucere teretem inſtar columnæ: ejuſque ſolam occidentalem plagam videndam eſſe, atque eam inſtar trabis, eò magis fulgentis quò magis à centro Solis recedit. 265

XXXIX. Carteſius fruſtra probare conatur radios ex ſingulis punctis Solis quaquaverſum in vortice diffundi. 268

XL. Per materiam primi elementi corpus Solis per polos ingreſſam non poſſe Solem reddi lucidum. 269

XLI. Materiam ſubtilem corpus Solis per polos ingredientem non debere in globum coacervari, ſed in

cy-

ylindrum, vel ellipſin aut rhombum extendi. 270
II. Ex Carteſii principiis generalia phænomena terræ & circa terram perverti. ib.
Oſtenditur in telluris & in corporum Gravitate. 271
III. Magnetis explicatio Carteſiana, in particulis triatis & intortis fundata, nulla eſt. 272
IV. Formationem particularum in ſtrias tornatas, eſſe mpoſſibilem. 273
XLV. Ad materiam ſtriatam Carteſii circa axes verti-um tornandam, ſuppoſitiones quædam neceſſariæ & bſurdæ. 277
XLVI. Carteſium in errores ſæpius incidere quòd primam & ſecundam Methodi ſuæ legem ſæpe non obſervet. 278
XLVII. De *Ethices* Ethnicorum, Politicorum ſeu mundanorum, & veterum Philoſophorum falſitate 279
XLVIII. Recentiorum Philoſophorum abſurditates generaliores de ſummo bono hac in vita viribus naturæ acquirendo. 280
Obliviſcuntur veritatum de æternorum valore, & evaneſcentium vilitate, ſcopo noſtro &c. 281
XLIX. Quomodo ſummum bonum hac in vita quæri aut participari poſſit? 282
Philoſophos ſe dicentes Chriſtianos, haud quærere Chriſtianam Ethicam. ib.
L. Ethices Carteſianæ ſphalmata generaliora.
Eam eſſe inſtar palatii ſuperbi, arenæ ſuperexſtructi. 283
LI. Carteſii circa ſummum bonum hallucinatio pericu-loſa. 285
LII. Virtutem bene diſtingui in increatam, creatam & falſam. 287
LIII. Quomodo Virtus Carteſiana nil niſi cœca ac ſuperba pertinacia eſſe poſſit? ib.

LIV. Circa Conſcientiam Carteſianorum quorundam ſententiæ oppoſitæ & erroneæ. 288
[LV.] [C]onſcientia ejuſque judicium an fallant? 289
LVI. [I]nſtantia pro Conſcientiæ infallibilitate. 290
LVII. Reſponſio ad inſtantiam. *ib.*
Conſcientia vera quæ? quæ falſa? *ib.*
LVIII. Conſcientia dubia & media. 293
LIX. Conſcientia erronea nec ſequenda eſt, nec facit jus, nec ducit ad bonum. 294
LX. In rebus moralibus & ad ſalutem abſolutè neceſſariis non datur ignorantia invincibilis, atque adeò excuſabilis. 295
LXI. Quatenus errans & dubia conſcientia ſit ſequenda? 296
LXII. De falſa *Logica*. 299
LXIII. *Grammatica* & *Critica* falſa 300
LXIV. De cæterarum ſcientiarum & ſpecialiùs de *Mathematicarum* diſciplinarum fallacia. 303
LXV. Mathematici genii influxûs plurimi periculoſiſſimi recenſentur. 304
LXVI. Reſpondetur aliquot inſtantiis, quibus nonnulli ſtudium Mathematicum commendant quaſi ad divina & moralia proficuum. 307
LXVII. Earundem diſciplinarum paucus ad ſolida uſus, isque retrogradus. 310
Majora ad lapſum inde pericula. 311
LXVIII. De *Iure* & *Medicina*. 313
LXIX. De *Theologia* falſa; Ejus origines, ſpecies quatuor, & fulcrum omnibus commune. 314
LXX. Theologia opinioſa. 317
LXXI. Theologia Sectaria. 318
LXXII. Theologia adulatoria & culinaria. 321
LXXIII. Theologia falſa literalis & Critica. 322
LXXIV. Theologiæ cujuſdam Criticæ ſeu literalis noviſſima duo monſtra. 325
LXXV. Quare liceat & ſalutare ſit interdum adhibere

verba

verba vocesve, quæ in S. Scripturis non exſtant. 327
LXXVI. Quartum è ſuprà recenſitis adminiculis eruditionem falſam comparandi, quod eſt, modus educandi liberos à teneris 329
LXXVII. Eorum qui falſam Eruditionem poſſident, aut propagare volunt, characteres aliquot. 330
Impietas. *ibid.*
Superbia. 331. &c.
Hypocriſis.
Adulatio.
Odium in probos.
Perſecutio.
Irriſio.
Calumnia.
Abſurditas.
Item Voluptuoſitas.
Avaritia.
LXXVIII. Pigritia animi.
Deſidia corporis. 332
LXXIX. Curioſitas. *ibid.*
Inquietudo.
Moroſitas. 333
Stoliditas ſive indolentia.
LXXX. Livor, rixæ. *ib.*
LXXXI. Eorundem facta & ſcripta qualia? 334
LXXXII. Deſcribuntur Eruditi falſi, veritatum ſolidarum aggreſſores & impugnatores. 335
LXXXIII. Falſos omnes eruditos eſſe vanos & meros Pedaneos. 340
Et quid propriè ſit *Pedantiſmus.* *ib.*

EPILOGUS.

LXXXIV. Loca in Sacris de vera & falſa eruditione poſſe exhactenus dictis illuſtrari. 342
LXXXV. Falſis mundaniſque nil prodeſſe Moſis eruditi exemplum. 344

LXXXVI. Quæ ſcripta ſunt, ea ad omnium bonum veramque gloriam tendere. 345
LXXXVII. Egregius *Cebetis* locus, quædam de Eruditione falſa, nec non & vera, confirmans. 347
LXXXVIII. Cur omnes primò ad eruditionem falſam accedere conſueverint. 350
Et cur ex iis qui ad illam acceſſêre, quidam elabantur, alii verò non. *ibid.*
LXXXIX. Ab eruditione falſa ad veram incitamenta. 352

APOLOGETICA. 365

I. De quibuſdam Carteſianis. 366
II. De nonnullis Lipſienſibus. 371
III. De celebri quodam Theologo. 378
IV. De neſcio quo Jano Philadelpho. 380
V. De auctore Bibliothecæ Univerſalis. 389
EPISTOLA ad Eundem, & ejus partes. 391

ERRA-

ERRATA

In Methodo inveniendi verum.

Pag.	lin.	lege
35	17	quæ eas
38	12	faſtuoſa
42	18	proprietates
55	32	intellectu
60	33	ubi ſe exerceat ;
63	21	& delectationem,
7[illegible]	31	indicandum
85	11	vita noſtra,
	21	illas a
86	23	indignum
107	19	inveniantur,
115	5	*in marg.* omni
134	2, 3.	inſarta ſunt
139	19	objectis eas

In libris de Eruditione.

Pag.	lin.	lege
25	18	obtenturam,
28	29	myſteriis, ſenſu
49	12	virorum, maxime
51	4	ſe tales
73	25	inferioris
55	17	complete
57	20	erudiat
64	4	*eſt (ſive*
	5	*eſt) ab*
67	16	cum inſultatione
68	1	exciderit ;
71	1	*dele* pejores
72	12	ſibi ipſis
74	7	ſummæ
79	20	primum maxime,
94	11	obſervabunt : qui
95	19	*in marg.* metuentium.
105	31	ideæ vero
114	33	tria luminum
116	3	afficerent
123	18	elueret
135	28	Ideo enim
137	15	obtineat. In
144	24	præſcripſiſſe, omnium
	29	commonuimus
155	18	expandit
158	20	non ſit eos
162	9	Is te intus
166	20	obtingit
168	21	*dele* aliorum
173	1	proponendi
177	26	ſemper ad Archetypum
190	9	ſitque
	31	*ante* demum *dele* *virgulam*
192	*ult.*	circa
193	16	direxiſſe
196	15	abſtinentiæ
197	3	primitivæ
203	25	qui hæc audiant
206	8	quî ea quæ in
208	4	rariſſimo
	8	habeant, rationem
210	2	&, ſi quam
217	15	perpetuum, a
228	*ult. poſt*	condemnetur *adde punctum.*
233	8	veneficæ
234	12	propheticæ) nil
237	22	chimæriferas
240	13	ſolidâ
249	27	Deum ; ſic
252	8	poſſit niſi ſubjectis
254	22	ex muſteis

ERRATA.

259	31	oſtenſum
	33	quærebat, ut
262	9	*in marg.* Generationem
270	3	occurrunt
272	24	circulos B, C, D, E, &c.
	ult.	ſed ad ingreſſum
276	9	toto eo
277	22	ternionem
	23	*l, m, n, l.*
284	1	& fatum Spinozianum
291	27	angulis, rectis
296	22	ejuſmodi invincibilitas
298	32	tunc cum neceſſe
299	30	attendant
310	16	*donne d'enhaut*
ibid.	21	quomodo intellectus,
313	24	plures, uti eſt, ſectas
319	15	*in marg. pro* Creat. *lege* Cooperat.
332	1	ſua veritatis
335	23	eſſe, & cordatos
360	33	[qui it per
374	27	humanitatem
384	7	*dele* cum
391	25	poterunt.
410	26	Momus queat eſſe
412	32	ſe promittit
413	9	præferuntur
416	7	ſentiebam, a te
419	32	& præcipua
429	6	indigens
430	7	alias demonſtrationes
	14	percurrit
431	22	nec non omnes
434	11	claram;
435	21	æternâ
440	28	inobſervationibus
444	19	ſuos faciunt,
454	21	deinde eum
463	15	ſoles non modo
474	3	bene inſtructus,
475	6,7	exponant viros ſenio
477	24	at coram

NOTA ad pag. 278. in figuris R & X pro lineolis quibus circuli majores culpa ſculptoris deſcripti ſunt, concipienda ſunt puncta globulos repræſentantia, ut in fig. Q.

Occul-

Occulta cui Mentis mala
Secreta rodunt pectora,
Huic eſt moleſta Veritas
Quæ cor revelat turbidum.

G. B.

Digitized by Google

VERA

Google

VERA METHODUS INVENIENDI VERUM

Obſervatis primis COGNITIS primisque ERRATIS PHILOSOPHORUM, & in ſpecie CARTESIANORUM.

TRACTATUS

Libris de ERUDITIONE præmittendus.

Digitized by Google

VERA METHODUS INVENIENDI VERUM.

Conſtitueram ea quæ tribus de Eruditione libris complexus ſum, ſine ulla alia animorum præparatione emittere, contentus ſola exhibitione eorum quæ illic continentur, quippe quæ ſi rectè animadvertantur, ſufficere poſſe videntur ad hoc, ut qui ea obſervare voluerint, non eligant falſa pro veris, non amplexentur umbratilia pro realibus, verum ad ſolidam pertingere poſſint Eruditionem. Sed cum dein animo mecum volverem, quantis quamque adeo multis præjudiciis & impedimentis & pravis diſpoſitionibus, iiſque non ſatis penſitatis, ne dicam parum admodum aut minime detectis, omnium ferè undique obſeſſæ eſſent mentes, cœpi poſtmodum, divina fretus ope, (quæ ſpes mea eſt) de Diſſertatione aliqua præliminari concinnanda cogitare, qua comprehenderem nonnullas veluti obſervationes aut leges, quibus præcipua ex iſtis obſtaculis poſſent removeri, animique diſponi ad faciliorem Librorum ſequentium captum, praxin & uſum. Quod dum exſequi contendo, Tractatus integer ſub manu naſcitur de vera Methodo inveniendi verum obſervatis primis cognitis primiſque erratis

Tractatus hujus ratio, ſcopus, materia & diviſio.

 Phi-

Philoſophorum. Hunc tractatum præparationis neceſſariæ vice libris meis de Eruditione præmittendum, & ante eos legendum credidi, à quo ut exordium facere velint candidioris notæ Lectores, amicè præmoneo. Et ne ipſe remoram injiciam, negotii totius diſpoſitionem tribus verbis indigito.

Scilicet in tres partes eundem diſpeſcui.

Prima continebit annotata ſex inſignia, vel axiomata, quæ pro totidem *Methodi* ad veritatem *legibus* haberi poterunt, & inter *cognita prima* recenſeri; eorum vero neglectio aut violatio inter *errata prima* numerari. Quibus interſerentur quam plurima tum de veritatis lumine & criteriis, tum de mentis ejuſque facultatum diſpoſitionibus, indiſpoſitionibus, harumque remediis, quæ abſolutè cuivis ſerio veritatem indaganti ſcitu & obſervatu ſunt ita neceſſaria, ut ob ea non animadverſa, neceſſe fuerit Philoſophos in præcipitia ruere.

Altera pars tum ſpecialius explicabit nonnulla quæ in regula Sexta de mente ab indiſpoſitionibus ſuis ſananda obiter indicata erant; tum varietate quæſtionum ac reſponſionum de iſtiuſmodi ſatis raro argumento, inſerviet exercitii loco mentibus ſimili materiæ excellentiori parum aſſuetis, ut inde ad hæc magis reddantur idoneæ.

Tertia verò exhibebit in magnis Philoſophis, in Carteſio v. g. ejuſque Methodo & Meditationibus, nonnulliſque aliis ejuſdem aſſeclis exempla errorum in quos inciderunt

propter

propter non obſervatas eas regulas, quas tanquam veras Methodi verum inquirendi & inveniendi leges, ſeriò commendamus.

§. I.

PARS PRIMA,

Sex Methodi ad Veritatem Leges, obſervatis multis expoſitas continens.

I. INter primas ad veritatis ſemitam inveniendam leges, Cognitaque generalia & prima nemo negabit, opinor, recenſendum eſſe illud: EA QUÆ FIUNT, UT RECTE FIANT, ORDINE FIERI DEBERE. Conſtant omnia ſolida ſuo quæcunque ordine, hoc eſt, debita rerum, facultatum, objectorum, veritatum, affectuum, & rei uniuſcujuſque ad alias appoſitione, pro proportione & menſura naturæ, dignitatis, locique debiti. Ordinem eum ſi ſolvas vel non obſerves, quamvis optimum ſit ſubjectum, meræque adeo veritates in quibus verſeris, omnia fient obſcura, tenebroſa, confuſa, perdita. Certè qui membrorum ſani corporis ordinem tranſponere aut disjungere vellet, mortem ei conciliaret; qui a tecto ædificii conſtructionem ordiri tentaret, is & materias bonas perderet, & operam luderet omnino: qui mathematicæ demonſtrationis partes ordine inverſo aut turbato conſideraret, quamvis unaquæque ſeorſim ſit vera, nil aliud

I. (1) Regula PRIMA, ſive cognitum primum. *Ad veritatem detegendam ordinem ſervandum eſſe*, eoque violato omnis generis incommoda & inconcinna ſequi.

tamen inde efficeret præter mentis confuſionem, haud ſecus acſi Euclidem a propoſitione ultima libri XV. retrogrado vellet aggredi ordine.

II. In quibus maximè ordo ſit ſervandus

II. Qualis autem ordo in rebus tractandis ſit obſervandus, non ita omnibus liquidum eſt. Carteſius vult a ſimplicioribus & cognitu facillimis incipiendum eſſe, eaque ratione continuandum. At vero ſi iſta ſimpliciſſima & facillima de futilibus fuerint & nugacibus, hominiſque dignitate indignis, multumne hoc ordinis genere adjuvabimur? Rectius igitur ordo primùm inter materias aſſumendas & tractandas inſtituendus eſt, ut illæ videlicet primo aſſumantur & omnes cæteras præcedant, quæ primo exſiſtunt, quæ digniores ſunt, quæ ſolidæ ſunt nec evanidæ, quæ neceſſariæ, ſanæ, perfectæ: in quarum unaquaque ſpecialius deinceps inſpicienda, a ſimpliciſſimis & cognitu facillimis poterit duci exordium, & eodem tenore ulterius porro res penetrari. Ita bene demum & ordinatim progreſſus fieri poterit.

III. Philoſophorum contra ordinem erratum primum, fons cæterorum.

III. At ſi accidat homines, quamvis Philoſophos, primùm aſſumere & præponere acceſſoria neceſſariis, corrupta ſanis, activa paſſivis, umbratilia realibus, inferiora ſuperioribus, imperfecta & naturalia perfectis & gratioſis, arbitraria ſufficientibus, (quæ omnia aliter ordinanda eſſe inter prima Cognita numerari poteſt, maximè ubi pluribus eas res reddiderimus clariores,) hæc inquam ordinis & tractationis

nis inverſio ſi fiat, ecce *erratum* omnium *primum*, perniciosiſſimum & cunctorum cæterorum fons eo ipſo committitur; quo admiſſo, non poteſt non evenire quin inde in omnis generis tenebras, confuſiones, erroreſque continuos incidant mentes perpetuo, maneantque ibidem, rerum ordinem quamdiu non reſtituerint. Ex quo articulo ſuſpicor jam non paucos fore qui vereantur, ne vel inde inferendum ſit rariſſimos dari qui veritatem poſſideant, aut qui veri dici poſſint Philoſophi. Sed reprimamus nunc minus gratam concluſionem.

IV. (2) Primorum Cognitorum, quorum aſſumtione ad ulteriores leges in Methodo quærendi veri recte inſtituenda opus eſt, alterum, & quidem pro lege altera recenſeo: EUM QUI VERITATEM VULT DETEGERE EADEMQUE FRUI, SINCERITATE MENTIS PRÆDITUM ESSE DEBERE. Neque id tantum velim dictum de *vulgari* quadam ſinceritate, qua animi ſenſa ſibi intus quiſque fateatur; aut de *externa*, quâ eadem aliis non diſſimulet; verum etiam de *penitiori*, qua ſui ipſius ſciens impoſtor aut deceptor non ſit. Quod uti per ſe clarum eſt, ita inutiliter & in caſſum a me dici putarent multi, (adeo impoſſibile aut contradictorium videtur, hominem poſſe ſe ſcientem decipere, aut decipere velle) niſi id aliquantulum clariùs ob oculos ponerem.

IV. (2) Regula ALTERA ſive Cognitum alterum: *Mentem ſinceram eſſe debere*, nec dolo ſè ſecum agentem.

V. Poteſt unuſquiſque in ſe animadvertere, animum ſuum, inter alia, tribus veluti

V. Fraudes quædam men-

tis occultiſſimæ, eæque veritati adverſiſſimæ deteguntur. In his erratum alterum capitale, veritati viam præcludens, conſiſtere

luti facultatum generibus præditum eſſe: conſcit enim primo ſe multis deſideriorum motibus, qui & ſenſibiles valde ſunt plerumque, & affectibus multis juncti, commoveri: deinde ſe facultatem percipiendi contemplandique, ſive conſiderandi objecta moventia & cupita, habere: ac tertiò, ſe quoque gaudere potentia, qua deſiderium ſuum faciat quieſcere in objecto plus minuſve percepto, tanquam in re deſiderium explere apta: quæ facultas acquieſcentiæ & affirmationis eſt. Ex quo autem homo corruptione tenebriſque intectus & inter plurima objecta inordinata, ipſius deſiderium moventia, poſitus eſt, accidit ordinariò, ut primis multiſque vitæ ſuæ annis deſideriorum motibus pravis quidem, ſed ſenſibilitati craſſiori, commoditati, faſtui, amori proprio gratiſſimis afficiatur, ſive ii motus à propria internaque mentis corruptione naſcantur, ſeu etiam ab aliis, quibus ſua mens ipſeque vinculo aliquo adſtringuntur, ſint excitati: & ſecundum hos motus quidem, de rerum actionumque veritate & bonitate homo ita corruptus ſic judicat & judicare conſuevit, ut inde impellatur ad interpretandum omnia audita, viſa, cognita, imo & ipſa Scripturarum oracula, (expreſſe ad motus iſtos compeſcendos & delendos data,) eo modo, qui quam maximè corruptioni ſuæ faveat. Atque hinc ſuas quiſque cudit veritates, bonitates, æquitates, virtutes, doctrinas, ob quas ſæpe & ſibi & aliis ex mera carne mero-

meroque ſanguine (ut Scripturæ verbis utar) rerum divinarum & humanarum peritus habetur animalis homo. Porro quando Origo illa bona & luminoſa, unde profluxit Mens & quo remeare debet, Deus nempe O. M. alios ei ſive immediate, ſive intercedentibus etiam organis aut mediis quibuſdam, incutit motus, eoſque revera bonos; quando & idem luminibus nonnullis intellectum ferit, e quibus Mens incipiat percipere, etſi obſcurius, ſua quidem illa priora, ut ut ſenſui grata, haud tamen ita ac putavit ſe recte habere; poſteriora vero hæc, & quæ inde conſequentur, meliora eſſe & veriora, licet initio & amariora, & eis quæ priùs placebant, incommoda atque adverſa; ecce, tunc ſtat anima in puncto unde deceptioni propriæ aut ſinceritati veræ ſeſe ex libertate tradat, vel tradere vere peroptet. Namque ſi eligat motibus illis primis corruptis, ſimulque naturæ corruptæ gratiſſimis adhærere, nec non iis magis magiſque ſic attendere, ut diviniores motus, attentione mentis alio ſe conferente, fiant ipſi inſenſibiliores, ipſamque minus afficiant, unde illa minus eis affecta eoſdem præterea contemnat veluti res pauci vel nullius momenti, quarum illa neglectu nil adeo veri & boni perdat, ut potius iis rejectis ac fugatis, ſuperſedeat a labore immenſo acquieſcentiam ſuam ab aſſuetis gratioribus retrahendi, eamque ad contraria & adverſantia applicandi; hoc inquam modo, ea Mens ſe ipſam ſciens volenſque decipit, ſi-

bique ipſi imponit admodum doloſe : non quod directe ipſa velit falli, & videat evidenter errores & tenebras quò prolabetur : ſed vult tamen ea unde fluunt error & tenebræ, quæ ſenſui, conſuetudini & commoditati magis ſunt amica. Et vidit quidem generaliùs ex iis errores & mala conſequi, oppoſitoſque motus & radios lucis revera præſtare ; ſed quia hi videntur ei amari, ideo avertit inde attentionem ſuam ; unde iis non amplius affecta, reddi tota & affici poſſit primis jucundioribus, quibus proinde (verioribus motibus deletis) tota vacare ut prius concupiſcit. Hæc eſt doloſa, fallaxque impoſtura, qua qui detinentur (quotnam vero non detinentur !) omnes veritatis admittendæ fiunt incapaces, etſi omnes ejus capaces reputari velint, profiteanturque ſe veritati, tametſi concupiſcentiis ſuis adverſanti, favere velle : id nempe ore amant dicere, intus autem amant aliud facere : quod eſt *cor* illud *duplex* adeo veritati inviſum, *erratum* alterum capitale veritati viam præcludens.

VI. Sinceritas quæ ? VI. Sinceritas autem huic fraudi oppoſita, animæque ad veritatem aptæ diſpoſitio primaria, hæc eſt : ut quam primum diviniores lucidioreſque motus & veri radios perſentiſcit anima, etſi ſuis dudum aſſumtis, gratis & aſſuetis oppoſitos, ipſa tota ſtatim eis attentionem, in quantum ei regendæ ex libertate præeſt, dedere parata ſit, eos conſideret, deſideretque & optet illos augere, quò evidentius percipiens

ens ſe per hæc ad diviniora, ſuperiora, ſaniora, perfectiora, ſolidiora magis magiſque deduci, acquieſcentiam ſuam a prioribus motibus deſideriiſque gratis retrahat totam, eamque in hæc refundat; quin & priores iſtos corruptos motus, conſuetudines, perſuaſiones, judicata, utut grata & commoda, impugnet viribus totis, quamvis priorum omnium, propriorumque inde ſcaturientium emolumentorum jacturam facere debeat in amplexatione & praxi veriorum & ſolidiorum, quæ ipſi magis magiſque poterunt detegi. Hæc eſt animi illa ſinceritas infucata & fraudis expers, cujus amplexu potiri gaudet ſolida Veritas, & cujus encomium inter multa declarat ſacer ſermo exclamans: (*a*) *O beatus vir in cujus ſpiritu non eſt dolus!* Unde quia pauci nunc ſane inter homines ſunt beati, licet conjicere, paucos admodum eſſe quorum ſincerus & infucatus ſit ſpiritus; paucoſque admodum qui veritatis admittendæ ſint proxime capaces. Nam extra hæc, Mens veritatibus iis ſolidis adverſa quæ ejus priores voluptates, commoda, imaginationes de ſe deque ſua eruditione & doctrina inolita, nec non & virtutibus acquiſitis (ſcilicet!) turgidas impugnant, non poterit eiſdem veritatibus affici, neque eas proinde plenius perſpicere, noſſe, poſſidere: ſed potius ab eis averſa, fiet inſenſibilis, niſi etiam earum aliquatenus odioſe memor, eaſdem omnibus animi ſui affectibus inſectabitur.

(*a*) Pſ. 31: 2.

VII. (3) Tertia Methodi ad veritatem VII.

(3) TERTIA veræ Methodi lex, ſive Tertium Cognitum: *Quemlibet debere incipere a ſe & in ſe ipſo.*

De aliis non tantum non cogendis, ſed & nec convincendis adeo curandum eſſe.

lex, quæ & cenſeri poteſt cognitum generalius, unde ad ſpecialiora deveniemus; illud eſto: IN INQUISITIONE VERI QUEMLIBET DEBERE INITIUM FACERE A SE IPSO ET IN SE IPSO. Et hoc per ſe ſatis patet, ſiquidem nil abſurdius eſſet, quam alteri velle veritatem ingerere antequam eam ipſe poſſideas. Neque hoc tantùm, ſed & ubi veritas ab aliquo inventa eſt, eamque ipſus poſſidet, quamvis eandem omnibus fieri communem optare poſſit & debeat, ipſamque, ubi ad id ſeſe obligatum verè conſcit, verbis etiam aut ſcriptis, quantum appoſite fieri poteſt, proponere; non tamen pro ſcopo ſibi proponat, hominum mentem ad eam veluti flectere, & vi quadam ſic ei conformare, ut niſi is effectus accidat, quietus non ſit, & ſe ſcopo excidere judicet. Iſtud inquietis ardelionibus ac ſectariis eſt relinquendum, quo nihil equidem ſtultius, nihilque magis Philoſopho vel Philoſophaturo indignum. Quis enim libertate aut potentia ſua aliorum deſiderium ad meliora flectere & veriora, quis intellectus eorum impedimenta & ineptitudines removere; quis alieno deſiderio acquieſcentiam in objectis certis largiri potis eſt? De ſe unusquiſque ſollicitus ſit id ut faciat ſinceriore modo.

VIII. Maxime ubi ii ſunt minus ſinceri, & vero ſponte delirant.

VIII. Atque adeò indignum Philoſopho homine eſſe reor, vel ſaltem ei non neceſſarium, & forte damnoſum, nec ab *errato*, aut errandi periculo immune (quod mox oſtendam,) ut ſibi proponat alios, eoſque vel

vel pertinaces & minus ſinceros, quales erant Sceptici, de veritate convincere. Si enim ejurata omni conſcientia & ſinceritate delirare velint, noſque etiam reputare pro delirantibus; quid hoc ad animum philoſophi, veritate in ſe intus poſſeſſa contentum? An propter ejuſmodi ſponte inſanientes ipſe mentis ſuæ vires alio diſtrahet, & inutilibus, quæ, veluti pondera, mentis vires laſſant & minuunt, ſeſe onerabit & occupabit? Certè qui veritatem nulla ſinceritate cupit, ei per nos quantum quidem ipſe volet, delirare & inſanire permittatur.

IX. Ex quo principio approbare nequeo, Carteſium Scepticorum næniis audiendis & retundendis adeo dediſſe locum in Philoſophiæ ſuæ initio: Siquidem abſque recenſitis iſtis dubitationibus hyperbolicis & inſanis, vigilemne an ſomniem, corpuſne habeam, an non habeam, poterant dari & ſtabiliri ſolida Philoſophiæ fundamenta, ex cogitatis intimis & conſciis deſumpta, iiſque non pauca ſuperexſtrui egregia, quibus deinde ſi iſti graculi ſuas veniſſent objectatum murmuratiunculas ſomniorum, obiter ad ſummum reſponderi potuiſſet, datis morbo huic particulari veluti potiunculis quibuſdam ſpecialibus, quarum contra id genus phreneſeos validitatem lectores cæteri tunc quidem animi gratia perſpicere potuiſſent, non autem credere ſeque initiò gerere acſi ipſi etiam iſtis opus haberent pharmacis, putareque ea in omnem debere influere certi-

IX. Male Carteſium duxiſſe in principio Philoſophiæ opus eſſe convincere Scepticos.

tudinem: quo ipſo multi ſe ſpectantes ac ſi quoque iſto ſtultitiæ dubitatricis genere laborarent, ex ea imaginatione ad hunc morbum de facto ſic diſpoſiti ſunt, ut ex eodem poſtea liberari vix potuerint.

X.
Id nocuiſſe & Philoſophiæ ipſi; & diſcipulis ejus erranti inſignis anſam dediſſe.

X. Id quod in Philoſophia Carteſiana peſſimum habuit effectum, non ſolum quod ex hoc argumento multorum vexationibus ea mire fuerit exagitata: ſed etiam quod multi Carteſiani, iique vel omnium conſenſu ſubtiliſſimi, inde devenerint in ejuſmodi Scepticiſmum ex quo poſtea per Philoſophicum apparatum omnem exſolvi nequiverunt. Exemplum præbet in ſe vel primarius inter eos Malebranchius, qui hac via eousque in Scepticiſmum prolapſus eſt, ut niſi ad eum relevandum revelationis machina admoveatur, concedat incertum eſſe dari corpora, contendatque omnia præter apparentias poſſe nil aliud eſſe. Nempe accidit interdum ut qui volunt ſimulare ſe ægros eſſe, aut ſibi id imaginari, & ægros agere nituntur, ægri revera fiant non modo; ſed &, quod plus eſt, inde quandoque moriantur. Accidit etiam interdum ut qui medicamen, quo ipſi opus non habent, volunt tamen adſumere, acſi eo haberent opus, morbum inde contrahant. Quid opus eſt ut homo ſanæ mentis, qui dubitare nequit de rebus de quibus nemo ſanus unquam dubitavit, ad ſanæ Philoſophiæ fundamenta ſtabilienda neceſſarium eſſe putet ſerio ſibi proponere inſanias meditatione perpendendas, quaſi ſine earum ſolutione ipſe

ipſe nec bene certus eſſet, nec ſane & ſolide fundatus? Quis non videt eo modo ipſum diſponi (præſertim ſi minus cautæ ſit prudentiæ) ut ſuam priorem firmitudinem, quam nemo ſanus in dubium revocavit unquam, tanquam minus certam ſibi repræſentet, eamque talem poſtmodum ſibi perſuadeat; tum eam perdat; & deinceps in ratiocinationibus nullum certitudinis, priori quidem æqualis, fundamentum reperiens, realia dimiſiſſe deprehendatur, evanida ut ſectaretur? Simili methodo nonnulli, prius in intimis ſuis certo certius ſupraque omnem ratiocinationem de Deo exſiſtente certi, cum certitudinem illam ſolidam ſeponere vellent, ut alii ex ratiocinationibus metaphyſicis petendæ inhiarent tenacius, & priorem amiſerunt, & poſteriore etiam non gaudentes ad lubitum, athei miſere facti ſunt. Nempe quoniam non poteſt reſponderi iſtis inſanis dubitationibus per ratiocinationes tantam certitudinem habentes & ingenerantes, quanta erat realitas ſoliditaſque, qua de rebus iſtis ante dubitationem certiores fiebant; hinc poſtquam ſolido remoto & poſtpoſito, ſolidius quid quærebant in eo quod revera & infirmius erat & umbratile, utrumque amiſerunt, ſimiles cani iſti æſopico, qui non contentus vera carne quam tenebat, umbræ etiam ejus in aqua inhians, dum ſeponeret realem ut umbratilem arriperet, utraque privabatur.

Sufficere igitur debet cuique non inſano &

& ſincere Philoſophaturo, veritatemque quæſituro, eam ejuſque certa fundamenta in ſe ipſo ſtabilire ſine reſpectu ad talia dubitantium ſcepticorum deliramenta, quæ poſtea vel calcis ictu proterere licebit. Atque id fieri poſſe, in Libris ſequentibus (a) oſtendetur.

(a) Inf. Lib. II. §. 10, 11, 12.

XI. Quomodo cuique in ſe quærenda veritas. Exempla & criteria veritatum primariarum & proximarum.

XI. Ex illo cognito, quemque debere in ſe quærere veritatem, hoc quoque colligitur vel intelligitur, debere eam quæri, præſentem quidem in modis quibus conſcii ſumus nos affici & tangi; futuram autem & poſſibilem in modis quibus affici & tangi poterimus. Et hac quidem occaſione antequam ad ulteriores Methodi inceptæ leges pergam, libet hic nonnullas à me & in me veritates proximas, primarias & capitaliores inquirere & exponere, tum etiam de notis ſive caracteribus aut criteriis quibus veritas inſignitur & agnoſcitur, quædam exactius diſſerere: quæ ipſa nos a filo orationis & methodi continuandæ non ſunt avocatura.

XII. A ſe ſeu a ſui conſcientia & ſenſu qui incipit ordine & ſincere philoſophari. eum convinci ſe eſſe rem cogitantem, deſi-

XII. Conſcius ſum omnium primo, me tangi & vivide affici mei conſcientia & ſenſu; me deſiderare ut intelligam vera & bona, quo deſideratis, perceptis atque intellectis, deſideria mea meque quantum fieri poteſt, jungens, iis, ſi pote, fruendo deſideriaque exſatiando, acquieſcam; & in veris quidem, acquieſcentia affirmationis; in bonis autem, amoris; in utriſque, lætitiæ. Vivida etiam tangor & minime dubia conſcientia de corpore mihi præſente & ad

ad me pertinente, deque multis aliis mihi per illud præſentibus, quæ in corpus meum, & hoc in meam animam, immotæ certitudinis vividitatem conſciam imprimant & excitant. Nec minus indubia experior conſcientia, me facultates deſiderandi, attendendi ſeu percipiendi, aſſentiendi, & plures alias, poſſe pro lubitu, modo ad hæc, modo ad illa objecta, idque plus minuſve applicare & determinare. Ita ut quicquid ſtridula futilitate auribus meis occinant Sceptici naſutuli (quos inſanos aliis hinc ſecuturis fundamentis & ratiocinationibus, eorum nænias evertentibus, confutandos relinquo) nullatenus apud me ſerio dubitare poſſim, me eſſe, conſcium & cogitantem eſſe, optandi, intelligendi, acquieſcendi, amandi, lætandi actibus & potentiis gaudere; & corpore proprio multis aliis circumcincto eſſe præditum; ac præterea pollere libertate, ſive potentia determinandi cogitationes motioneſque plurimas ex principio mihi intimo, nec a me diverſo, nec ab alio quam a me determinato.

derandi, intelligendi, acquieſcendi, libere ſe determinandi facultatibus præditam, unitam corpori, cui multa alia adſint corpora, eam per ſuum afficientia.

XIII. Inſuper quamprimum per ætatem licuit generalius cogitare de rerum cauſis, deque objecto aliquo quod ſit cauſa mei & rerum omnium potens, bona, vera, juſta, immortalis, infinita, ſapientiſſima, liberrimaque, & perfectiſſima, modus intimus quo objectum illud cogitata mea tangebat, deſiderium inimitabiliter ineſcabat, intellectum veluti objectum illo dignum implebat & abſorbebat, acquieſcentiam ſedabat,

XIII. Deindeeundem ex ſenſu intimo ante omnem aliam demonſtrationem, convinci de Dei exſiſtentia.

bat, amorem percellebat, lætitiam alliciebat, conſcientiam juſti & injuſti, boni & mali immutabilibus ictibus feriebat, meque totum penetrabat & afficiebat, modus inquam ille erat talis, ut ſine ulla alia demonſtratione & ratione præter ſenſus immediatos, quos de hoc objecto habebam ubi primum ejus eram ita conſcius, nequaquam permiſerit me magis de illo exſiſtente, hoc eſt, de Dei exſiſtentia, dubitare, quam de exiſtentia mei ipſius meique corporis, vel Solis vivide aſpecti, uti & aliorum corporum, de quibus etiam nemo ſanus unquam dubitavit; & de quibus ante & ſuper omnem ratiocinationem & demonſtrationem ego cum aliis indubitate convincor.

XIV. Aliorum de Deo exſiſtente dubitationes noſtram non labefactare inconcuſſam certitudinem.

XIV. Et quamvis dentur qui de hoc objecto exſiſtente, Deo ſcilicet, dubitent, hoc me nunc (qui ſolus a me, in me & pro me initio philoſophari debeo) non magis movet aut dubium reddit, quam moveor inde quod dentur etiam inſani qui dubitent an corporibus ſint prædit, an Sol quem reſpiciunt exſiſtat, an ipſi inter corporea verſentur. Fortaſſis iſtiuſmodi de Deo dubitatores de induſtria ſeſe excœcarunt, intimis ſuis non ſatis nec debite attenderunt, illa corruperunt, ad alia ſe converterunt, facultates ſuas ſine ordine direxerunt, aut alia commiſerunt errata illis ſimilia quæ mox recenſebimus; unde non mirum ſi objectum, cujus exſiſtentiam alii vel mediocriter diſpoſiti indubitatam agnoſcunt, ipſi non percipiant male diſpoſiti: haud ſecus ac ſi quis vel

vel oculos ſibi eruiſſet, vel in obſcurum barathrum ſe præcipitaſſet, Solem corporaque circa ſe exſiſtentia non poſſet amplius percipere, quorum tamen exſiſtentiam citra omnem dubitationem, demonſtrationem, ratiocinationemque alii certiſſime agnoſcunt. Atque ex quo animadverto, mentis meæ functiones circa intellectualia per corporea, quibus implicatus ſum, impediri multum; plane perſuadeor id ni eſſet, intellectualia, maxime vero ea quæ Deum concernunt, mihi non modo indubitata fore; ſed & omnium prima occurſura, meque ſua penetrantiſſima affectione perplene tranquillatura.

XV. Ut autem & ejuſmodi dubitatores, (ſi forte quidam ex infirmitate nec irriſorio & malo animo eo delapſi ſint, atque ad frugem poſſint redire,) de veritate exſiſtentiæ Dei convincantur via eis accommodata; id, quia non poteſt commodè fieri antequam de erratis videamus quæ hactenus commiſſa ſunt ab iis, qui ſe profeſſi ſunt veritati quærendæ incumbere quatenus ea ex intima mentis conſcientia erui poteſt; id inquam paululum differemus, prolaturi forſitan (a) ſuo loco demonſtrationes, præ quibus ipſæ Carteſianæ, etſi veræ, umbræ tamen fuerint tenues. Nunc autem, ne ordinem pervertamus, tempus nondum eſt de aliis convincendis cogitare: ſaltem unusquiſque adhuc, a ſe & in ſe philoſophari incipiens, ſibimet intus bene attendat, quodſi faciat, certum eſt eum de ſe conſtante ex mente & corpore, facultatibuſque intellectuali-

XV. Illis non hic ſed ſuo ordine & loco eſſe ſatisfaciendum.

(a) Vid. infr. in parte tertia num. IX. &c.

ctualibus & corporeis, nec non de Deo potente, vero, bono, juſto, libero, perfectiſſimoque exſiſtente, fore cum acquieſcentia certa ſecuriſſimum.

XVI. Carteſii & ſuorum *erratum*, dum velocius ac par eſt, ubi vix quædam generalia de Mente & Deo ſuo more demonſtrarunt, provolant ad ſpecialiora & phyſica, ingenti prætermiſſo hiatu.

XVI. Vixdum Philoſophi, maxime vero Carteſius cum ſuis, partem horum de mente & Deo ſtabiliverant ſuo more, cum protinus hinc aberrarunt, ſeſeque inde recipere cogitarunt ad ſpecialiores rerum facultates, quales ſunt voluntatis, intellectus, libertatis, aliarumque rerum cogitantium explicandas, & præſertim ad rerum corporearum naturam veritateſque inquirendas, quibus præmittunt aliqualem inquiſitionem de criterio veri. Verum enimvero non ſatis animadverterunt, ingentem hic adeſſe hiatum, qui implendus ante & pervadendus erat, quam de iſtiuſmodi & de quam plurimis aliis veritatibus cogitaretur: ſine quo, dum pes ulterius protenditur, in præcipitia falſorum innumerorum ſi ſe conjiciant omnes, haud adeo mirandum fuerit.

XVII. Carteſii & ſuorum in inquiſitione veri triplex incogitantia, plurium erratorum cauſa.

1. Primum quodvis criterium arripiunt.

XVII. Si quis menſurandarum rerum quarumlibet ignarus, eas tamen diſcere vellet menſurare; atque ideo menſuram primo forte obviam, v. g. ulnam aut decempedam, pro menſurationis criterio arriperet; deinde verò nullius ductoris auxilio adjutus, quin & tenebris obſitus, & membris atque animo haud bene ſanus rem inceptaret, quid aliud quam ineptiret, & in mille abſurditates atque errores incideret, in rebus etiam aliunde facillimis? Criterium enim iſtud ut aptum quibusdam rebus menſurandis eſt, ita ad

ad alias, quæ bilance aut vaſis cavis menſurantur, tum & ad remotiora & inacceſſa eſt ineptiſſimum : præterea & de auxilio neceſſario & de ſanitate facultatum recuperanda prius fuerat cogitandum. Simile quid eſt in veritate rerum perquirenda. Errari ſtatim atque omnino ineptiri poteſt, 1. ſi quis primum quodvis criterium arripiens, applicet id rebus aut veritatibus quæ ex alio criterio perpendendæ ſunt : 2. ſi cauſam omnis luminis, omniſque boni & veri, Deum, nec ſatis noſcat, nec in mente habeat : 2. ſi denique ipſe facultates proprias earumve ſtatum, firmus-ne an debilis & corruptus ſit, neſciat. Quæ omnia præcedere debere, ipſe rerum ordo, nemini ſine tenebris & erroribus inde proventuris violandus, evidenter indicat. Et hujus quidem rei ordiniſque omiſſionem inter prima errata Philoſophorum modò enumeravimus, eamque cæterorum eſſe fontem univerſalem annotavimus, quam proinde evitare ſatagemus conſiderando de veritatum variis generibus, de Deo, deque mentis noſtræ facultatibus, ea quæ ad hoc facere videbuntur, ut deinceps in veritatis via & fruitione ſine erroris periculo poſſimus pedetentim proficere.

2. Veri fontem dum nec ſatis norunt, nec prope ſunt.

3. Nec attendunt ſuæ facultates utrum in bono ſint ſtatu an ſecus.

XVIII. Obſervandum primo (quod nec multos latet, tametſi nec penitus ſatis inſpectum) Veritatem recte initio diſtingui in veritatem materialem ſive facti; & in veritatem mentis, ſive conceptus aut conſcientiæ, ſive, ut ſic loquar, afficientiæ. Veritas materialis conſiſtit in hoc, quod res ſint prout reve-

XVIII. Obſervationes ad ſequentia. Veritatem primo recte diſtingui in materialem &

mentalem.
- In utroque genere dari veritates bonas, malas, & futiles atque vanas

revera ſunt, ſive corporeæ ſint, ſive cogitantes: ita, in his, quando cogito ſolem, circulum, chimæram, veritas eſt me hæc cogitare: & quando ſum in tenebris aut erro, veritas eſt me errare & eſſe in tenebris. Hæ veritates materiales tanti æſtimandæ ſunt, quanti materiæ ipſæ, quæ ſi ſint magnæ, mediocres, parvæ, futiles, malæ; veritates hæ fuerint etiam magnæ & momentoſæ; mediocres, parvæ, futiles, peſſimæ, & quas optandum eſſet non dari. Ita, Deum non amari, hominem peccare aut damnari, veritates ſunt peſſimæ, quæ utinam nunquam fuiſſent, nec forent in poſterum: pulviſculos tot numero totque motibus agitatos dari inter hoc illudve ſpatium, & ſexcenta ejuſmodi, veritates ſunt nullius momenti; quales & infinitæ dantur aliæ. Quæ ideo annotanda, ut quando quis vacare volet mentalibus ſive conceptuum veritatibus, quæ potiſſimum in conformitate conceptus cum rebus aut materiis ipſis conſiſtunt, non patiatur ſibi ſplendido *veritatis* nomine imponi; quaſi omnia quæ glorioſo hoc encomio inſignirentur, digna eſſent occupatione & exiſtimatione noſtra: ſed vel hinc ſciat, res ſi fuerint vanæ, inutiles, aut malæ, vanas inde, futiles atque noxias veritates ſe adepturum. niſi animo id faciat ipſa vana aut mala impugnandi & averruncandi. A dignitate veritatis rei, dignitas veritatis mentalis & afficientiæ pendet & exſurgit potiſſimum.

XIX. Hæc autem conſiſtit in eo, ut mens,

mens, ejuſve facultates percipiendi, ſive intellectuales ſive ſenſibiles & quæ corporea reſpiciunt, ita evidenter & luminoſe afficiantur ſuis objectis, ut in hujuſmodi affectionibus characteres ſint cum objectis ipſis aut cum objectorum habitudine ad nos conformes. Veritas itaque hæc in conformitate aut in correſpondentia conſiſtit, quando perceptio mea afficitur eo modo cui reſpondeat in Dei natura aut ideis, aut in rerum conſtitutione, principiis, ſtatu aut connexione, aliquid ſimile vel conforme, quo ſine, veritas ejuſmodi in me nulla eſt, chimærica eſt, & tantum de genere veritatis materialis modo dictæ, nempe, verum tunc erit, res quidem extra me eſſe id quod ſunt; me vero intus chimæras & ſomnia inania concipere. XIX. Veritas mentalis & afficientiæ quæ.

XX. Has autem correſpondentiæ aut conformitatis veritates ex conſcientia eorum quæ in me expertus ſum, in duas vel tres ſpecies aut claſſes divido, quarum unaquæque proprium ſuum habet criterium. Nempe quæ hactenus me affecerunt, ea fuerunt vel res ipſæ; vel rerum veluti umbræ, picturæ atque icones, non vividæ, quales ſunt res; ſed ſteriles, frigidæ, mortuæque. Nam quando perceptiones de me meiſque cogitandi facultatibus intimioribus habui, tunc me ipſum, rem ſcilicet ipſam cogitantem & ſpiritualem realiter percepi: idemque de Deo quoque, re ſpirituali, potentiſſima, optima, juſtiſſima dicere non dubito: perceptiones enim illæ vividæ de eo, XX. Veritates has in tres ſpecies diſtingui. 1. In reales ſpirituales. 2. In reales corporeas. 3. In pictas umbratileſque. Singularum exempla dantur.

quas

quas modo recenſui, non potuiſſe ab alio quam ab illo, mihi ſic in intimis meis præſentiſſimo & me movente, proficiſci, indubitate ipſe ego quoad me (quod jam mihi ſufficit) certus ſum. Similiter quando oculos aperui, & Solem atque alia cum meo, corpora percepi, tunc me ipſas res corporeas percepiſſe vividis ſenſationibus, niſi ſponte inſanire velim, in dubium quoque nequeo revocare. At quando vivida Dei affectione abſente, aut clauſis Soli oculis, volui niſu quodam & contentione activa in me revocare & veluti præſentes ſiſtere menti res eas (Deum, Solem,) alioqui abſentes, aut mihi repræſentare præterea alias quaſdam earum proprietates & affectiones; tunc bene ſenſi, ideas iſtas Dei, proprietatum ejus a mea ratione inquiſitarum, ideam Solis luminiſve ejus abſentis, & ſi quæ illius proprietates, jam non res ipſas; ſed rerum picturas ſteriles & veluti mortuas eſſe, quæ nec me vivide afficiunt, illuminant, calefaciunt, nec rebus me faciunt potiri.* Unde diſtinguo veritates in veritates reales, haſque in ſpirituales, quibus ipſis rebus ſpiritualibus afficimur; & corporeas, quibus tangimur ipſis rebus corporeis; & in veritates pictas ſive umbratiles, quibus rerum ideis ſeu picturis tantum gaudemus, ſive picturæ ſint de rebus ſpiritualibus, ſive de corporeis, hiſque vel imaginatione, vel ratione pura ſeu intellectione depictis. Has maximi neceſſariique momenti diſtinctiones an cæteri capiant, neſcio;

neſcio; mihi quidem ſincere mecum agenti omnium ſunt indubitatiſſimæ, eaſque in omni re animadvertere queo vel palpabiliſſimis omnium modis. Dei, rerum, affectionumque divinarum ideas dæmones & peſſimi quique habere poſſint, ipſas res & affectiones nequaquam: divitiarum ideas habet mendicus, ciborum famelicus, res affectioneſque earum reales nequaquam.

XXI. Tribus hiſce veritatum ſpeciebus deſtinatæ ſunt in omni mente ſuæ facultates, nempe realibus ſpiritualibus, intellectus quem paſſivum appellabimus; realibus corporeis, facultates ſenſuum corporeorum tam externorum quam internorum; pictis vero & umbratilibus, facultas intellectus quem activum dicemus, qui idem eſt cum facultate humanæ rationis. Atque ſic cavendum eſt, ne quis unius generis veritatem per facultatem alteri generi propriam capere contendat: perinde enim erraret, ac is qui lumen auribus, aut ſonos oculis, aut cogitata manibus percipere vellet. Si quis ergo res ſpirituales atque vividas, lumenque ipſum Dei, per rationis ſuæ activitatem percipere & intelligere vellet, is omnium erraret turpiſſime; haud ſecus ac ſi corporum exiſtentiam & poſituras ex intellectus ſupremi facultate, aut ex rationis ſuæ umbratilibus ideis percipere tentaret. Hoc male obſervatum, inter prima veritatem quærentium ſeu philoſophantium *errata* omnino eſt annotandum.

XXI. Tribus hiſce veritatum generibus reſpondere tria facultatum in homine genera 1. Intellectum paſſivum. 2. Senſus corporeos. 3. Rationem ſive intellectum activum.

XXII. Reſpondent autem ternis hiſce

XXII. Quibus etiam terna reſpondeant lumina. 1. Divinum. 2. Naturale externum. 3. Lumen umbratile rationis.

facultatum claſſibus, inſuntque tribus iſtis veritatum ſpeciebus, tria luminum genera, Divinum, naturale externum, & umbratile rationis, ſive (ſi mihi ſic loqui ſine repugnantiæ ſpecie liceat) naturale metaphyſicum, vel philoſophicum. Quorum unumquodque quando facultates ſibi deſtinatas & aliquatenus bene diſpoſitas ferit, evidentiam talem in iisdem, atque adeo in anima, parit, ut quamvis iſta claritas forte millies evidentior fieri queat, & creſcere (uti revera in multis poteſt) in infinitum, acquieſcat tamen anima veritati de objecto, ſaltem quoad exiſtentiam, fruitionem, affectionesque generaliores ſpectato, aut (ſi res ſit de facultate rationis) de ejus natura generaliore.

XXIII. Ad Criteria veritatum prænotanda quædam. 1. De Veritatum in generales & ſpeciales diviſione.

XXIII. Quæ ut diſtinctius percipiantur nonnulla inſuper ſunt prænotanda. 1. Veritatum iſtarum ſpecies debere præterea diſtingui in generales quæ concernunt generaliora & maxime neceſſaria naturæ exiſtentiæque rerum, mentis, corporis, eorumque modos, actus, partes, nec non & numeros, motus & quæ ſunt hujus generis communiora; ſine quibus de naturæ rerumque exiſtentia nil conſtaret; & in ſpeciales ac particulares, quæ concernunt ſpecialiora, quæ in rerum ſtatum individuum & ſingularem, ex principiis generalibus ſingula per ſingulariora principia, ſingularioreſque vias, in ſuum quæque ſtatum & locum diſcreta devenere. 2. Quamvis ſæpe una eademque res diverſis evidentiæ gradibus in infi-

infinitum creſcentibus percipi poſſit, minoriſque gradus defectus ad majorem comparatus pro gradu obſcuritatem involvente poſſit haberi; non tamen ideo perceptionem minoris gradus fieri vel incertam vel dubitationi obnoxiam: tum quia iſta obſcuritas non eſt poſitiva (ut ſic dicam,) hoc eſt, ex confuſione aut inordinatione aliqua oriunda; tum quia percipiens, eo in ſtatu, nec eſt nec eſſe poteſt gradûs abſentis conſcius; tum maxime quia Deus quemcunque gradum evidentiæ illius ſic conſtituit, ut indubitato conſciam faceret mentem de objecti exſiſtentia & generalioribus ejus actibus atque effectis. 3. Tertio non confundenda eſt evidentia perceptionis objecti in me indubitatè agentis meque afficientis, cum evidentia cognitionis formæ, naturæ, proprietatum & effectorum ejuſdem objecti in me agentis. 4. Quarto notandum eſt aliud eſſe, ſeu alium eſſe mentis actum, quo poſſidetur evidenter id ipſum per quod noſcitur, ſentitur & acquieſcenter poſſidetur veritas; alium vero actum, quo ſcitur reflexivo modo, quid ſit hoc ipſum, quod *criterium* vocatur veritatis. Prius ad veritatis poſſeſſionem eſt neceſſarium & eſſentiale, poſterius non eſt. Ruſticus qui videt ſolem in meridie, non minus vere videt, ſcitque indubitate ſe videre, etſi neſciat tam bene quo criterio hæc ſua viſio diſtinguatur a ſomno nocturno ubi ſibi viſus eſt eundem Solem videre; quam Philoſophus qui iſthæc ex arte & ideis ſuis deduceret. Ita ſimpliciores

2. De certitudine in incremento evidentiæ.

3. De evidentia perceptionis objecti qua afficientis, vel qua talis naturæ.

4. De evidentia poſſeſſionis ſive CRITERIO veri; & reflexionis ſive cognitionis iſtius *criterii*.

ciorum non minus vere, Deum exſiſtentem & in ipſis operantem ſciunt indubii, quam Philoſophi exſiſtentiam hanc ex rationis ideis demonſtrantes: imò hi forte eum minus norunt, quando plus roboris putant ineſſe pictis vel umbratilibus idearum ſuarum argumentis, quam vividis objecti ipſius actibus & præſentiæ efficaci in ſimpliciorum mente.

XXIV. Dari ſex criteriorum veri ſpecies.

XXIV. His poſitis vel ab unoquoque in ſe penſitatis & obſervatis, concludo ſequentia de diverſis criteriorum veri ſpeciebus.

1. Prima criterii ſpecies de veritatibus generalioribus ſpiritualibus realibusque.

Primo. Veritas realis rerum ſpiritualium, maxime vero divinarum, quoad generaliora, puta, exſiſtentiam operationeſque in mente communiores, conſtat charactere & criterio non evidentiæ ſive claritatis cognitionis penitioris objecti, ejusve naturæ proprietatumque intimarum & reconditiorum; ſed charactere & criterio evidentiæ perceptionis divinæ, ſive affectionis meæ quâ vivide afficior ab objecto in me vires ſuas exercente eis modis, quibus ſuperius (a) dixi me de ejus exiſtentia convinci. Et notandum eſt, hanc certitudinem veram atque realiſſimam interdum a claritate cognitionis objecti operationumque ejus ſic diſſolvi, ut in meris tenebris ſibi aliquis eſſe videatur; imo & vividitatem affectionis aliquando, (quo craſſior ſenſus amorque proprius deponantur & elevetur animus,) ſic diſparere poſſe, ut ſola fere imperceptibilis remaneat in reconditioribus mentis ſupra

(a) Supr. §. XIII.

pra omnem ſenſum acquieſcentia in Deo occulta: quæ immota & ineffabiliter ſublimis acquiſcentia ſummum & puriſſimum animæ fidelis & perfectioris ſignum & probatio eſt, ut alibi dudum (a) demonſtravi. Sed ad priora faciliora, & quæ incipientium ſunt, ut revertar, non dubito quin unuſquiſque, qui ordine & cum ſinceritate in ſeſe ea, quæ modo diximus, perpendere volet, eorum ſentiat mecum realem veritatem. Si qui autem dicant, id ſe non ita experiri, quid noſtra refert? Erratis imputent ſuis quod eouſque inſenſibiles facti ſint.

(a) Cogit. Ration. Lib. II. cap. 8.

XXV. Secundo, Veritas realis rerum divinarum & ſpiritualium ſpecialior, puta rerum quoad naturam ſuam, ſuas proprietates, actus, effecta individua quædam vel plura penitius cognoſcendarum, conſtat intus charactere & criterio evidentiæ ſive claritatis objecti cogniti, intus (quatenus cognitum eſt) lucentis & ſe manifeſtantis ejuſmodi lumine, ad quod ſi omne aliud lumen cogitabile comparetur, mera obſcuritas eſſe videatur. Hæc qui experti ſunt, de iis magis ſunt certi, quam de propria ſua, ut ſic dicam, exſiſtentia; namque revera ſe & minus ſentiunt & minus vident, quam lumen illud ineffabile quo ſe repletos & abſorptos experiuntur. Sed pauci ſunt ob plerorumque diſpoſitiones malas (de quibus poſtea) quibus iſta experiri liceat. Rem tamen ſic eſſe debere, patet ex eo, quod ipſe Deus, qui & omnipotens eſt & infinitus, hocce ſit ipſemet lumen, idemque

XXV. 2. Secunda criterii ſpecies, de veritatibus ſpecialioribus, ſpiritualibus, realibuſque.

que adeo omnipotenter & infinita virtute luceat, ubi ſe ſuasve perfectiones videndas vult exhibere. De quibus adhuc alibi agemus.

XXVI. 3. Tertii generis criterium, de generalioribus veritatibus corporeis realibuſque.

XXVI. Veritas realis rerum corporearum ſive naturalium, quoad generaliora, communiora & maximè neceſſaria, conſtat charactere & criterio evidentiæ tum objectorum quatenus nos vivide afficiunt & ad nos ſpectant; tum affectionis ipſius vividæ, præſentiam & actionem objecti involventis; non autem evidentiæ objecti quoad naturam intimam ſuam ſuarumque proprietatum affectionumque cogniti. Sic conſtat veritas realis exſiſtentiæ corporis noſtri, corporumque extra nos aliorum, diverſe figuratorum, motorum, quieſcentium, noſque multifariam afficientium, v. g. Solis, ex lumine ſuo vivido; aliorumque corporum, ex aliis quibus nos afficiunt modis, certis illis utique & indubiis, quamvis de natura & conſtitutione penitiori illorum corporum nondum hactenus conſtet.

XXVII. 4. Criterium quartæ ſpeciei, de veritatibus ſpecialioribus corporeis realibus.

XXVII. Quartò, Veritas realis rerum naturalium quoad ſpecialiorem ſuam conſtitutionem, ſuarumque proprietatum & effectuum naturam, ſtatum, vires, ordinationes individuas, conſtat charactere & criterió evidentiæ objectorum intus radiantium & afficientium iis modis vividis, quibus à Deo ad repræſentationem realem ejus virtutum excogitata fuerunt objecta, conſtitutaque & donata dotibus ſuis prodierunt, ac inter ſe collocata ſunt, ſuaque ſibi communi-

municant. His modis nemo res naturales veritate novit reali, niſi is cui Auctor naturæ detexit per vividas atque lucidas affectiones, earum rerum exemplares quæ in ipſo ſunt cauſas & vires donatas, atque inter ſeſe ordinatiſſime & admirabiliſſime vivideque compoſitas. Hoc uno oculi nictu, ubi vult, exhibere poteſt; ſed quam rarum id nunc ſit, dicto opus non eſt.

XXVIII. Quinto, Veritas umbratilis & picta rerum tum ſpiritualium tum corporalium, quoad generaliora ſua, nec non & ea quæ in eis earumque proprietatibus & actibus maxime ſunt obvia, communia & neceſſaria, conſtat charactere & criterio evidentiæ & claritatis idearum quarundam ſola attentione opus habentium ut certo ſciatur eas non eſſe imagines rerum & proprietatum fictarum & chimæricarum; ſed rerum ſaltem poſſibilium, & ideali modo veratum. Ita in cogitantibus, idea deſiderii cujus objectum ſit bonum; idea facultatis percipiendi, cujus objectum ſit verum: idea determinationis libertatis, cujus norma ſit τὸ rectum aut juſtum & ſimilia: in corporeis vero conſiderandis, extenſio, motus, figurarum proprietates ſimpliciores, numerique minus compoſiti, ideali hoc certitudinis modo per evidentiam, ſola attentione convincentem, cognoſcuntur.

XXVIII. 5 Quintum criterium de veritatibus umbratilibus generalioribus.

XXIX. Sexto, Veritas umbratilis & picta earundem rerum quoad ſpecialiora, penitioraque ſua eſſentialia, vires, proprie-

XXIX. 6. Sextum Criterium

veri, de veritatibus idealibus ſpecialioribus.

tates, effectus, combinationes, cognoſcendarum & deducendarum, ita ut vel totius univerſitatis vel cujuſvis in ea particularis ſyſtematis compages idealis complete habeatur, conſtet oportet charactere & criterio evidentiæ & claritatis non tantum in ideis generalioribus, penitius & attentius quam præcedente articulo perſpiciendis; ſed & in partitione, deductione, combinatione & conſequentiis illarum: in quibus ſeorſim deducendis & percipiendis ſua adeſſe debet evidentia, ut & (quantum fieri poteſt & optandum eſſet) in omnibus ſimul reſumtis & coagmentatis evidentia totius ſyſtematis & ejus combinationum. Quod ſane & arduum eſt, & admodum paucorum: etſi dentur plures qui hinc inde unam forte atque alteram rei alicujus particularis veritatem idealem evidenter & inconfuſe aliquatenus percipiant. Aliud eſt ubi Deus, qui in anima agere valet, rerum vel univerſarum, vel quarum ipſi lubebit, particularium ideas & icones in ratione volet excitare. Tunc veritas hæc idealis ſua claritate & partium diſtinctione ſeſe tanquam indubitato prodet criterio. Verum id non accidit frequentius.

XXX. Non tam de ipſis criteriis quam de non examinandis aut de non tra-

XXX. Non eſt tamen quod quis adeo ſit ſollicitus, ſi forte has criteriorum & evidentiæ ſex ſpecies non poſſit primo niſu adeo facile concipere, aut conceptas, diu animo præſentes retinere: ſiquidem earum ſit natura, ut experientia ſua ſit ſuum cuique criterium aut ſui criterii præſentia, atque adeo,

adeo, quemadmodum dictum eſt, ubi adſunt, ignorari non poſſint: & vero recte quærenti verum, ſe ipſas ex ſe offerant, & per ſe animos certos faciant. Unde earum reflexa cognitio, hoc eſt, cognitio quod in his conſiſtant criteria & characteres diverſarum veri ſpecierum non tam ad inveniendum aut agnoſcendum verum neceſſaria eſt vel utilis, quam ad hoc, ut a falſitate ſive a perſuaſione falſa poſſeſſi veri abſtineatur, utque ab ea recedat quiſquis in eam incidit.

ſtandis unius generis veritatibus per criteria aliarum, eſſe laborandum.

Interim, ut brevius iſta omnia animo teneantur, huc redeunt cuncta. In nobis dari tres facultatum ſpecies, divinas, naturales, umbratiles: unamquamque ſua habere objecta, adeoque & dari trium generum objecta: & præterea pro facultatum & objectorum numero, tria luminum genera, divinum, naturale, & rationale; & denique tres affectionum ſeu ſenſationum (voce late ſumpta) ſpecies, emergentes unaquæque ex conjunctione facultatis cum objecto & lumine ejus; atque hic latet veritas, (eaque triplex) & criterium ejus, quando nempe facultas debita, jungitur apte cum objecto proprio in ſuo lumine. Et quoniam unaquæque ex tribus facultatibus, item & objectis, & luminibus, & affectionibus, vel generalius agunt, ſpectantur, lucent & afficiunt, vel ſpecialius; ideo, quod trinum ex ſe eſt, in ſenariam abit diviſionem vel conſiderationem prout modo explicui.

Præcipuus autem harum diſtinctionum fructus in hoc eſt, quod nemo, qui omnes ve-

ri ſpecies nondum expertus eſt, debeat unam ſpeciem examinare aut ſibi perſuadere ſe eam poſſidere, multo minus ad ejus adeptionem adſpirare, per facultatem, aut lumen, aut affectionem criteriumve vel characterem alterius ſpeciei, quemadmodum contingeret ſi quis reales vividaſque veritates divinas, generaliores aut ſpecialiores, examinaret per facultatem, aut per lumen aut per criteria veritatum umbratilium & idealium, quæ de rationis genere ſunt; aut etiam per facultates, vel per lumen, aut per criteria veritatum realium phyſicarum quæ ad facultates ſenſuum corporeorum pertinent: veluti ſi oculis animam ad lumen ſolis tentaret perſpicere: aut denique ſi quis veritates ideales *ſpecialiores* de natura penitiori aut facultatibus rerum cogitantium vel corporearum, earumve aliquot ſyſtematum, probare vellet a ſe poſſideri, ex comparatione vel allegatione *veritatum generaliorum* & maxime obviarum atque communium, quales ſunt veritates ideales maxime obviæ de numeris, figuris aut motibus ſimplicioribus, ex quarum comparatione cætera ſua conaretur aſſerere & comprobare. Quod ut committant, facile inducuntur ii Philoſophi, qui rebus Mathematicis ſunt aſſueti, veluti ſunt utplurimum Carteſiani: ex evidentia namque qua percipiuntur Mathematica ſua principia communiora, haud raro comprobare volunt, ſe & rerum ipſarum naturas, ſive ideas atque proprietates, eadem evidentia perſpectas habere: qua in re cum

Mathematicos & Carteſianos quandoque hic peccare.

cùm magnum ſubſit *erratum*, penitius ea eſt inſpicienda.

XXXI. Hic ſupponamus, ſi placet, (id quod poſtmodum probatum dabo,) facultates mentis noſtræ, præſertim rationis ſive intellectus activi, corruptas eſſe, torpidas, haut recte ſe moventes, lumineque vel caſſas prorſus, vel admodum deminutas. XXXI. Erratum quoddam ex mathematicis comparationibus oriundum & præcavendum.

In hac ſuppoſitione, ſive (quia illam ut talem aſſumo) in hac veritate, patet omnes de rerum univerſalium ſpecialiumque naturis ideas exactiores & penitiores, harumque formandarum aut noſcendarum facultates, in mente violatas aut obſcuratas vel omnino deletas eſſe debere, mentemque ipſam eo in ſtatu ineptam & inidoneam qua eas rectas reſtituat. Attamen, quoniam mens non ſupponitur annihilata prorſus, ſed ſuperſtes adhuc ac ſui ſuorumque actuum, præterea & corporis ſui aliorumque conſcia; eo ipſo ſequitur non poſſe ex corruptione hac mentis inferri talem obſcurationem aut deletionem veritatum generaliorum matheſeos, aut facultatum quibus illæ noſcuntur & tractantur; quemadmodum ex eadem neceſſario infertur obſcuratio & deletio idearum de naturis quarumcunque rerum & ſyſtematum, ægritudoque facultatum eas reſpicientium. Namque mens utut corrupta, modo ſupponatur ſui ſuarumque actionum conſcia, nec non & inter corporea vivens, ſeque ibidem cum corpore ſuo ſuſtentans, impoſſibile eſt quin debeat ſcire, aut debeat poſſe ſcire, ſe Ex ideis aut criterio veri Mathematici, non poſſe oſtendi rerum naturæ ideas poſſideri.

unam aliquam cogitationem ſemel habere, bis aut ter iterare, ſuum corpus duabus eſſe præditum manibus, digitiſque in unaquaque quinquies repetitis, qui cum totidem ſimul additi faciant decem: caput eſſe alius figuræ atque brachium aut crus, & hæc alius quam lapis cui impingit: omnes partes corporis ſui ſimul ſumptas æquari corpori toti; id totum eſſe majus qualibet ſua parte, & ſimilia, quæ ſi deberet ignorare, tunc nec eſſet ſui compos, & vero ſeſe regere atque vivere inepta foret. Itaque hæ veritates cum annexis ſuis, ſunt menti ſui conſciæ & inter corporea viventi veluti naturales: at non ita de veritatibus ideiſque exactis & philoſophicis rerum naturæ, quippe quæ dos gratuita & ornamentum ejus arbitrarium magis videntur, quæque utique experientia teſte, ab homine, ſalvo ejus naturali regimine, ignorari poſſunt, & ex corruptionis acceſſu ignorantur. Ergo probare atque illuſtrare velle, ſe haſce ultimas adhuc habere ex allegatione aut comparatione priorum, perinde eſt, ac ſi cœcus ex figuris aut numeris vel ex palpandi facultate, vellet oſtendere ſe veras lucis & colorum ideas habere, eaſque per priora illa explicare aliis cœcis tentaret. Nolim equidem affirmare omnes ſic præciſe ab unis harum veritatum ad alias progredi aut argumentari; at ſubeſt tamen quædam de poſſeſſione clararum idearum circa rerum naturas præſumptio, quando ejuſmodi comparationibus agunt; & vero poſtea ſibi faciili-

cillime perſuadent ſe rerum ipſarum ideas eadem evidentia noſſe, qua effata ſua Mathematica per comparationem allata; quod ſane longe a veritate abeſt, gratis aſſumitur, multis contrariatur cauſis, ipſique, ut videbitur ſuo loco, experientiæ.

XXXII. Interim animadverti velim iſtam veritatum Mathematicarum allegationem complecti ipſiſſimam ignorantiæ rerum naturæ allegationem. Etenim numeri & figuræ, ut quid reale ſint & exſiſtens, res numeratæ & figuratæ eſſe debent; puta res cogitans vel extenſa, a quibus numeri & figuræ non differunt niſi modaliter, non autem realiter: ſiquidem in natura non exſiſtant ſine iis rebus unum, duo, tria, triangulus, ſimiliaque abſtracta; ſed tantum res cogitantes vel extenſæ, una, duæ, tres; triangulata, idealiter ut cogitatio; aut formaliter ut extenſio: a quibus rebus cum numeratio & figuratio abſtrahitur & ſeorſim conſideratur, fit tantum conſideratio unius atque alterius cujuſdam craſſioris & communioris affectionis rerum earum; quarum naturas cæteraſque proprietates ſibi nihilominus incognitas eſſe, fateantur neceſſe eſt Mathematici, ipſi ſi ſincere rem fateri volent. Aut vero interroga ſodes, an vel naturam tantilli alicujus ſubjecti, aut pauculorum aliorum, quibus illud ſuum, unum, duo, tria, ſex, triangularis figura, applicant, vere cognoſcant, illamque ut explicent pete: & tunc eos, ni deſipere velint, quovis piſce magis mutos videbis. Ut jam non provocem ad innumeras rerum cogitan-

XXXII Matheſis plus ignorantiæ involvit quam cognitionis.

gitantium corporearumque ſpecies, proprietates, facultates, naturas, ſyſtemataque infinita particularia, e quibus ne unius quidem capilli, aut pedis muſcæ vel pulicis naturam intimam norunt. Ergo numeri & figuræ quando ad ſubjecta & rerum naturam referuntur, nec otioſe in ſolo cerebro circumvolitant, deſignant & inculcant nobis res, quarum immenſa nos tenet ignorantia. Adeoque ea, quæ ex iſthac ad veritates mathematicas provocatione gliſcit in animo faſtuoſu nimis de vero præſumtio, magnæ in iiſdem ſubjectis ignorantiæ agnitione temperanda eſt; nec vero ob unius atque alterius craſſioris, communioris indelebiliſque proprietatis cognitionem jactitare ſe debet animus, quaſi per hoc ipſum divitiarum ſuarum in cæteris notionibus poſſidendis daret ſpecimen & argumentum: ne forte per ſuum illud bis duo ſunt quatuor, & trianguli tres anguli duobus rectis æquantur, & ſimilia toties decantata, puerulos illos imitari videatur, qui ut ſe muſices peritos oſtendant, miſeram unam cantiunculam ad eandem chordam ſemper ſtridunt. Non uſum, ſed abuſum hic carpi, eumque obiter, & unum quidem, nemo non videt; taceo namque nunc perabſurde a Carteſio tentatum eſſe, ut ex Matheſi Phyſices deſumeret principia, quibus hanc potius totam perdidit. Sed iſta aliunde conſtare poterunt.

XXXIII. Quæſtio capitalis: XXXIII. Jam ad orbitam ut redeatur, patet quid reſpondendum ſit quærentibus. Quis ſciat ſein recenſitis veritatum ſpeciebus per-

perquirendis, & admittendis, claritate & evidentia ad unamquamque requiſita potiri? Reſpondetur; illum id ſcire qui revera has veritates & evidentias experitur. At, multi putant ſe eas experiri, & tamen falluntur; Veriſſimum. Quomodo igitur hanc fallaciam, & detegent ipſi, & evitabunt, ſi eam ex parte veritatis & evidentiæ quam quærunt, & ad quam reſpiciunt, nequeant evitare? Id procul dubio ab iis fieri poterit, ſi quod (a) ſupra dixi, non tantum ad criterium verigeneralius animum advertant; ſed & ad omnis boni & luminis fontem Deum bene recurrant & attendant, inſpiciantque præterea, num ſuæ forte facultates, menſque tota, in malo quodam corruptoque ſtatu languide & inordinate verſentur. Hoc ſi fuerit, tunc ſciant perinde ſecum eſſe, ac cum homine; qui terga ſoli obvertens, omni interim conamine ab umbra ſeſe expedire, puroque ſolis lumine frui eniteretur: aut ei qui verſus lucem, radios ſibi communicantem reſpiciens, oculis prave diſpoſitis, non poſſet non videre omnia perperam, quacunque etiam præſentis fulgoris abundantia colluſtraretur.

Quomodo quis ſciet evidentiam & verum criterium adeſſe ſuis cogitatis? Aut ſi putet adeſſe, & tamen fallatur, errorem ſuum deteget.

(a) ſupr. num. XVII.

XXXIV. Atque hic certe, ſi velimus in veritate proficere, neque vero falli, aut incertitudine fluctuare, ubi veritate nos potituros ſperabamus, examinanda ſunt iſta duo, quorum diſcuſſio neceſſaria admodum eſt, ut quis veri admittendi criterioque ejus utendi, ſit & capax & certus.

XXXIV. Ob duos defectus inſignes, homines de veritate eſſe incertos.

1. Et primum quidem, quiſquis ſe ipſum intus (juxta tertium cognitum legemque requi-

I. Defectus primus.

Averſio & abalienatio à fonte omnis luminis Deo. requiſitam) intuebitur, & ſine dolo (juxta ſecundam) examinabit, plus ſatis deprehenſurus eſt quantum Deo, immenſi luminis omniſque boni fonti, ſit obverſus: non tantum ex eo, quod illo, immenſæque ejus liberalitatis, potentiæ, luminiſque omnia penetrantis, tum bonitatis nunquam deficientis, felicitatiſque abundantiſſimis fluentis, atque virtutum & bonorum omnium copiâ optatâ non utatur, nec liceat iſtorum ad arbitrium fieri participem, quemadmodum deceret utique inter Ens optimum ſuique omnium maxime communicativum, & inter ens indigens quod ab eo averſum non eſſet; aut inter patrem & filios, amicumve cum amico: ſed & hinc maxime, quod ne quidem iſta ut decet, curet quiſquam, multo minus deſideret optetque cogitatione & affectu, aut quærat opere, prope Deum ut ſemper ſit, eumque reſpiciat perpetuò. Verum iſthæc pertinere videntur ad alterum membrum, corruptionem videlicet, de qua mox agendum, & ex qua abalienatio hominis a fonte veri amplius patebit. Itaque, ex primo hoc defectu, ſive averſione a Deo, fonte veri, mirandum non eſt, hominem veritate quæſita frui non poſſe, quamvis etiam haberet in genere criterium veri; veluti non eſſet unde miraremur ſi quis luci terga obvertens ejuſque haud particeps, nec noſſe, neque menſurare objecta poſſet, utut norma & menſuris aptis eſſet aliunde inſtructiſſimus.

2. Defectus alter corruptio. 2. Sed & illud ipſum multo magis eſt impoſſibile ex defectu altero, corruptione videli-

delicet noſtra, omniumque facultatum & totius hominis, atque adeo & facultatis rationis: cujus rationis partes maxime hic ſunt conſiderandæ, quando etiam generalius loquemur de univerſis cæteris. *ruptio facultatum mentis, atque adeo rationis.*

XXXV. Corruptio autem iſta noſtra, ſepoſita revelatione, ex principiis cuique innatis facile patet, modo juxta legem requiſitam alteram tertiamque, uti ſupponimus, unuſquisque in ſe & ſecum ſincere ac ſine dolo, nec ſibi ipſi blandiens, rem attente conſiderare velit. *XXXV. Corruptio facultatum rationiſque revelatione ſepoſita evincitur.*

1. Et primo quidem experientia & factis conſtat, corruptam eſſe mentem, ejuſque facultates, intellectum præſertim ſeu rationem: quæ experientia ſeſe nimioplus prodit intus & extus effectis mancis, ex quibus omnino colligendum eſt, cauſam depravatam & corruptam eſſe. Scilicet, conſtat naturale & legitimum intellectûs elementum, ut ſic dicam, eſſe lumen, & tamen de facto omnes immenſis undiquaque tenebris innatant: conſtat & finem ſcopumque intellectûs eſſe veritatem; & nihilominus omnes de facto, pro una atque altera macra & ſterili veritatiuncula, ſi quam habent, infinitis & fœcundis circa ſe ipſos cæteraque omnia erroribus implicantur. Conſtat & illud, humanorum intellectuum naturam eſſe eandem, veritates etiam in ſe unas eaſdemque eſſe: & nihilominus experimentis patet diſſentire omnes inter ſe de rebus iiſdem; ut vere ſint quot capita tot ſenſus. Tandem conſtat rationis incorruptæ & ſanæ actum debere eſſe ſanum, *1. Experientia idque modis quatuor.*

atque

atque adeo approximare homines veritati; tametſi videamus accidere, eoſdem, quo plus intellectus activitate utuntur, eo magis in diſſenſiones infinitas diſſipari. Ergo conſtat, 1. intellectum revera eſſe extra ſuum elementum; 2, eum a ſuo ſcopo fineque aberrare; 3, eundem in diverſas & oppoſitas perpetim ruere confuſiones; & 4. activitatem ejus, qua ſe ad ſcopum reſtituere, inque elementum ſuum vult referre, ita inepte conſtitutam eſſe, ut non tantum id non efficiat, ſed & ſe potius magis ab eo abducat atque removeat. Hoc eſt, ni fallor, conſtat, intellectum eſſe nunc de facto non modo ſimpliciter corruptum; ſed & multo maxime & horribilem in modum corruptiſſimum: niſi incolumitatis rei ſtatusque incorrupti proprietate & ſigna dicenda ſint, eſſe extra bonum ſtatum naturalem, extra finem & ſcopum ſuum, extra concordantiam, & extra activitatem bene agentem: id quod nemo, opinor, cogitaturus eſt.

2. Demonſtrative & a priori evincitur facultatum corruptio, a cauſa efficiente in homine actuata quinque modis.

2. Secundo eadem, & univerſalior adhuc totius omnino hominis corruptio, demonſtrative patet ex eo, quod infinitæ corruptionis cauſa efficiens, (aut, ſi mavis, deficiens) ſæpiſſime in ipſo fuerit in actum deducta: unde neceſſario ſequitur, effectum ſeu corruptionem ipſam in eodem eſſe productam.

Ex ſecunda & tertia lege requiſita & cognita, deſcendat quiſque in ſe, & ſibi in ſinceritate nullo dolo adſperſa attendat: hinc diſcet utique non dubitante conſcientia, 1, nos-

nos. Ens ſummum, omnipotens, luminoſum, optimum, noſtri & omnium cauſam munificentiſſimam, laudibus & gratiis continuis ac debitis non agnoviſſe & affeciſſe. 2. Ad idem, bonorum uti fontem ita & ſcopum, nos nec retuliſſe nos ipſos, neque etiam cætera; ſed omnia potius ad nos, ac ſi omnium ſcopus eſſemus ipſi, inclinaviſſe. 3. Neque nos rebus, facultatibus noſtris nobiſque ipſis totis legitime & juxta ordinem Dei eſſe uſos; ſed pro inordinatiſſima cupiditate omnia turbaſſe; rebus, objectis & facultatibus æternis caduca præpoſuiſſe, corporea ſpiritualibus, ſuperficiaria internis, neceſſariis acceſſoria, ſuperioribus infima, umbratilia realibus, & perdita noſtra placita propria ſanctiſſimis Dei beneplacitis: 4. & denique nos non curaviſſe auxilium lumenque Dei continuo nobis ut adeſſent; ſed quaſi ipſis non haberemus opus, eſſemuſque & fortes & luminoſi per nos ſatis, omnia ex lubitu & propria induſtria voluiſſe agere & regere; atque 5. quod pejus eſt, nos nec adhucdum inverſo & confirmato eſſe animo ut iſta emendemus. Quæ omnia quid aliud loquuntur quam (ut idem aliis verbis exprimamus) nos eſſe actibus & habitudine ingratos, philautia plenos, inordinatos, ſuperbos & impœnitentes? Atqui hæc peccata cauſa ſunt & in actum deducta & continuo agens corruptionis: eaque cauſa eſt in intimis animæ noſtræ penetralibus: ejus igitur effectus, hoc eſt, corruptio, intimis noſtris ineſt facultatibus, deſideriis, intellectui, ratio-

rationi, cæteriſque etiam infimis, quæ ſane incolumes & incorruptæ eſſe nequeunt: quemadmodum ſi cor ſit ægrum, cætera membra etiam externa & minus nobilia, male quoque ſe habere neceſſe eſt.

XXXVI. Ex juſtitia Dei ſequi abſentiam luminis in homine nec non ejus ineptitudinem ad veritatem.

X X X V I. Præterea cum Deus ſe ſuamque juſtitiam negare non poſſit; juſtum autem ſit, averſis a Deo, ingratis, philautia captis, inordinatis, ſuperbis, & quos iſtorum criminum nondum pœnituit, quique necdum ea ejuravere, non ſubminiſtrari ea quibus ſunt indigni, & quibus dudum quidem abuſi ſunt, mox vero adhuc ſunt abuſuri, ſequitur ex juſtitia Dei, eis ſubtrahi debere, vel potius, non continuari lumen, auxilium, vires, rectitudinem, quibus utique intellectus eorum, ratio, activitas aliæque facultates corruptiſſimæ, vellent omnis generis rerum veritates, naturas, vaniſſimaque etiam & futilia perreptare, ad delectationem commoditatemve amori ſuo proprio & ſuperbo quærendam & exhibendam. Hæc illis ſi præſtaret Deus, approbaret ſui ipſius, quæ ab illis fit, prætermiſſionem, & a ſe ipſo juſto diſſentiret.

XXXVII. Obex Veritati acquirendæ obductus, & hiatus ingens a Philoſophis diſſimulatus, con-

X X X V I I. Hic igitur Veritatis cognitioni ulteriori ejuſque fruitioni acquirendæ, ab averſione & defectione hominis, ab ejus depravatione, a Deo juſto, clauſa eſt janua, firmiſſimuſque objectus obex. Eum autem quis removebit? januam quis aperiet? Hic nos inter, & amabile veritatis pomœrium, ingens abyſſus interjacet & hiatus maximus, de quo prius implendo non cogitant Philoſo-

ſophi: unde eos greſſus ſuos veritatem verſus continuari putantes, in tenebras & falſa præcipites ruere, neceſſe eſt. Hunc autem hiatum vel ex cæcitate Mentis corruptæ non perſpiciunt; aut ex dolo animi minus ſinceri, ea quæ ſuperbiæ ſuæ amara forent & ingrata refugientis diſſimulant. Sunt enim, hiatus ille hominum, præcipue vero Philoſophorum, pudenda Errata ſex, inter Prima & præcipua annumeranda, nempe 1. deſertio Entis ſummi: 2. ingratitudo erga illud: 3. amor proprius & adhærentia cujuſque ſui: 4. inordinatio & ἀταξία ſui, facultatum, regiminis, ſtudiorum, rerum: 5, ſuperbia animi propriaque in ſe confidentia: & 6, impœnitentia. Quæ errata niſi prius ante omnia corrigantur, ad veritatem ulterius progredi non dabitur; ita ut revera oleum & operam perdant atque nugentur Philoſophi, quotquot de minuſculis neſcio qualibus erratiunculis circa futilia quædam objectula evitandis ſunt ſolliciti, dum interim principes hoſce errorum fontes, omnes mentis capacitates & facultates venenatis fluentis ſuis inundantes, obſtruere prætermittunt. Æger ubi de ſe non cogitans feſtucis quibuſdam & pulviſculis colligendis incumbit, eſt profecto deplorati ſtatus. Medicus qui ægri capillis curandis & tuendis ſeſe daret, dum interim nobiliores partes exitiali morbo impugnatas negligeret, alium utique quam Medici titulum mereretur. Et tamen ita ſe gerunt omnes in mentis ſuæ ægritudine propria homines; in alio-

ſtans ſex aliis craſſis eorum Erratis præcipuis.

rum

rum ægritudine ſananda, Philoſophi.

XXXVIII. (4) Quarta veræ Methodi Regula: Agnoſcendam eſſe unicuique corruptionem ſuam, unde a veritate alienus & ad omne falſum & malum proclivis eſt.

XXXVIII. Debebant potius inter Cognita ſua *prima* hoc, quod quartum eſt ordine, numerare, atque nobiſcum quartam legem veræ methodi ſtatuere hanc; Agnoscendum esse cuique se esse corruptum, atque in eo statu Veritatis acquirendæ incapacem. Unde neceſſe eos, ſi pergant, in omne falſum & malum, ipſumque tandem Atheiſmum & Libertiniſmum prolabi.

XXXIX. Philoſophorum Gentilium errores unde. Rom. c. 1.

XXXIX. Id quod olim Paulus obſervavit gentilibus Philoſophis ea de cauſa accidiſſe in loco nunquam ſatis memorando ad Romanos. *Illi cum cognoviſſent Deum* [poſt agnitionem ſive demonſtrationem exiſtentiæ Dei] *non ſicut Deum glorificarunt* [ei non adhæſerunt tanquam fonti omnis veri & boni,] *neque gratias egerunt* [fuerunt ingrati;] *ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis*, [vano amore proprio ſibi ſuiſque cogitatis & ſpeculationibus naturalibus, minutiſque & evanidis adhæſerunt.] *& obſcuratum eſt inſipiens cor eorum* [facultates internæ omnes in tenebras, adeoque in confuſionem & ἀταξίαν ruerunt,] *& dicentes ſe eſſe Sapientes, ſtulti facti ſunt*: [& per ſuperbiam ſuam & confidentiam in ſe, profitentes ſe ſapientiam, veritatem, philoſophiam eſſe adeptos, non modo longe a veritate in falſitatem, ſed & in inſaniam inciderunt.] *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, &* *qua-*

drupedum, & *ſerpentum*: [in hoc præ-
itium jam inciderunt qui ex Carteſianiſ-
ſeſe in Spinozianiſmum dedere præcipi-
, quibus Deus nil jam aliud eſt quam
ndus corruptus ipſe cum univerſis creatu-
, ita ut omnes & ſingulæ nil aliud apud
s ſint quam Deus vel ſubſtantia Dei diver-
ode modificata ac diſpoſita.] *Propter*
d tradidit illos Deus in deſideria cordis eo-
r, [hæc eſt ejuratio omnis conſcientiæ,
ncipiorum internorum juſti & æqui, ve-
que & internus Libertiniſmus, quem
nc apud multos latere, nec niſi per hu-
nos reſpectus præpediri quo minus erum-
t, timendi locus eſt: addit Paulus eos &
ditos eſſe] *in immunditiam* aliaque externa
lera abominanda, quæ ipſiſſimus ſunt Li-
tiniſmus externus; fructus ſcilicet omnium
npletus & maturus, poſt quem nil ex-
ctandum ſupereſt, præterquam ejus meſ-
& collectio, hoc eſt, exciſio & proje-
o in abyſſum illam, quo omnia mala tan-
m á Deo ſunt præcipitanda.

XL. Verum iſta omnia de corruptione ixerit forte nunc aliquis) Theologiam ectant, & non Philoſophiam, neque adeo s Philoſophos. Audi ſis, amice Objecta-, ſi doloſa mente (contra Leges & cogni-ſuperiora) tecum ipſe vis agere, iſta uti-e & omnia ſequentia, te non ſpectant: inque modo illa & perge in viis tuis. Agi-is cum ſinceris, qui ſi ordine, ſi in ſe ndide rem aggrediantur, ea utique ſic ſe bere obſervaturi ſunt, quocunque poſtea

XL. Corruptionem hanc non Theologiam modo, ſed & Philoſophiam ſpectare.

no-

nomine ea indigitari debere contendas. Hæc de nomine cavillatio, hominis eſt doloſa mente ſe emendare tergiverſantis. Paulum iſta quæ diximus nævis Philoſophorum acenſere, cauſiſque ſuorum errorum, modo vidimus; & ipſi proxime antè tenebrarum hanc & errorum eſſe originem, oſtendimus. Quæ nunc quidem ſufiecerint: alibi de nomenclatura forſan diſceptabitur. Nunc de rebus agimus quas in nobis interna detegimus meditatione. Non eſt unusquiſque in hominem duplicem, Theologum puta & Philoſophum diviſus, ſed unum idemque eſt ſubjectum, unas easdemque habet facultates, quæ ſi ægræ ſint & morbo corruptæ omnes, velitque tamen iis recte uti, ſanentur illæ prius a morbo neceſſe eſt. Fateor dari in homine facultates, quarum aliæ Theologica, divina & æterna ſpectant, aliæ naturalia & caduca, externa, aliæ ideas rerum & philoſophica. Sed quia a ſuperioribus & divinis facultatibus pendent inferiores, inter quas & ratio (philoſophiæ inſtrumentum,) illæ ſi obtenebratæ & corruptæ fuerint, corruptio hæc ad inferiores quoque devolvitur, quæ, quemadmodum eâ inficiuntur & debilitantur, ſic niſi illâ ſublatâ & ſanatâ, in integrum reſtitui non poſſunt Terra illuminatur a Sole & a Luna: ſed ſi Sol obſcuratus eſſet, profecto & lumine Lunæ careret terra, & a legitima Solis reſtitutione penderet luminis lunaris in integrum reſtitutio. Pictor v. g. gaudet facultatibus ſano modo ſe movendi, beneque videndi, deinde & penicillum

icillum ſua arte ducendi: at quia hæc na facultas cæteris ſubordinatur, hinc imæ ſint ægræ, veluti ſi oculi læſi, exi-ue tamen a pictore uti recte icones de-at, hoc impoſſibile ei fuerit, recteque rit, facultates priores motus debiti & atem oculorum prius eſſe incolumes a avatione reſtituendas: ad quæ ſi obje-s, hoc medicinam ſpectare non artem oriam, illumque hac in cauſa duas illas s confundere inter ſe; deridendum omni-te exhiberes: nemo enim neſcit utut dica ars cum pictoria non ſit confunden-præerequiri tamen neceſſario ejus ope-atque effectum in ſubjecto ægro, ante-m artem quamcunque aliam infimam rcere poſſit. Eodem modo ſe habet res r animæ facultates ſuperiores atque infe-es: objecta quidem atque artes diverſas s utræque habent, at inferiores ſuis ut tionibus debite utantur, ſuperiorum s requirunt & efflagitant ſtatum bonum, in bonum ſtatum reſtitutionem. Quid d ea argumenta, quibus modo corru-nem Mentis evicimus, non minus tan-t rationis facultatem, quam quaſvis a-ſuperiores, ut cuilibet attente ea conſi-nti evidens fieri poterit? Idem certe enter deſignat Paulus, quando affirmat, qui Deum glorificatione & laudibus de-proſecuti non ſunt, factos eſſe ſtultos, ratque poſtea habitus eorum adeo pro-ioſos ac brutos, & ipſi naturæ ac ratio-leo adverſos, ut horribilior rationis cor-io cogitari non poſſit.

XLI. Corruptionem eſſe non tantum in abuſu facultatum, quæ in ſe ſint illæſæ: ſed eam ipſis facultatibus inhærere & inhabitare.

XLI. Dicent forte nonnulli, corruptionem eſſe in abuſu libertatis, facultatibus male utentis: ipſas autem facultates non ideo eſſe corruptas, ſed ſemper integras; abuſum tantum earum ex libertate eſſe tollendum: veluti ſi quis igne, vino, pecunia, ferro, inſtrumentis male utens, multa perperam committat, non inde ſequitur, res ipſas quibus utitur, ideo eſſe corruptas, ſed mentem tantum abutentis. Inſtantia undiquaque abſurda, & in ipſos pugnans! Nam primo, abutens rebus externis, ipſas utique corrumpit, in quantum illæ corruptionis admittendæ ſunt capaces: ignis neglectus extinguitur; vinum indebite potatum perditur & perdit; & ſic de cæteris. Secundo, idem magis atque etiam neceſſario accidit, quando res quarum fit abuſus, ſubſtantialiter unitæ ſunt, ſive unum componunt ſyſtema, cum re abutente, veluti facultates cum libertate unitæ ſunt. Meretrix ex libertate abutitur ſuo corpore: an propterea ſoli libertati corruptio ineſt, affectibus autem caſtitas, & corpori integritas? Αὐτόχειρ ferrum ſibi ipſi ex libertatis non recto uſu in jugulum adigit, an propterea ſola libertas depravationem patitur, neque corrumpentur cum facultatibus corporeis vita, ipſumque corpus? Quanto magis in rebus moralibus & ſpiritualibus valet regula, abuſus facultatum facultates ipſas corrumpit eaſque reddit habitualiter vitioſas & ægras. Denique, utinam qui in libertatis determinationem rejiciunt omne vitium, id

face-

:erent ex animo; ita ut poſtea ipſi a liber-
is ſuæ regimine abſtinentes, eam totam
nis boni regiminis auctori, ut ſanarentur
endam, traderent atque committerent!
que enim quicquam eſt, ultra hoc, quod
plenam in integrum reſtitutionem ab illis
gi poſſet; ſed ipſi ſane ex hoc exercitio
ruptionem ſuam ſibi ipſis non extenuare,
ulenter & pleniſſime condiſcerent.

XLII. Quodſi quis ſcire deſideret, qua re conſiſtat illa facultatum corruptio, tem quatenus ad verum ſpectat, ei & o i ſani & divinum lumen ad hoc perſpici-lum dari deberent, iis enim ſolis quæ-ıque inordinata ſunt, detegi poſſunt. In im tamen craſſiore & palpabiliore modo quod poſtulatur nominare licebit, intel-tus tenebras, contractionem, arctitatem, ınolentiam & ſtupiditatem, incraſſatio-n & ad pinguia & ſpiſſa conformatio-n, indeque diſpoſitionem ad ideïſandum : mihi loquendum eſt) incompoſita, chi-eras, & mille abſurda, nullatenus cum is Dei rerumque naturis conformia. XLII. Quid ſit corruptio facultatum, præſertim intellectus atque rationis, indicatur nomine.

ſed ut rem ipſam aliquatenus percipien-n poſſem exhibere, quia ardua eſt & icilis, altius equidem reſumenda eſſet, ctiuſque pertractanda ac digerenda, m noſtrum hic ferat inſtitutum. Conabor lominus, adjuvante Deo, hic ſaltem ſubin-ıre de ſublimi iſta materia quædam quam viſſime velut per aphoriſmos diſpoſita. Et re per quoſdam veluti aphoriſmos.

XLIII. 1. Fecit nos Deus res vividas & itantes, ut donaret nos, vel potius nos XLIII.

 veſti-

De intellectus natura & corruptione Aphorismi duodecim. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Intellectum factum eſſe ad aſſumendum duobus modis omnium rerum formas: paſſivitate & activitate.

veſtiret & indueret formis tum ſui ipſius, tum rerum omnium.

2. Modi quibus voluit Deus nos rerum formis indui, ſunt duplices: primus modus eſt realis, vividus, efficax: alter umbratilis, picturarius, ſuperficiarius. Utroque modo formâ Dei & formis rerum poſſumus inveſtiri & ſuperindui.

3. Id quod in nobis iſtas formas recipit, iiſve induitur, aut in illas quaſi vertitur, vocatur generaliter *intellectus*, qui, quoniam eſt cogitatio ſui & eorum quæ actu in ſe fiunt, conſcia, quando formis rerum induitur, eo ipſo res ſcit & novit. Si cera eſſet ſuorum actuum conſcia, & verteretur in figuram Alexandri, noſſet tunc figuram Alexandri.

4. Intellectus pro ratione diverſitatis objectorum, ſeu formarum recipiendarum, eſt diverſæ etiam capacitatis: & diſtingui poteſt in divinum, qui intelligentia dici poteſt, eſtque veluti capacitas quædam Mentis intima & immenſa, divinis formis recipiendis apta: in humanum vel idealem aut rationalem pro (a) ideis rerum; & ani-

(a) Nota per ideas ſæpius hic & in ſequentibus ſpecialius intelligi eas rerum formas quæ in intellectu activo ſunt, & quas picturis aſſimilamus, atque a divinis nec non & ſenſualibus & vividis perceptionibus diſtinguimus. Interdum tamen & his (quia alii id etiam fecerunt & cum illis nonnunquam loquendum) his inquam ultimis interdum nomen ideæ damus: quod ex ipſo loco ſine ambiguitate ut pateret, data eſt opera.

nimalem ſive ſenſualem, pro externis ob-
:ctis: hi duo ſunt menti velut ſuperficiarii;
:ſi unuſquiſque diverſo ſe habeat modo,
e quibus (b) alio loco. (b) Infra Lib. I. S. XII.

5. Unde patet, intellectum, quiſquis ſit, divinus, rationalis, animalis, eſſe rimo omnium paſſivum ſive recipiendarum ı ſe formarum capacem, ejuſque naturæ, t admittere illas in ſe poſſit.

6. Sed quia intellectus eſt cogitatio viens, adeoque & actus habens, ſive agens, inc & activus eſt omnis intellectus, divius, rationalis, animalis. Et unuſquiſque bi attendens, ſatis experiri poteſt, ubi uid percipere vult, quomodo ſeſe intus gitet ac moveat ad ſe adaptandum conforiandumque quarumvis rerum formis aut deis. Eſt intellectus tanquam Proteus ille abulæ, aut Vertumnus, qui in omnia vertitur. Eſt veluti agilis comœdus, qui omies res, actiones, perſonas, regias pariter & viliores, ita imitari enititur, ut earum ormas omnes in ſe apparere faciat. Sed hic autela adhibenda eſt ſedulo, ne comœdus ille ſe revera etiam credat eſſe regem, ut ſe reipſa putet illa omnia eſſe atque habere ex ſua activitate, ad quæ repræſentanda adſpirat.

XLIV. 7. Quando agitur de intellectu vivide, realiter & efficaciter inveſtiendo & infuendo rerum formis, earum maxime, quæ ipius intellectus natura ſunt ſublimiores, tunc omnis intellectus activitas ad hoc eſt prorſus

XLIV. 7. De transformatione reali intellectus in

divinas formas. Eum hic, excepto oblationis ſuæ actu, mere paſſivum eſſe.

ſus inepta, niſi tantum hoc agat, ut ſe quiete & paſſive offerat formæ atque ſubjecto ipſum inveſtituro & transformaturo. Atque hinc patet, intellectum nullum creatum poſſe ſe vivide transformare in formam Dei, ejuſve attributorum aut proprietatum quarumvis, aut poſſe ſe ipſum, quacunque activitate ſe moveat & verſet, ulla forma Dei reali & efficaci inveſtire. Hoc ſi faceret, ipſe eſſet aut Deus, aut factor Dei. Forma enim realis, vivida & efficax Dei, eſt ipſe Deus. Adeoque ipſe Deus ſolus eſt qui ſe intellectui creato inſinuans & uniens, formam ſui vividam, realem & efficacem ei imprimat, eumve illa inveſtiat & ſuperinduat, quantum quidem ab Omnipotente fieri poteſt in ſubjecto creato, Dei admittendi receptivo & capaci. Hinc Paulus, (a) *Transformamur ad imaginem gloriæ Domini quemadmodum a Spiritu Domini.* & (b) *Qui adhæret Domino, Spiritus unus eſt cum illo*, & plura alia. Atque in his mirabilia vitæ æternæ continentur. Ergo *Intellectus noſter divinus*, ſive ad divinas formas vivide & realiter recipiendas factus, *excepto actu quo ſe offert Deo transformandum*, mere paſſivus eſt.

(a) 2. Cor. 3. 18.
(b) 1. Cor. 6. 17.

XLV. 8. De transformatione reali intellectus animalis in

XLV. 8. Quando agitur de intellectu vivide & efficaciter inveſtiendo ſive induendo formis rerum, intellectûs natura & dignitate quamvis inferiorum; intellectus tamen ſua ſola activitate ad hoc ipſum etiam ineptus eſt; ſed jungatur oportet ea moles

corporea cui unitus eſt, rerum objectis, eorum effluviis, quæ in illam agant: & tunc per vim quâ Deus res uniri, certiſ- in ſeſe pollere potentiis voluit, immu- ur intellectus in formas rerum, quate- illæ ad ipſum cum corporibus unitum ·ctant. Et hæc quidem non opus eſt hic luctius explanari: exempla vero eorum is proſtant. Quiſquis vult v. g. vivide rcipere formam ſolis, luminis, planta- m, animalium &c. Is nec velit ſolum, c omni ſua activitate tantum conetur in formas illas effingere; ſed & corpus quo- ıe & oculos debite ad objecta appropin- ıet: atque tunc realiter, vivide & effi- citer formis eorum, quatenus ad ipſum ectant inveſtietur, ſine ulteriore ſui acti- tate. Hic intellectus eſt animalis, qui ɔnfuſionis evitandæ cauſa non (niſi raro) ɔmine intellectus venit indigitandus, ſed *rceptio ſenſualis* aptius dicitur. Eſtque hu- is hæc norma: *Intellectus animalis, ſive rceptio ſenſualis, quatenus realiter, vivide efficaciter formis rerum inveſtiendus eſt, cepto actu quo organa corporea objectis ap- licantur, mere paſſivus eſt.*

formas naturales ſenſibi- les. Eum hic, ex- cepto actu o- blationis organo- rum, me- re paſſi- vum eſſe.

XLVI. 9. Quando agitur de inveſtiendo ıtellectu ideis ſeu formis rerum pictis, & mbratilibus, modoque non vivido & effi- ıci, ſed ſterili, mereque ſpeculativo & ictūræ inſtar, ſive formæ illæ ſint rerum ivinarum intellecti ſublimiorum, ſive ſint ɛrum æqualium, ſive infimarum; tunc *in- ıllectus activitate, potentia, induſtriaque*

XLVI. 9. De transfor- matione umbratili intelle- ctus ſive rationis humanæ in pictas

rerum icones ſeu formas. Eum hic ſe active habere.

& *contentione ſua poteſt ſeſe vertere in illas formas*; non equidem reales & veras, ſed pictas, ubi agat *modo repræſentante*, & *veluti fingente aut pingente*; quemadmodum homo aliquis ſic ſeſe poteſt vertere in alium, non quidem ut fiat alius; ſed ut eum exprimat & repræſentet voce, geſtu, ingreſſu, modo agendi & ratiocinandi, & ſimilibus. Hic intellectus activus eſt, & dicitur intellectus humanus, ſive *ratio humana*. Atque hic eſt modus quo ratio ideas rerum in ſe ipſa excitat, conamine nempe ſuo ſeſe ita diſponens, ut ſe vertat & transformet in formas rerum, ſive eas ſibi ſuperinduat, aut, ut ſic loquar, ad earum figuras & modos ſeſe accommodet. Hic igitur eſt intellectus activus & active ad formas illas ſe habens.

XLVII. 10. Ad transformationem activam intellectus, ſive, uſum rationis, conditiones aliquot ut bene ſe gerat.

XLVII. 10. De illarum formarum ſeu idearum proprietatibus, & quomodo eæ a realibus diſtinguantur, agetur (a) alibi. Sed hic obſervabimus, dari conditiones ſine quibus ratio ſeſe in rerum formas recte vertere non poteſt: quibus conditionibus igitur ſeſe, dum agit, accommodet oportet, ſi bene velit agere. Ita conditiones præcipue ſunt ut illa nec totum, nec præcipuum exercitii mentis tempus aut officium occupet; neve etiam ſe gerat ut ſolidum quid; ſed ut temporis exercitiique partem aliqualem eamque acceſſoriam & propter aliud quam ſe, peragat velut obiter. Hoc velim permittat ratio Intellectum paſſivo-divinum, ſuperioreſque facultates ſæpius, præcipue,

(a) Lib. II. §. VI. &c.

ɔue, ardentius, totaſque uniri & exerceri m Deo, ejuſque lumine, amore, deliciis, miratione, laudibus: ipſa vero interdum, veluti per luſum mentis, picturas Deo, iquam arcus triumphales in ſe efformet & gat, imaginibus divinorum operum conoratas, ut ex omnibus illis iconibus & igiebus a ſe excitatis, recurrat ad Deum, iginale ipſum, cui congratuletur de opeus ſuis, deque induſtria quam ab ipſo hat ad ea in ſe depingenda, ad glorificanm Auctorem omnium.

XLVIII. ii. *Libertas*, facultas, qua cæ æ facultates ab homine ad placitum excentur, & objectis applicantur, regit inlectum in Mente divinum, humanum, imalem, ita ut quemlibet ex iis quando lt ad objecta ſeu exercitia admoveat, aut iis removeat. Hinc intellectûs ſtatus cum de aut cum vituperio & culpa hominis mutari poteſt. *Deſiderium* autem eſt ſtiılus intellectus omnis, quo veluti impetu llitur, enititur, incenditur ad ſeſe vertenm & transformandum in formas rerum, t ad ſe diſponendum & offerendum cautransformationis ſufficienti, ut per eam ma cupita inveſtiatur. Hoc quando adicitur intellectus, tunc deſiderium vertiin *acquieſcentiam*, quæ eſt unitio ipſa n forma veritatis poſſeſſa, quæque in inis conſenſu medullas ipſas, ut ſic loquar, omnia penetrante ſeſe inſinuat & expan, foras autem ſe prodit per *aſſeverationes*, ciſiones & judicia affirmativa. Tuncque

XLVIII. II. De habitudine libertatis, deſiderii & acquieſcentiæ ad intellectum, ut bene ſe habeat.

C 5 talis

talis anima ſcit indubitato ſe non falli, quia eſt in unione, in communicatione cum Deo, cujus impreſſiones in ſe poſſidet. Atque adeo, quemadmodum, quando Deus deſideravit ideas rerum in intellectu ſuo arbitrario & activo excitare, illaſque per omnipotentiam ſuam excitavit prout voluit, tunc deſiderium ejus acquievit in adeptione illarum formarum; ſiquidem tunc habuit id quod voluit & quale voluit; ita etiam quando Mens acquiſivit veras ideas ſive formas rerum quas deſideravit, quia illæ formæ ſeu ideæ, ſi quidem veræ ſunt, ideis divinis ſunt conformes; deſiderium Mentis, ad Dei imaginem factum, ejuſque impreſſiones retinens, non poteſt non fieri acquieſcens: quandoquidem etiam ad hoc expreſſe a Deo conditum eſt; non ut ſemper maneat deſiderium torquens & inquietum, ſed ut vertatur in acquieſcentiam per adeptionem veritatis quæſitæ. Præterea quia videt hic in ſe facultatem eam, quam habet imitandi intellectum Dei arbitrarium ejuſque ideas, eandemque cognoſcit, hinc omnia iſta (ſui & Dei) inter ſe momento comparans, in eorum acquieſcit aſſimilatione. Solummodo animadvertendum eſt, acquieſcentiam debere a libertate concedi vel dirigi aut exerceri pro eo modo, cujuſmodi eſt veritas, ſive pro ut eſt idea & forma, qua mens tunc occupatur: quæ ſi ſit ſumma, realis, viva, laxanda ſunt fræna acquieſcentiæ ultra omnes ſi fieri poſſit modos; ſi picta, umbratiliſque; tunc acceſſoria tantùm & veluti ludi-

libunda & tranſitoria acquieſcentia adhi-
ıda eſt ; eodemque modo ſi de rerum
mis aut impreſſionibus , vividis quidem
realibus, ſed tranſeuntibus tamen & cor-
eis quæſtio fuerit. Alioqui acquieſcentia
oluta, totalis, vel etiam præcipua, hiſ-
ultimis duabus , in præjudicium ſeu
rimentum ſublimiorum ſi concedatur ;
ens iſta foret ordinis perturbatio & men-
lapſus.

X L I X. 12. Adeoque ſi quis intellectum ultateſque ſuperiores minus ardenter nec)e divinis offerat objectis, eaque tandem ;ligat ut intellectum activum totus ex-eat, ſpectaturus ludos & comœdias eius, miſſuruſque, vel etiam ardenter ſenixu-, ut actor iſte ſuus formas, ſpectacula ideas omnis generis ipſi exhibeat ſeque omnia vertat ; ecce, lumen divinum lectum, ab illo ſubtrahitur ; & tunc ıcedus ille in petulantem & laſcivum rionem aut cinædum jam immutatus, t ad inſtar Icari alas ſibi quibus in cœlum ısferretur, machinatus eſſet, turpiter itur & procidit : atque ex lapſu & te-roſior evadit, & vero vulneratus, man-, claudus, tortuoſus, maculoſus, cœ-, deformis, æger ; prætereaque (ut il-accidit qui ex alto cadunt) ſtupidus & nſibilis, ſic ut tot mala ſua ne ſentiat qui-ı miſer ; ſed nihili ea ducat, imo velit uc perpetuo hiſtrionem agere & repræ-are rerum tam divinarum quam huma-ım admirabiles decoraſque formas. Qua

XLIX. 12. Lapſus & corruptio intellectus rationiſque humanæ.

c 6 quidem

quidem in re eodem modo, imo & turpius ſe gerit, ac ſi monſtroſus aliquis Æſopus, *crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luſcus*, lingua blæſus, pectore curvus, mente fatuus, repræſentare vellet atque induere formas hominum dotibus corporis, vultus, ſermonis, geſtuum majeſtate, mentiſque præſtantia excellentium: aut ſi forte reginæ alicujus formoſæ, ſapientis, admirabiliſque in ſe perſonam, geſtus, verba, habitum & regimen exhibere conaretur; ubi tamen revera præter monſtroſos, deformes ac ridiculos motus ac geſtus, cum repræſentandis ſimilitudinem nullam habentes, nihil produceret: quandoquidem, quomodocunque ſeſe vertat, impoſſibile tamen ei ſit, ullam vel minimam rem decori exemplaris imitari.

Talis jam factus eſt noſter & omnium hominum intellectus activus, ratio noſtra, hiſtrionalis ille ardelio, qui ſolus in anima noſtra ſcenam obtinere voluit, nec vero pati in quiete & pauſa, ut admiranda ſapientia Dei ſua in nobis ipſa exhiberet divina ſpectacula. Agyrtam ſimilem jam quiſque domi ſuæ, in proprio ſuo cerebro, in glandula, ſi vis, pineali habet, fovet, admiratur, audit, ſequitur: & hoc eſt quod ſapientiam vocant & reputant. Sed quoniam unusquiſque ejuſmodi geſticulator non valet omnia pro genio ſuo repræſentare, hinc quivis ſibi perſonam aut rem certam agendam aſſumit, in quam ſe totum vertat, & ubi exerceat; cæteris aliis prætermiſſis: unde (pro diverſa

quam

uam quiſque ſibi aſſumſit forma) hominum lii ſunt (vel Scriptura teſte) bruta, lupi, ɛrpentes; alii (ut dicebat Epictetus) ventes, inteſtina & partes pudendæ; alii lineæ, nguli & circuli, motus, figuræ, numeri, a + bb — cc ∞ dd; alii chimæræ metaphyſiæ & tranſcendentales aut critici cortices; lii tria elementa, vortices, machinæ, alii alia imilia. Ob quas quidem formas aſſumptas eſe magnificant, ſibique belle admodum videntur rerum divinarum atque naturalium naturas ideis ſuis debite exprimere, idque clare & diſtinctè percipere: quando tamen coram Deo, luminoſa veritate, formiſque & naturis rerum veris, monſtroſæ tantum & turpes chimæræ ſunt, a vero & decoro rerum ſtatu infinite abludentes, & non niſi cum genere illo ſtultitiæ quo unusquiſque eſt affectus, & forte cum nonnullis ex ſordibus & deformitatibus ſtatûs in quo cum cæteris jacet, conformes. Neque enim magis poteſt ulla in ſe recte repræſentare tenebroſus, depravatus & tortuoſus intellectus; aut etiam vere ſcire an faciat erronea an vera, quam hiſtrio noſter ridiculus & portentoſus, qui in tenebris geſticulans, neque videre poteſt ſuam in omnibus deformitatem & turpitudinem, propudioſamque motuum inconcinnitatem & abſurditatem, neque novit geſtus ſuos formaſque iis quæ repræſentanda ſuſcepit adverſari magis quam congruere. Et tamen mirabilia ſibi facere videtur, & vel angelicas poſituras, res, actiones, formarum & geſtuum quibus ſe induit elegantia ſuperare: quod

rum, quia, ut inquit, *quidquid intelligo cum a Deo habeam ut intelligam, procul dubio recte intelligo, nec in eo poteſt fieri ut fallar:* hæc quidem vera eſſent de intelligentia mentis primævæ, aut de ea quæ poſt rebellionem, pravitatem, ægritudinem admiſſam, inde ſanata eſſet, & in primum ſtatum reſtituta: at non ita de mente quæ revera ægra eſt & corrupta, nec tamen adhuc de ſe ſananda meditata eſt, nedum inde ſit reſtituta: hæc enim quicquid pro ſuo illo ſtatu & captu intelligit, cum id non a Deo, ſed a delirio morbi ſui habeat ut taliter intelligat, procul dubio prave & defectuoſe intelligit, nec in eo fieri poteſt ne fallatur. Nam ſimulac deſiderium corruptum amoris proprii, ſtimulat intellectum ægrum & monſtroſum, ut ad delectationem ipſi pariat fœtus ſive ideas ſuas, & formarum quarumvis aſſumptione coram eo geſticuletur, is protinus pro morboſa ſua indole meras & abſurdas chimæras, ludoſque ineptos coram illo non poteſt non fingere, qui non Dei & divinorum ejus operum, ſed propriæ ſuæ ſtultitiæ & ægritudinis maxime ſint repræſentativi, & quibus dum deſiderium ſeſe ſuaviter atque acquieſcenter delectat, hoc ipſo formam erroris conſtituit. Cujus erroris punctum ſaliens eſt cupiditas corrupta geſticulationum intellectus ægri, qui ex activitate monſtroſa & vitiata materiam ſuppeditat chimæricam, quam admittens delectabiliter & acquieſcenter deſiderium, dicitur complete errorem admittere, atque adeo *errare* actualiter.

[t]er vel, ſi ſic loquendum, etiam formali[te]r. Ita ut, 6. Carteſius male ſtatuit, id [qu]od formam erroris conſtituit, conſiſtere [in] ea privatione quæ ineſt in liberi arbitrii [n]on recto uſu, quando nempe liberum arbitrium judicandi facultatem ad obſcura vel [i]gnota extendit: cum tamen in liberi arbi[tr]ii non recto uſu ſola privatio illa ineſſe poſ[s]it quæ formam erroris moralis, ſive *culpæ*, non autem erroris philoſophici ſeu logici circa rerum ideas, conſtituit. Privatio multiplex in errore ineſt, & cum eo concurrit. Intellectus lumine primævo privatus eſt, privatus item vi qua pollebat imitandi Deum in idearum activa excitatione. Deſiderium ideïſandi, privatum eſt ſcopo legitimo (glorificatione & delectatione in Deo) cui turpis cupiditas ſubſtituta eſt. Ipſæ formæ intellectus activitate & vertibilitate excitatæ, privatæ ſunt decora & ordinata ſimilitudine & conformitate cum ideis Dei & naturis rerum; & præter figmenta nugacia ut plurimum, nihil ſunt. Jam ſi mens hic ſubſiſteret, nec iſtis largiretur acquieſcentiam & complacentiam, (quæ judicium internum atque affirmatio ſunt,) ſed diſpliceret ei intellectum ſuum iſtiuſmodi chimærarum tenebroſarum adeo eſſe vel invitâ illâ feracem, ut furentis hiſtrionis inſtar vel invita mente geſticuletur, intus continuo garriat, ſeſeque in omnes ſine ordine formas vel reluctante animo convertat adeo, ut nullus ſui intellectûs, omniumque actuum ejus, vel per diem unum Dominus ſit & compos in ſo-

ſolidum; tunc non dicenda eſſet Mens errare: quanquam enim tunc intus latet materia erroris, illiuſque materiæ forma deformis, formarum abſurdarum inconcinnitas; attamen non adeſſet error approbative & complete, quippe qui demum adeſt quando in acquieſcentia & delectatione interna admittitur. Et hæc eſt proprie & præciſe forma *actûs erronei*, quando videlicet acquieſcentia noſtra, quæ pro formis ideiſque divinis & veris facta eſt, præſentiam & aſpectum fictionum noſtrarum, ludorumque ægri intellectus noſtri activi, cum voluptate & placito ſuſtinet & admittit. 7. Gratis etiam & male aſſumit loco dicto Carteſius, ſe & quotquot in ejuſmodi cum eo ſtatu ſunt, capaces eſſe claræ & diſtinctæ perceptionis, idearumque de rerum naturis clararum & diſtinctarum, nec non agnoſcendi quid ſit aut quando adſit illa claritas, quod abſolute falſum eſt, quamdiu facultates mentis non ſunt ſanatæ. Recurrent (opinor) inſtantiæ de ideis rerum mathematicarum, de quibus etſi aliquoties quædam monui, mox tamen ea addam quæ difficulatem & jactantiam funditus eliminent: nunc dicam tantum, illas non eſſe naturæ rerumve ideas; ſed ideas ſolum corticum naturæ, quæ ſub illis latens ipſis prorſus eſt incognita. 8. Tandem in dicta Carteſii Meditatione, quæ ſæpe ibi occurrunt, *libertas*, *intellectus*, *voluntas*, *judicandi* vel *affirmandi facultas* & ejuſmodi, quamvis clara per ſe vulgo quidem putentur, revera tamen ſunt naturæ abditæ & valde igno-

otæ atque obſcuræ; unde qui his utuntur
: ulteriori explicatione, in multos inſcii
idunt errores, & multa garriunt de erro-
ɛ vero, quæ tamen non aſſequuntur. Re-
s iſta niſi fallor & clarius percipientur
ea quæ diximus de *libertate* facultates ad
itrium objectis aut exercitio applicante:
deſiderio (quæ veluti prima voluntatis
s quædam eſt) intellectum ad actum ſti-
lante; de *acquieſcentia*, quæ eſt deſide-
n completum voluntaſque terminata,
*rmatio*que & judicium internum: ut &
intellectu ſeſe activitate ſua in formas
iſvis vertente. Hæc enim in ſe quiſque
ɔpria experientia fere palpare poteſt,
:madmodum & omnia quæ de corruptio-
hactenus diximus, modo (quod cogor
:eſſario repetere) quis juxtà leges atque
ɡnita tria prima, cum ordine & ſinceritа-
nentis a ſe & in ſe rem aggrediatur. Cæ-
is ut nil a nobis hic dicitur, ita quæ illi
um occaſione dicturi ſunt, ad nos minime
ctare cenſemus.

L I. Quæ hactenus dicta ſunt, eo colli-
nt, ut *cognitis* vel cognoſcendis *primis* &
d annumeret ſincera Mens, Se cum fa-
tatibus ſuis corruptam eſſe; & ad verita-
is cognitionem & agnitionem eatenus
ɔtam: ſciat autem hoc eſſe Philoſopho-
ı erratum capitale, *quod ſuam nolint de-
vationem & ineptitudinem cognoſcere.*

L I. Aliud capitale Philoſophorum erratum.

. I I. Ex quo immediate ſequitur, SA-
TIONEM MEDIIS APTIS ESSE
NC ANTE OMNIA QUÆRENDAM,
quod

L I I. (5) Methodi veræ lex quinta

ſum errato capitali ei oppoſito. quod pro lege quinta & pro cognito quinto habemus, proque errato ei oppoſito, & a Philoſophis admiſſo, *quod hoc vel negligant prorſus, vel aliis ſuis occupationibus ſegniter poſtponant*, agendi quadam ratione non minus abſurda, nec minus contra ordinem, quam ſi quis architectonicam diſcere & exercere vellet, & in ultimum locum rejiceret, aut prorſus negligeret, normam, circinum, perpendiculum, cæteraque inſtrumenta habere recta; de quibus tamen ante omnia fuerat cogitandum.

LIII. Ad reſtitutionem facultatum & intellectus in integrum, duo prænotanda. LIII. Quomodo autem fiet illa in ſanum ſtatum reſtitutio?

Notandum in anteceſſum, primò, etſi omnes nævi nunc tolli non poſſint, ad minimum tamen præcipuos & capitaliores debere corrigi & deleri.

Notandum ſecundò, quamvis optetur forte ut tantum hic agatur de eis, quæ rationem, ideas & philoſophandi actum ſpectant, non poſſe interim hæc inferioris ſubſellii ſanari, niſi etiam ſuperiora, quæ diviniora, ſolidiora, realia, maximeque radicalia concernunt, ſanitati reddantur ipſa, unde ſanus fiat in inferiora influxus. Alioqui (contra primam legem) turbabitur ordo: unde omnis generis confuſiones, tenebræ, erroreſque non poterunt non promanare.

LIV. Quomodo ex divino præſcripto intelle- LIV. Jam ſi homines & ſimpliciores eſſent, & veritatum Euangelicarum æſtimatores cupidi, dicerem ſimpliciter reſponſi loco, & conceptis Scripturæ verbis, quoniam origo mali eſt, quod (*a*) *Deus quidem ho-*

inem creavit rectum, ſed ipſi quæſivere ratio- Qui ra-
tiones multas, hoc eſt, hiſtrionicum ſuum tionisque,
llectum activum, ſeu rationem huma- morbo ſit
ı voluerunt ſic exercere, & in geſticula- medendum?
ibus ejus atque metamorphoſi perpetua (a) Eccl.
lelectari, ut deſinerent facultates divi- 7: 30.
& ſuperiores cum Deo exercere, unde
ıen Dei amiſſum, & omnia mala intro-
ta; hinc jam e contrario capiendum eſſe
rionem, ligandum, & (b) *captivandum* (b) 2. Cor.
obedientia Chriſti, ita ut ad vocem Chri- 10: 4, 5.
geſticulationes ſuas *abneget* & relinquat;
ratiocinationes dejiciat armis juſtitiæ, hoc
, cruce & clavis Chriſti, ita ut ei *imponacrux Chriſti*, eumque *ſequatur* in monte,
dendo ad ſuperiora, & ibi pedibus ma-
uſque (quoad totam ſphæram activitatis
) ſic cruci affigatur ut amplius geſticulari
ı poſſit; ſed moriatur quicquid in eo cor-
tionis eſt, vitæque & activitatis propriæ.
ınc poſtea adorandus Spiritus Chriſti, qui
a Dei ſapientia eſt, ſuper eum deſcen-
ns, illum e morte in vitam novam cum
ıriſto ſuſcitaret; & per divinam e ſupernis
ram, mente ejus in mentem Spiritus Chri-
transformatâ, oreque ejus lingua flam-
a donato, ex veteri hiſtrione, ſtultis
prii morbi impetibus prius agitato, fa-
et mirabilem (impulſore Chriſto vivente
o) laudum operumque Dei admirabilium,
ı in divinis quam in naturalibus quantum
idem opus & neceſſe eſſet, præconem &
erpretem. Sed quæ noſtri Chriſtianiſmi
nc eſt calamitas, pudet fere omnes non
tantum

tantum credere & fidere viæ & promiſſionibus Chriſti; ſed & ejus verba vel ore profiteri vel auribus percipere. Non hæc ſunt ſcilicet Philoſophicis auriculis ſatis accommodata, neque artem & demonſtrationes ſcientificas ad palatum hiſtrionis noſtri ſapiunt. Aliis igitur & philoſophicis utemur modis, ſi forte quis inde ad frugem revocari & perſuaderi poſſit.

LV. Intellectus æger petulans, & delirus, vix ac ne vix quidem de ſe ſanando vult audire quicquam.

L V. Verum quam primum mentio fiet de ſanando intellectu, jam protinus plurimi avolabunt, delirantes, aut ſe jam ſatis ſapere, aut in incepta ſapientia & dexteritate ſua ſibi pergendum eſſe. Alii, ſi quidem ſibi auxilium optent, id ſuo modo comparatum eſſe volent, ſimiles ægris Medicum inſtruere volentibus quid ipſis ſit præſcribendum. Ita enim depravatus, ita ſuperbus, imo & propriæ cœcitati ita inſenſibilis ſtupiduſque, & ſimul uſque adeo audax aſinus redditus eſt intellectus corruptus, ſibi ut videatur quibuſvis ſapientior & prudentior. Optimi quique non ſine tergiverſatione, difficultatibus, quæſtiunculis, inſtantiis, negotium ſuæ ſanationis aggredientur: timent ſe circumveniri: ſemper ex ſe agere ſatagunt. Et cum primis quidem illis iterum nil agendum: hiſce vero ultimis, quæſtionibusque quæ ab illis moveri poſſent, ſatisfacere forſan conabimur. Sed vero prius indicanda pro ſanationis medio proximo, proque Veræ Methodi regula ſexta Axioma ſequens, quod inter cognita prima meretur recenſeri. Id autem hoc eſt.

L V I.

LVI. Mens ad incolumitatem cipiendam, agnita & deplorata gritudine impotentiaque, ab- neat ab actibus intellectus ſui, iem offerat Deo paſſivum, ſolo ſiderio ſanitatis a Deo impe- andæ agens, nec non firmiter cernens ſe impoſterum, ſi reſti- ta fuerit, non recturam amplius cultates ſuas ad placitum pro- rium; ſed ad voluntatem Entis mmi, juxta ordinem propor- onemque quæ debet eſſe æterna ter & caduca, ſpiritualia & cor- orea, interna & ſuperficiaria, ceſſaria & acceſſoria, realia & nbratilia, divina Dei placita, & ſtima proprii amoris ſe pro ſco- ſtatuentis cupita.

LVI. (6) *Sexta veræ Methodi lex*, de medio ſanationis proximo: cum errato oppoſito.

Hoc qui non obſervaverint; ſed in oppo- m iverint, *errato* cætera præcedentia mplectente cumulabunt omnia. Aſt ubi æ hic præſcripta ſunt, vere in Mente nt, explicabit ſe in illius intimis pro co- ide regularum & cognitorum ab ea debi- adhibitorum, Operatio Dei eam

ſanans,

quidem in re eodem modo, imo & turpius: ſe gerit, ac ſi monſtroſus aliquis Æſopus, *crine ruber*, *niger ore*, *brevis pede*, *lumine luſcus*, lingua blæſus, pectore curvus, mente fatuus, repræſentare vellet atque induere formas hominum dotibus corporis, vultus, ſermonis, geſtuum majeſtate, mentiſque præſtantia excellentium: aut ſi forte reginæ alicujus formoſæ, ſapientis, admirabiliſque in ſe perſonam, geſtus, verba, habitum & regimen exhibere conaretur; ubi tamen revera præter monſtroſos, deformes ac ridiculos motus ac geſtus, cum repræſentandis ſimilitudinem nullam habentes, nihil produceret: quandoquidem, quomodocunque ſeſe vertat; impoſſibile tamen ei ſit, ullam vel minimam rem decori exemplaris imitari.

Talis jam factus eſt noſter & omnium hominum intellectus activus, ratio noſtra, hiſtrionalis ille ardelio, qui ſolus in anima noſtra ſcenam obtinere voluit, nec vero pati in quiete & pauſa, ut admiranda ſapientia Dei ſua in nobis ipſa exhiberet divina ſpectacula. Agyrtam ſimilem jam quiſque domi ſuæ, in proprio ſuo cerebro, in glandula, ſi vis, pineali habet, fovet, admiratur, audit, ſequitur: & hoc eſt quod ſapientiam vocant & reputant. Sed quoniam unuſquiſque ejuſmodi geſticulator non valet omnia pro genio ſuo repræſentare, hinc quivis ſibi perſonam aut rem certam agendam aſſumit, in quam ſe totum vertat, & ubi exerceat; cæteris aliis prætermiſſis: unde (pro diverſa

quam

quam quiſque ſibi aſſumſit forma) hominum alii ſunt (vel Scriptura teſte) bruta, lupi, ſerpentes; alii (ut dicebat Epictetus) ventres, inteſtina & partes pudendæ; alii lineæ, anguli & circuli, motus, figuræ, numeri, aa + bb — cc ∞ dd; alii chimæræ metaphyſicæ & tranſcendentales aut critici cortices; alii tria elementa, vortices, machinæ, alii alia ſimilia. Ob quas quidem formas aſſumptas ſeſe magnifaciunt, ſibique belle admodum videntur rerum divinarum atque naturalium naturas ideis ſuis debite exprimere, idque clare & diſtinctè percipere: quando tamen coram Deo, luminoſa veritate, formiſque & naturis rerum veris, monſtroſæ tantum & turpes chimæræ ſunt, a vero & decoro rerum ſtatu infinite abludentes, & non niſi cum genere illo ſtultitiæ quo unusquiſque eſt affectus, & forte cum nonnullis ex ſordibus & deformitatibus ſtatûs in quo cum cæteris jacet, conformes. Neque enim magis poteſt ulla in ſe recte repræſentare tenebroſus, depravatus & tortuoſus intellectus; aut etiam vere ſcire an faciat erronea an vera, quam hiſtrio noſter ridiculus & portentoſus, qui in tenebris geſticulans, neque videre poteſt ſuam in omnibus deformitatem & turpitudinem, propudioſamque motuum inconcinnitatem & abſurditatem, neque novit geſtus ſuos formaſque iis quæ repræſentanda ſuſcepit adverſari magis quam congruere. Et tamen mirabilia ſibi facere videtur, & vel angelicas poſituras, res, actiones, formarum & geſtuum quibus ſe induit elegantia ſuperare: quod

C 7 ſine

ſine riſu videri non poteſt ab eis qui rei abſurditatem aperto utcunque oculo contemplantur; nec ſine lacrymis ab illis qui ſolicitiùs expendent, cum jactura temporis perdi & ludionis animam, ſi eo tempore relinquat mortalia, quo nugacibus hiſce formis eſt inveſtitus, in quibus & perpetuo eſt remanſurus, & omnis generis mala, quibus dedoluerat, intra ſe evigilare ſentiet.

E pauculis hiſce (vix enim quicquam tanti mali attigimus) animadvertat quæſo lector attentus neque doloſus, quantâ nunc in caligine, quantiſque in erroribus infeliciter tumultuetur humanum genus, utut inprimis ſibi ſapere videatur: dum revera ea eſt ejus corruptio, eæque tenebræ, ut crediderim hominem eum præ mentis admiratione exanimatum iri, cui divinum lumen humanæ depravationis abſurditatem, deformitatem & immenſitatem vivide aliquantum detegeret, quam ipſe Dei Spiritus in Scripturis mirari ſatis non poteſt, exclamando omnia vaniſſima eſſe & perdita, hominem jam beſtiis non præſtare, cogitationes etiam ſapientiorum vanas atque ſtultas omnino eſſe, itidem cum omni ſua ſapientia: *Confidunt in nihilo: loquuntur vanitates: conceperunt laborem & pepererunt iniquitatem. Ova aſpidum eruperunt, & telas araneæ texuerunt: qui comederit de ovis eorum, morietur; & quod confotum eſt erumpet in baſiliſcum. Telæ eorum non erunt in veſtimentum, neque operientur operibus ſuis: opera eorum inutilia.... cogitationes eorum, cogitationes inutiles. Exſpectavimus, lucem & ecce*

Vid. Eccl. I. 1. &c. cap. 3: 18. Eſa. I: 3. &c. & cap. 59: 4. &c. 1 Cor. 1. &c. 2. &c.

ꝛe tenebræ; ſplendorem, & in tenebris am- lamus. Palpamus ſicuti cœci parietem; & aſi ſine oculis attrectamus. impegimus meri- ꝛ quaſi in tenebris: in caliginoſis quaſi mor- : & infinita hujuſmodi.

L. Animadvertat & hoc ex jam dictis tan- ıam in tranſitu Lector ſincerus, videlicet, ıantis hinc inde ſcateat *erratis* Meditatio artefii quarta, quæ veluti pro clave intro- ıctionis ad veritatem & ad Sapientiam Phi- ſophiamque veram interdum commenda- ır & ſubminiſtratur. In quâ præter errores rca libertatem (quam indifferentem eſſe egat ex natura) circa concurſum, circa cau- ım finalem, & alia quæ hujus loci non ſunt, ꝛque alibi ſunt annotata, occurrunt ſequen- ꝛs. 1. Culpam diſſimulat Mentis qua ſe geſ- t tempore præterito. 2. Juſtitiam Dei igno- ıt, qua juſtum eſt ut intellectus rebellis, ıgratus, & qui ex vana curioſitate ad pro- rium amorem & dilectionem, ſuique exi- imationem, inquirere vult in rerum ideas mbratiles, relictis neceſſariis & ſolidis offi- iis, ita tradatur tenebris, ut perpetuo a copo aberret & fallatur. 3. Ipſas facultates ercipiendi, ratiocinandi, judicandi ægras tque corruptas eſſe, obliviſcitur, aut id ne ogitat quidem. 4. Supponit intellectum ıulla re, ſive idea debita, eſſe privatum; ed negative tantum deſtitutum. Contra, um crearetur nulla quidem deſtituebatur; ıt ubi ſe male geſſit, omnibus ſeſe privavit ıuæ naturas rerum luminoſe referebant. ;. Vim intelligendi non eſſe cauſam erro- rum,

L. Carteſii meditationem quartam hinc multorum erratorum falſorumque convinci.

Error qui fiat, & quæ ejus forma.

rum, quia, ut inquit, *quidquid intelligo cum a Deo habeam ut intelligam, procul dubio rectè intelligo, nec in eo poteſt fieri ut fallar*: hæc quidem vera eſſent de intelligentia mentis primævæ, aut de ea quæ poſt rebellionem, pravitatem, ægritudinem admiſſam, inde ſanata eſſet, & in primum ſtatum reſtituta: at non ita de mente quæ revera ægra eſt & corrupta, nec tamen adhuc de ſe ſananda meditata eſt, nedum inde ſit reſtituta: hæc enim quicquid pro ſuo illo ſtatu & captu intelligit, cum id non a Deo, ſed a delirio morbi ſui habeat ut taliter intelligat, procul dubio prave & defectuoſe intelligit, nec in eo fieri poteſt ne fallatur. Nam ſimulac deſiderium corruptum amoris proprii, ſtimulat intellectum ægrum & monſtroſum, ut ad delectationem ipſi pariat fœtus ſive ideas ſuas, & formarum quarumvis aſſumptione coram eo geſticuletur, is protinus pro morboſa ſua indole meras & abſurdas chimæras, ludoſque ineptos coram illo non poteſt non fingere, qui non Dei & divinorum ejus operum, ſed propriæ ſuæ ſtultitiæ & ægritudinis maxime ſint repræſentativi, & quibus dum deſiderium ſeſe ſuaviter atque acquieſcenter delectat, hoc ipſo formam erroris conſtituit. Cujus erroris punctum ſaliens eſt cupiditas corrupta geſticulationum intellectus ægri, qui ex activitate monſtroſa & vitiata materiam ſuppeditat chimæricam, quam admittens delectabiliter & acquieſcenter deſiderium, dicitur complete errorem admittere, atque adeo *errare* actualiter.

r vel, ſi ſic loquendum, etiam formali-. Ita ut, 6. Carteſius male ſtatuit, id od formam erroris conſtituit, conſiſtere ea privatione quæ ineſt in liberi arbitrii n recto uſu, quando nempe liberum arcium judicandi facultatem ad obſcura vel iota extendit: cum tamen in liberi arbinon recto uſu ſola privatio illa ineſſe poſquæ formam erroris moralis, ſive *culpæ*, n autem erroris philoſophici ſeu logici ca rerum ideas, conſtituit. Privatio mullex in errore ineſt, & cum eo concurrit. telle&us lumine primævo privatus eſt, ivatus item vi qua pollebat imitandi Deum idearum activa excitatione. Deſiderium eïſandi, privatum eſt ſcopo legitimo (glo-icatione & delectatione in Deo) cui turpis pidiras ſubſtituta eſt. Ipſæ formæ intel-tus activitate & vertibilitate excitatæ, ivatæ ſunt decora & ordinata ſimilitudine conformitate cum ideis Dei & naturis rem; & præter figmenta nugacia ut pluri-um, nihil ſunt. Jam ſi mens hic ſubſiſtet, nec iſtis largiretur acquieſcentiam & omplacentiam, (quæ judicium internum que affirmatio ſunt,) ſed diſpliceret ei in-llectum ſuum iſtiuſmodi chimærarum te-ebroſarum adeo eſſe vel invitâ illâ feram, ut furentis hiſtrionis inſtar vel invita ente geſticuletur, intus continuo garriat, ſeque in omnes ſine ordine formas vel re-ctante animo convertat adeo, ut nullus ii intellectûs, omniumque actuum ejus, el per diem unum Dominus ſit & compos in

ſo-

ſolidum; tunc non dicenda eſſet Mens errare: quanquam enim tunc intus latet materia erroris, illiuſque materiæ forma deformis, formarum abſurdarum inconcinnitas; attamen non adeſſet error approbative & complete, quippe qui demum adeſt quando in acquieſcentia & delectatione interna admittitur. Et hæc eſt proprie & præciſe forma *actûs erronei*, quando videlicet acquieſcentia noſtra, quæ pro formis ideiſque divinis & veris facta eſt, præſentiam & aſpectum fictionum noſtrarum, ludorumque ægri intellectus noſtri activi, cum voluptate & placito ſuſtinet & admittit. 7. Gratis etiam & male aſſumit loco dicto Carteſius, ſe & quotquot in ejuſmodi cum eo ſtatu ſunt, capaces eſſe claræ & diſtinctæ perceptionis, idearumque de rerum naturis clararum & diſtinctarum, nec non agnoſcendi quid ſit aut quando adſit illa claritas, quod abſolute falſum eſt, quamdiu facultates mentis non ſunt ſanatæ. Recurrent (opinor) inſtantiæ de ideis rerum mathematicarum, de quibus etſi aliquoties quædam monui, mox tamen ea addam quæ difficulatem & jactantiam funditus eliminent: nunc dicam tantum, illas non eſſe naturæ rerumve ideas; ſed ideas ſolum corticum naturæ, quæ ſub illis latens ipſis prorſus eſt incognita. 8. Tandem in dicta Carteſii Meditatione, quæ ſæpe ibi occurrunt, *libertas*, *intellectus*, *voluntas*, *judicandi* vel *affirmandi facultas* & ejuſmodi, quamvis clara per ſe vulgo quidem putentur, revera tamen ſunt naturæ abditæ & valde igno-

ɔtæ atque obſcuræ; unde qui his utuntur ulteriori explicatione, in multos inſcii dunt errores, & multa garriunt de erro: vero, quæ tamen non aſſequuntur. Res iſta niſi fallor & clarius percipientur ea quæ diximus de *libertate* facultates ad trium objectis aut exercitio applicante: *deſiderio* (quæ veluti prima voluntatis ; quædam eſt) intellectum ad actum ſtiante; de *acquieſcentia*, quæ eſt deſiden completum voluntaſque terminata, *rmatio*que & judicium internum: ut & intellectu ſeſe activitate ſua in formas iſvis vertente. Hæc enim in ſe quiſque ɔpria experientia fere palpare poteſt, madmodum & omnia quæ de corruptiohactenus diximus, modo (quod cogor ceſſario repetere) quis juxta leges atque gnita tria prima, cum ordine & ſinceritaentis a ſe & in ſe rem aggrediatur. Cæis ut nil a nobis hic dicitur, ita quæ illi rum occaſione dicturi ſunt, ad nos minime ctare cenſemus.

LI. Quæ hactenus dicta ſunt, eo colliint, ut *cognitis* vel cognoſcendis *primis* & id annumeret ſincera Mens, Se cum fatatibus ſuis corruptam eſſe; & ad veritais cognitionem & agnitionem eatenus ptam: ſciat autem hoc eſſe Philoſophoerratum capitale, *quod ſuam nolint devationem & ineptitudinem cognoſcere.* LI. Aliud capitale Philoſophorum erratum.

LII. Ex quo immediate ſequitur, SAATIONEM MEDIIS APTIS ESSE INC ANTE OMNIA QUÆRENDAM, quod LII. (5) Methodi veræ *lex quinta.*

eum errato capitali ei oppoſito.

quod pro lege quinta & pro cognito quinto habemus, proque errato ei oppoſito, & a Philoſophis admiſſo, *quod hoc vel negligant prorſus, vel aliis ſuis occupationibus ſegniter poſtponant*, agendi quadam ratione non minus abſurda, nec minus contra ordinem, quam ſi quis architectonicam diſcere & exercere vellet, & in ultimum locum rejiceret, aut prorſus negligeret, normam, circinum, perpendiculum, cæteraque inſtrumenta habere recta; de quibus tamen ante omnia fuerat cogitandum.

LIII. Ad reſtitutionem facultatum & intellectus in integrum, duo prænotanda.

LIII. Quomodo autem fiet illa in ſanum ſtatum reſtitutio?

Notandum in anteceſſum, primò, etſi omnes nævi nunc tolli non poſſunt, ad minimum tamen præcipuos & capitaliores debere corrigi & deleri.

Notandum ſecundò, quamvis optetur forte ut tantum hic agatur de eis, quæ rationem, ideas & philoſophandi actum ſpectant, non poſſe interim hæc inferioris ſubſellii ſanari, niſi etiam ſuperiora, quæ diviniora, ſolidiora, realia, maximeque radicalia concernunt, ſanitati reddantur ipſa, unde ſanus fiat in inferiora influxus. Alioqui (contra primam legem) turbabitur ordo: unde omnis generis confuſiones, tenebræ, erroresque non poterunt non promanare.

LIV. Quomodo ex divino præſcripto intelle-

LIV. Jam ſi homines & ſimpliciores eſſent, & veritatum Euangelicarum æſtimatores cupidi, dicerem ſimpliciter reſponſi loco, & conceptis Scripturæ verbis, quoniam origo mali eſt, quod (*a*) *Deus quidem* ba-

hominem creavit rectum, ſed ipſi quæſivere ratiocinationes multas, hoc eſt, hiſtrionicum ſuum intellectum activum, ſeu rationem humanam voluerunt ſic exercere, & in geſticulationibus ejus atque metamorphoſi perpetua ſic delectari, ut deſinerent facultates divinas & ſuperiores cum Deo exercere, unde lumen Dei amiſſum, & omnia mala introducta: hinc jam e contrario capiendum eſſe hiſtrionem, ligandum, & (*b*) *captivandum ſub obedientia Chriſti*, ita ut ad vocem Chriſti geſticulationes ſuas *abneget* & relinquat; & *ratiocinationes dejiciat armis juſtitiæ*, hoc eſt, cruce & clavis Chriſti, ita ut ei *imponatur crux Chriſti*, eumque *ſequatur* in monte, tendendo ad ſuperiora, & ibi pedibus manibuſque (quoad totam ſphæram activitatis ſuæ) ſic cruci affigatur ut amplius geſticulari non poſſit; ſed moriatur quicquid in eo corruptionis eſt, vitæque & activitatis propriæ. Tunc poſtea adorandus Spiritus Chriſti, qui ipſa Dei ſapientia eſt, ſuper eum deſcendens, illum e morte in vitam novam cum Chriſto ſuſcitaret; & per divinam e ſupernis auram, mente ejus in mentem Spiritus Chriſti transformatâ, oreque ejus lingua flammeâ donato, ex veteri hiſtrione, ſtultis proprii morbi impetibus prius agitato, faceret mirabilem (impulſore Chriſto vivente in eo) laudum operumque Dei admirabilium, tam in divinis quam in naturalibus quantum quidem opus & neceſſe eſſet, præconem & interpretem. Sed quæ noſtri Chriſtianiſmi nunc eſt calamitas, pudet fere omnes non tantum

Qui ratiocinationiſque morbo ſit medendum?

(*a*) Eccl. 7: 30.

(*b*) 2. Cor. 10: 4, 5.

tantum credere & fidere viæ & promiſſionibus Chriſti; ſed & ejus verba vel ore profiteri vel auribus percipere. Non hæc ſunt ſcilicet Philoſophicis auriculis ſatis accommodata, neque artem & demonſtrationes ſcientificas ad palatum hiſtrionis noſtri ſapiunt. Aliis igitur & philoſophicis utemur modis, ſi forte quis inde ad frugem revocari & perſuaderi poſſit.

LV. Intellectus æger petulans, & delirus, vix ac ne vix quidem de ſe ſanando vult audire quicquam.

L V. Verum quam primum mentio fiet de ſanando intellectu, jam protinus plurimi avolabunt, delirantes, aut ſe jam ſatis ſapere, aut in incepta ſapientia & dexteritate ſua ſibi pergendum eſſe. Alii, ſi quidem ſibi auxilium optent, id ſuo modo comparatum eſſe volent, ſimiles ægris Medicum inſtruere volentibus quid ipſis ſit præſcribendum. Ita enim depravatus, ita ſuperbus, imo & propriæ cœcitati ita inſenſibilis ſtupidusque, & ſimul uſque adeo audax aſinus redditus eſt intellectus corruptus, ſibi ut videatur quibuſvis ſapientior & prudentior. Optimi quique non ſine tergiverſatione, difficultatibus, quæſtiunculis, inſtantiis, negotium ſuæ ſanationis aggredientur: timent ſe circumveniri: ſemper ex ſe agere ſatagunt. Et cum primis quidem illis iterum nil agendum: hiſce vero ultimis, quæſtionibusque quæ ab illis moveri poſſent, ſatisfacere forſan conabimur. Sed vero prius indicanda pro ſanationis medio proximo, proque Veræ Methodi regula ſexta Axioma ſequens, quod inter cognita prima meretur recenſeri. Id autem hoc eſt.

LVI. Mens ad incolumitatem recipiendam, agnita & deploraţa ægritudine impotentiaque, abſtineat ab actibus intellectus ſui, quem offerat Deo paſſivum, ſolo deſiderio ſanitatis a Deo impetrandæ agens, nec non firmiter decernens ſe impoſterum, ſi reſtituta fuerit, non recturam amplius facultates ſuas ad placitum proprium; ſed ad voluntatem Entis ſummi, juxta ordinem proportionemque quæ debet eſſe æterna inter & caduca, ſpiritualia & corporea, interna & ſuperficiaria, neceſſaria & acceſſoria, realia & umbratilia, divina Dei placita, & peſſima proprii amoris ſe pro ſcopo ſtatuentis cupita.

LVI. (6) *Sexta* veræ Methodi *lex*, de medio fanationis proximo: cum errato oppoſito.

Hoc qui non obſervaverint; ſed in oppoſitum iverint, *errato* cætera præcedentia complectente cumulabunt omnia. Aſt ubi quæ hic præſcripta ſunt, vere in Mente erunt, explicabit ſe in illius intimis pro coronide regularum & cognitorum ab ea debite adhibitorum, Operatio Dei eam

ſanans,

ſanans, atque ad lucem veritateſque quaſvis recipiendas & agnoſcendas ſupra modum & vim omnem activam & naturalem aptam reddens.

LVII. Nil ultra hæc ad generalia Methodi requiſita poſtulari poſſe. Tranſitus ad ſequentia.

LVII. Atque hæc eſt ultima regula ultimumque ex generalibus cognitis, quæ animadvertenda ſunt antequam ad ſpecialiores veritates cognoſcendas deſcendatur. Ultrà, nil requiri poteſt: ſunt enim infra hæc generalia ipſæmet veritates ſpeciales proxime conſtitutæ, quæ vel a Deo immediate diſpenſantur, vel a mente ſanata ordine ſibi in intimis attendente, detegi poſſunt: quæ quidem non ſunt hujus loci atque operis.

Hic tantum ſupereſt ut ad ultimæ hujus regulæ, cognitique pleniorem dilucidationem, ſatisfaciam quibuſdam difficultatibus, quæ à nonnullis forte moveri poſſent de materiis in eo contentis, nempe 1. de impotentia mentis ſeu intellectus, 2. de ejus quiete: 3. de ſtatu paſſivo: 4. de actione ſeu operatione Dei in ea: 5. de divino lumine: 6. de ſtatu mentis ſupernaturali: & 7. de deſiderio ejus, ceu medio ad obtinendam reſtitutionem. Quibus de materiis, quia illæ, ut patet, ad rem præſentem ſpectant, utiliſſimæ atque neceſſariæ ſunt, & nihilominus valde raræ & parum obviæ; quia denique circa hæc & ſimilia, nonnullæ difficultates & quæſtiones ex occaſione eorum quæ de iis in *Diſcurſu præliminari Cogitationum de Deo*, tetigeram,

tetigeram, mihi motæ ſunt aliquando a Generoſo quodam Veritatis ſolidioris Amatore: ea propter non pigebit nunc ex iſtiuſmodi quæſtionibus magis præcipuas hic ſubnectere enodatas, veritateſque momentoſas, quas lectores vel ob minorem attentionem, vel ob habitus & præjudicia adverſa, vel ob proclivitatem noſtram ad partes oppoſitas, vel ob minorem in his exercitationem, facile, tametſi perceptas, obliviſci poſſent, vividius ſi potero, inculcare, nonnullaſque pluribus modis, quo poſſint ipſis eſſe exemplorum vel exercitii loco, in quibus ſe aliquamdiu optem ut exerceant, donec hæcce mentibus æternis vere digna vereque proficua materia, aliquantum ipſis fiat familiarior.

PARS ALTERA.

Ubi variæ quæſtiones & difficultates de intellectus impotentia, quiete, paſſivitate, de Dei in illo actione & lumine, deque ejus ſtatu diviniori & medio ad illum proximo, enodantur.

I. *De impotentia Intellectûs.*

QUæritur primo, cur tanta prædicetur Intellectus impotentia, ſiquidem experientia conſtet eum plurimas veritates, tam circa divina quam circa naturalia, circa ſui erga Deum, erga ſe, erga alios regimen offi- Quæſtiones variæ de intellectu. 1. Cur tam impotens

dicatur, cùm in eo plurimæ innaſcantur veritates?

officiaque detegere & agnoſcere in ſe ipſo, unde hæ etiam *veritates innatæ* dicuntur; ut taceam nunc infinita naturalia, quæ in mentibus utut corruptiſſimis reperiuntur tamen? *Reſpondeo*: Has veritates non exurgere mente qua ægra & ſibi relicta, ſed ex operatione & ſubminiſtratione Dei, qui mentem ægram & mortaliter ſopitam ſanare volens, gratiam ipſi dat aliquatenus expergiſcendi, lumina largiens quædam vireſque nonnullas, quibus illa tum ſe agnoſcat ægram, tum videre incipiat Medici auxilium & potentiam, quæ imploret. atque iis præterea ſeſe in vita corporea, quæ (cum aliis degenda) ſanationis tempus eſt, ſuſtentare queat. Sed ſi anima præviis iſtis gratiis tam turpiter abutatur, eas ut ſibi velut origini vendicet; ſeque inde potentem & auxilio opitulatoris non indigentem imaginetur, atque ad lubitum conceſſis, non ad emendationem, utatur; tunc profecto ſimilis dicenda eſt ægro lethargo & peſte laboranti, qui præparatorio medicamine a Medico accepto, a veterno evigilans, nonnulliſque ſeſe motitandi viribus præditum ſentiens; id propriæ ſuæ potentiæ ſufficientiæque, quæ alieno auxilio non indigeat, acceptum referret, neque Medicum & medicamenta curaret, ſed valere juberet. Secundo, ipſæ illæ virium aut luminum primitiæ, ita ſunt comparatæ, ut impoſſibile ſit homini ſibi de potentia ſua fidenti, educere inde corpus aut ſyſtema aliquod completum veritatum divinarum aut naturalium, multo

multo minus ſeſe ex virtutis præſcripto erga Deum, erga ſe alioſque regere: uti patet experientia mille ſyſtematum chimæricorum ſibi oppoſitorum, nec non diluvio univerſali tot vitiorum terras undique inundantium, non ruſticorum modo, ſed & literatorúm. Quæ ſane eſt convictio ſuæ in ipſis illis, quibus ſe jactant luminibus & viribus, impotentiæ, & quidem ideo culpandæ, quod eam, tametſi convicti, aut nolint agnoſcere; aut ab ea agnita deficere, & ad paratum Opitulatorem Optimum omni nixu ſibi ſubminiſtrato tendere recuſent.

2. Cur intellectus non amittat aptitudinem cognoſcendi veritates mathematicas: amittat autem aptitudinem cognoſcendi divinas ſibi magis congruas.

2. Quæritur Secundo: quænam ſit proprie ratio fundamentalis, cur intellectus, in quo ſtatu nunc eſt, rerum mathematicarum veritatibus indubie cognoſcendis, ſcrutandis, detegendiſque in infinitum aptus ſit induſtria ſua naturali; non autem ita ſe habeat ad veritates divinas, eaſque quæ rerum naturas concernunt? Ratio dubitandi: Si Deus, qui eſt liberaliſſimus, talem menti naturam dedit ut non poſſit perdere capacitatem veritates ejuſmodi mathematicas agnoſcendi & detegendi; quare non dediſſet id quod liberalitati infinitæ congruum magis videtur, naturam nempe quæ non poſſet amittere capacitatem cognoſcendi veritates animæ dignitati magis convenientes? Antequam reſpondeatur, obſervandum primo, in omni quæſtione mathematica, imo in omni linea, ſuperficie, figura, particula & quanto, omnia maxima & minima, pluraque alia maxime radicalia & eſſentialia,

eſſe incognita & menti inſcrutabilia, ita ut fere exteriora tantum ſint intellectui acceſſibilia, ut alibi (a) annotatum eſt. Obſervandum ſecundo, non negari, intellectum earum veritatum, quarum ex creatione & conſtitutione capax eſt, ſemper eſſe capacem: eſt equidem; at remote, non proxime: activitate item aliena, non ſua: qua in re a capacitate veritatum mathematicarum differt ſequentes ob cauſas altius repetendas.

(a) Supra §. XXXII. Infra lib. I. §. 17.

Veritates rerum duplicis ſunt generis. Aliæ concernunt rerum fundum naturalem & materialem; aliæ rerum ornamenta, complementa, perfectionem, immeationem, combinationes, lumen, gloriam, beatitudinem. Hæ, quia a Dei lumine, gloria, beatitudine, meraque gratia emanant in res, & non pertinent ad rerum naturales partes, adeoque amitti poſſunt, patet non poſſe eas capi & cognoſci niſi a mente quæ luminis divini adhuc ſit particeps: & cujus corpus iiſdem, quantum eorum capax eſt, non ſit privatum: adeoque ſi quæ Mens lumine Dei privata eſt, corpuſque ejus gloria primæva; conſequitur eam non poſſe iſtius generis veritates de bono ſtatu & connexione ordinata rerum cognoſcere, quippe deſtituta tum cognitione cauſæ earum efficientis, luminis ſcilicet & gloriæ Dei; tum effectu ſive experientia ejus in ſe ipſa, ſuoque corpore. Veritates autem quæ concernunt ipſam rerum baſin, ut ſic dicam, & materiam naturalem, ſine qua res nullo modo eſſe poſſunt, ſunt quoque duplices. Vel enim concernunt

rerum

rerum ortum intimum, modumque quo illarum eſſentia, vires & facultates ex Deo natæ ſunt, quid illæ ſint, quid in Deo referant; & de his quoque patet, quod ea mens, quæ Dei lumen amiſit, nec novit interiora Dei, non poſſit quoque noſſe interiora rerum, quippe quæ ectypa ſunt interiorum Dei: adeoque mens illam capacitatem non poteſt non amittere ſeparando ſe a Dei lumine: Vel eæ veritates reſpiciunt rerum materialia externa, & veluti cutim atque terminos, qui cum maneant in rebus utut in ſtatum omnium dejectiſſimum redactis, eorumque experientia cum in corporibus reperire ſit miſerrimis atque damnatis, tum in mentibus infelicibus; conſequitur, corruptas haſce mentes & miſeras, ſiquidem earum veritatum experientiam habeant, ideas quoque ratiocinatas earundem formare poſſe ſine lumine & gloria Dei, cujus iſtiuſmodi craſſæ, externæ, ſuperficiariæque veritates neutiquam ſunt emanationes gratioſæ. Quia vero mathematicæ veritates ſunt ultimi hujus generis; veritates autem naturæ rerum ſpiritualium & corporearum, nec non & ſuorum ſtatuum completorum, ad priores duas ſpecies pertinent, patet funditus ratio cur mens vel intellectus corruptus ſive lumine Dei privatus, has non poſſit detegere & cognoſcere; illas vero, utut miſer ſit & cœcus, extraque lumen Dei, aſſequi tamen poſſit.

3. Quæritur Tertio: Unde conſtet, Ratio-

3. Unde conſtat intellectum activum, ſeu rationem, eſſe facultatem ſuperficiariam ſive acceſſoriam?

nem ſive Intellectum activum, nobis eſſe facultatem ſuperficiariam & acceſſoriam, ac veluti accidentalem; non vero præcipuam; & dari in nobis facultates magis intimas atque eſſentiales? *Reſpondeo*: Dei potentia agendi in me; non pendet a potentia, qua intellectus meus excitat in me ideas activitate ſua. Ergo quamvis non eſſet in me potentia excitandi mihi ideas activitate mea, atque adeo quamvis omnibus rationis ſeu intellectus activi ideis carerem, poſſet tamen Deus, cujus, ut dictum, potentia a me non pendet, vividum in me ſui ipſius lumen, ſuamque vividam ideam ſine actu meo ponere & excitare. Et quia Deus eſt perfectiſſimum & beatiſſimum bonum, ſi hoc modo potirer ſolo Deo, ſoloque ejus lumine, tunc nullatenus externus eſſem, ſiquidem rerum externarum ideas nullas haberem, (hoc eſt eſſem intimus,) & vero eſſem complete beatus atque perfectus, (perfecto quippe gaudens bono) ſine facultate, ideis & actibus rationis humanæ. Ergo ſequitur & me habere capacitates ſive facultates magis intimas & eſſentiales quam ſit Ratio; & vero Rationem eſſe reſpectu harum facultatum Dei capacium, acceſſoriam, ſuperficiariam & veluti externam, ſive, quod idem eſt, Rationem eſſe facultatem, quæ comparata cum capacitate qua Deus animæ jungi poteſt, ſit veluti ſuperficiaria, externa & acceſſoria.

Eſt etiam eadem ſuperficiaria reſpectu fruitionis rerum: nam rebus ipſis non poteſt frui

frui Ratio, nec rerum interiora vivide penetrare, ſic Ratio v. g. non poteſt percipere lumen Solis vivum uti oculus, vel intellectus ſenſualis oculo adjutus. Senſus animæ tum interni, tum externi, multo plus ſoliditatis habent: & rerum interiora atque ſubſtantiam magis deguſtant; quam intellectus activus, ſive Ratio quæ tantum rerum quaſi ſuperficies & picturas veluti per vitrum lambit, ſuccum non admittit. Plura de his in libro de Eruditione Superficiaria.

II. De quiete Intellectus activi ſeu Rationis.

1. Quæritur, quænam ſit illa quies requiſita intellectus activi, ſive rationis, ut a morbo interim ſanari & convaleſcere poſſit? an debeat, & an poſſit ratio eſſe ſine actu aliquo? *Reſponſio.* Non requiritur ut ratio aut non agat prorſus, aut ideis omnino careat; ſed tantum poſtulatur ut ipſa ſtudioſe illas in ſe non excitet eas ſcientifice contemplandi & demonſtrative connectendi gratia, atque etiam ut a lectione librorum qui hoc exercitium in illa ſupplent & fovent, non patiatur id in ſe fieri. Hanc abſtinentiam a libris rationem ſcientifico modo nimis exercentibus, atque eam etiam perverſe nimis commendantibus, non poſſim ſatis inculcare. De me auſim dicere, ſi ejuſmodi libri, quales novitii quidam, qui rationem, ejus ideas, actuſque, nobis com- 1. Quid ſit quies intellectus & an ſit poſſibilis?

mendant velut lumen ipſum Dei, velut Deum ipſum nobiſcum ſe communicantem, exhibentem, colloquentem, in manus meas incidiſſent, antequam ſolidioris veritatis principiis eram inſtructus, æternum de me actum fuiſſet: quippe omnium perniciofiſſimo illo errore imbutus, rejectionem rationis ſcientificæ quaſi rejectionem Dei ipſius conſiderans, remedii admittendi fuiſſem incapax. Hæc ergo omnino ſeponantur. At ſi quas habet ratio in ſe ideas, ſi quas ex præparatoriis Dei gratiis ei affuſis adipiſcitur, eas contempletur ipſa, licet, imo ex eis etiam ratiocinari poſſit, non demonſtrationes ſcientificas curioſitati ſuæ ſpeculative exhibendi gratia; ſed ut inde motus & affectus in ſe excitet laudum, amoris, admirationis Dei, ſui contemtûs & humiliationis, hortationis ad officia & diligentiam ſpiritualem. Atque id ſane activitatis genus & ſalutare & perquam neceſſarium eſt, nedum ab hoc ſit abſtinendum: namque & gratiæ (quibus nos a Deo præveniri diximus ad quæſt. 1.) ita impendi debent; & vero niſi hujus generis activitas deberet intervenire, nidularetur profecto pigritia & amor proprius cum omnis generis nequitiis in mente ſimpliciter otioſa, aut veluti ſtupida: quæ pigritia, quantum quidem ad eos ſpectat de quibus agitur, alio modo quam hujuſmodi activitate diſpelli non poteſt.

Activitatem bonam.

Cæterum quia in activitate ipſa noſtra, etiam in hac quam bonam eſſe diximus, ineſt

eſt imperfectio, craſſior captus & motus, a Dei ejuſque actionum ſpiritualitate multum abludens; ac præterea quoque in eadem occultatur adhærentia quædam noſtri, ſtudiumque nobis ipſis & noſtris agendi modis complacendi; hinc ſuo tempore in iis, qui ad ulteriora bene ſunt diſpoſiti, efficit Deus, ut etiam hujuſmodi ceſſare debeat activitas. Et tunc quidem ei pertinaciter non eſt obſiſtendum. Sed antea interim ſolet Deus, nec non & Sanctiores, media quædam adhibere ad infringendam illam activitatem intellectus, in ipſo bono nobis interdum nimis gratam, nimis placitam, & quæ quandoque ſuperbiæ, pertinaciæ, multorumque malorum ſuggerit occaſiones; quam ille ideo eouſque vult mortificare (ut ſic dicam,) ut ſibi fiat velut indifferens, mortua, quieta. Inter quæ media unum ex maxime conſpicuis illud eſt, ut intellectui proponatur, ne ipſe de divinis meditandi materiam, quam quidem velit, ex ſe deſumat; ſed ut ea ipſi in ſanctioribus quibuſdam libris præſcripta exhibeatur, quorum cogitatis debeat ſe continuè accommodare, & in quibus tamen invenit nullam artem, nullos nexus, materias ipſi minus gratas, & (quod gravius eſt) vel centies repetitas atque ubivis recurrentes de ſuis demeritis, corruptione, ſui contemtu, odio, fuga, abnegatione, crucifixione, de amore rerum divinarum & æternarum, virtutum acquiſitione, & ſimilibus; quæ is ſe dudum ſcire ſibi perſuadet, quæ tamen vel ad nauſeam uſque ei

quandoque frangendam: & media ad hoc.

ac ſi aſinus eſſet ſtupidus, earum capiendarum inidoneus, ingeruntur & repetuntur, quæque vel decies vel centies lecta, adhuc pluries legere debeat. Hæc ſane curioſum novorum intellectum ejuſque pruritum ſtrenuè coërcent, cujus & interna ab his averſatio pateſcit ſatis ex querelis de iſto ſecum agendi modo; quibus oſtendit ſe tum adhuc valde imperitum ac ignorantem eſſe in viis Dei, tum perquam adhuc opus habere ſimilibus mediis activitatem ſuam reprimentibus; & hinc ſimul apparet nullis aptioribus remediis hiſtrionis illius curioſam agilitatem ac deſiderium quod habet mutabilitatem ſuam in omnia convertendi, deleri & rumpi poſſe; quò deinceps, iſta præparatione adhibita, omnes Dei impreſſiones ſine propriorum motuum obſtaculo recipere queat.

III. De paſſivitate hominis, ejuſque facultatum:

1. Quid magis obtineat in homine: activitas an paſſivitas?

1. Quid magis obtinet aut occurrit in homine ejuſque facultatibus, activitas an paſſivitas? Hæc de paſſivitate cum omnium ſit momentoſiſſima materia, aliquantum diſtinctius ad hanc & ſequentes quæſtiones de ea proferam, quæ alta mente reponenda peroptem.

In homine ACTIVA ſunt 1. ejus libertas, qua facultates regit & applicat: 2. ejus deſiderium, quo motus in anima excitat, & forte etiam in corpore: 3. ejus ratio ſive in-

intellectus activus, idearum faber & complicator.

Et de his notandum: (1) Libertatem præter determinationem vel regimen nil efficere aut operari, non facultates, non actus, objectave aut ſenſus facultatum. (2) Deſiderii motus quoſcunque per ſe ſolos eſſe tenebroſos & angentes, niſi aliunde accedat & lumen, & objecti boni verſus illos effuſio atque operatio. (3.) rationis ideas itidem, præterquam quod per ſe ſint tantum picturæ ſteriles & inefficaces atque mortuæ, non poſſe inſuper bene formari, ordinari, ac lumine ſuo condecorari, niſi id aliunde e ſuperioribus ei affundatur.

Ita ut omnis & tota hominis *activitas*, in ſe ſola conſiderata, ſine ullo alio auxilio, paſſive aliunde recipiendo, in hoc conſiſtat, ut ſuas facultates ad lubitum movere poſſit inter tenebras, anxietates & chimæras. Et hic eſt infernus ille verus & proprius, portio æterna omnium Dei deſertorum, qui ſibi ipſis, ſuis potentiis, ſuæque activitati propriæ voluerunt ſe dedere, adhærere, iiſque confidere & niti. Status activitatis per ſe quis?

In homine Passiva ſunt,

1. Ipſiſſima illa, quæ jam diximus, *libertas*, *deſiderium* & *ratio*, idque duplici modo. Primo quidem ex origine: namque nos ea ipſa non effecimus nobis; ſed accepimus, & paſſivo modo recepimus a Creatore: omne enim quod factum eſt, ſe fieri paſſum eſt, eſtque origine paſſivum. Deinde eadem etiam ſunt, aut fieri poſſunt, ſive

d 6 po-

potentiâ ſunt, paſſiva ex regimine, quando videlicet homo intuens ſe ſola activitate libertatis, deſiderii & rationis, nihil præter anxias tenebras efficere poſſe, ſponte tradit & reddit Factori ſuo libertatem ſuam, deſideria & rationem, ut ille opus ſuum ſua ſapientia regat, lumine illuſtret, bonitate & liberalitate perficiat. Tunc enim Deus hominis libertatem aſſumit, regit, ſervat & perficit, isque tunc ut talis, vere poteſt cum Paulo dicere, *equidem vivo; tametſi non vivo ego; ſed vivit in me Chriſtus, & quod vivam in carne*, (quod inter homines appaream vivere ut ipſi, me regere, diſponere de meis actibus & facultatibus ſicut ipſi) *id vivo in fide Filii Dei*, in commiſſione & traditione facultatum & regiminis mei Filio Dei, qui acceptas illas regit. *Scio cui credidi*, & cui commiſi totum regimen meum cum omnibus meis facultatibus & actibus, & ſcio *quod ſit potens ad conſervandum* contra omnia pericula & mala quibus hac in vita ſumus obnoxii, *depoſitum meum*, me facultateſque meas, *uſque ad diem illam*, in qua præteritis periculis, reddet omnia commiſſa extra periculum omne glorioſa & perfecta.

Gal. 2: 20.

2 Tim. 1. 12.

2. Paſſiva ſunt præterea in homine, *fundus* ille vel receſſus intimus mentis nobiliſſimus & immenſus, Deo æterno, qua tali, fruendo factus, quique a ſola ejus æternitate affici & actuari poteſt: deinde *Deſiderium mentis ſupremum*, quatenus proxime ad fruendum Deo diſponendum eſt: non enim deſiderari poteſt modo ei proxime digno,

nisi

niſi ipſemet deſiderium actuet & inflammet atque inveſtiat: Porro, *intelligentia* ſive intellectus ſuperior atque divinus mereque ſpiritualis, qui ſolo divino lumine poteſt affici & illuſtrari, & ad quem nulla activitas, niſi Dei ſolius, nullæque ideæ accedere poſſunt, inter merè paſſiva habetur: tum & *acquieſcentia & lætitia ſumma*, quas niſi a ſolo ſummo ente & bono poſſe affici & impleri, manifeſtum eſt. Denique ipſa etiam *via* noſtra, cum omnibus *ſenſibus* noſtris, iuternis atque externis (hoc in ſtatu ſaltem,) paſſiva ſunt: neque activitate, ſed paſſivitate & recipiendo, percipiuntur a nobis vividæ illæ ſenſationes ſive imagines lucis & viſibilium omnium; item ſoni, ſapores, odores & alia hujuſmodi quibus afficimur. De objectis jam nil dicam, quæ in nos agentia, extra aut intra nos ſunt; etenim per ſe patet illa a nobis non eſſe effecta; ac proinde nos ad illas ſive ad illorum in nos effluxus, eſſe etiam mere paſſivos.

Jam ſi ex collatione activorum & paſſivorum in nobis comparatio inſtituatur, evidens fiet, activitatis quidem noſtræ ſphæram admodum parvam eſſe; paſſivitatis autem tantum non immenſam.

2. Quæritur ſecundo: Quibuſnam magis perficiamur vel poſſimus perfici, activis an paſſivis. *Reſp.* Quamvis ex modo dictis pateat, quid huic quæſtioni poſſit reſponderi, dico tamen expreſſius: Paſſivis magis perfici hominem quam activis. Nam perfectio ſeu beatitudo ſumma, a Deo actibuſque ejus pro- 2. Quibus magis perficiamur: actione an paſſione? Felicitatem &

perfectionem ſolidam in paſſione conſiſtere, ſed admitti actione in paſſionem terminata.

procedens, paſſivas facultates cum penetralibus intimis tanquam vaſa ſibi deſtinata, implet, agit, beat. Ipſa harum facultatum paſſivitas actualis ſive paſſio Dei, ſive *τὸ pati Deum* ejuſque actus, eſt formalis animæ perfectio atque beatitudo. Equidem activitas ad hominis perfectionem etiam conducit, ſed ſuo modo; hoc eſt, non efficienter, ſed admiſſive: activitas admittit non efficit perfectionem à Deo procedentem & animæ oblatam, veluti in mendico extenſio manus admittit, non autem efficit, oblatas divitias. Et notandum eſt, hanc activitatem ejuſque actus, non eſſe rationis neque etiam ſpecialiores deſiderii actus; ſed generalem, ſincerum & conſtantem illum libertatis actum, quo ſe cum deſiderio, ratione & omnibus tradit paſſivam Deo, ita ut is ipſe actus perfectionis admiſſivus in paſſivitatem terminetur.

Activitate ſola damnationem effici.

Qui ſi ſe ipſo ſive ſua activitate vellet terminari, vel potius continuari, regi, niti, hoc ipſo redderet ſe perfectione oblata indignam, eamque repelleret, atque efficeret ſui perditionem & miſeriam æternam, quæ ubi per activarum facultatum culpam ita effecta eſt, in facultates quoque paſſivas redundat, a quibus percipitur quatenus & ſe privatas, ſummo bono ſentiunt, tum etiam tenebris, inquietudine, chimæriſque abſurdis torquentur atque agitantur.

Ergo ſumma perfectio homini advenit & fit ab alio agente (Deo) per facultates paſſivas, in quibus habitat & conſiſtit: admittitur autem tantum, at non fit, per activas,

quando

quando hæ paſſivitati ſeſe tradunt. Econtra, ſumma hominis miſeria fit & admittitur per facultates activas, activitatis ſuæ vindices, & paſſionem divinam rejicientes. Et hæc eſt ratio quare Sanctiſſimi quique ſemper hic timeant quando ſe ut agentes reſpiciunt. *Verebar omnia opera mea*: inquit (a) Jobus, ipſique Ethnicorum ſaniores inter ſigna ejus, qui in vera eruditione proficit, poſuerint, (b) *ſe ipſum velut inimicum & inſidiatorem obſervare.*

(a) Job. 9: 28.

(b) Epictetus in Enchirid. cap. 72.

Ad perfectionem acceſſoriam nos itidem paſſive nos habere.

In perfectione acceſſoria, quæ externa & corporea reſpicit, ſimilia queunt obſervari. Quamvis enim haberemus libertatem facultateſque activas movendi corpus, ejuſque membra, os, oculoſque aperiendi, deſiderandi ſenſationes gratas, excitandi vel imaginandi in conceptu noſtro ideas varias de objectis; ſi tamen præter actus iſtos non adeſſent aliunde objecta grata, luminoſa, compoſita, nec ullæ eorum in nos eſſent actiones, quas paſſive reciperemus; quid aliud quam miſeria, externæ tenebræ, anxietateſque foret totus homo cum ſuis omnibus actibus? Deſiderium cibi, ſine cibo, ipſum fame torqueret; deſiderium luminis apertioque oculorum ſine lumine, tenebras ejus neutiquam diſpelleret; libertas active ſe movendi quo vellet, non impediret ſane quo minus ſeſe in præcipitia daret. Quod ſi objectorum bonorum luminiſque abſentiæ ſubveniri poſſe arbitraretur per actus & ideas rationis, atque adeo in ſe eniteretur excitare ideas ciborum & ſatietatis, ideas luminis, ideas viarum, urbium, regionum, corporum,

rum, plantarum, animalium, rerumque quibus ad regimen conſervationemque ſui opus haberet; quis non videt & meras eum chimæras effecturum, &, ſi ſe illis juvari poſſe crederet, deliraturum atque periturum? quamvis enim omni quâ poteſt induſtria vel per ſeculum integrum eniteretur unius radioli luminoſi, aut ſimplicis cujuſdam domunculæ rerumque quæ ibi continentur, ideas excitare, nihil tamen omni ſuo labore efficeret quod rectum ſit, multoque minus quicquam ſibi procuraret proficui. At ſi apertis ejus oculis, facultatibuſque ex liberalitate Creatoris objiciatur lumen cum objectis luminoſis & bonis, tunc vel nictu oculi plus admirabilium, vividarum & delectantium ſenſationum imaginumque percipiet, quam infinitis annis vel peritiſſimus pictor mortuo modo potuiſſet depingere, vel quivis omni activitatis molimine umbratiliter & caſſè imaginari. Vide ut momento vis Creatoris per naturam agens, totius hemiſphærii cœleſtis terreſtriſque horizontis creaturas innumeras in fundi oculi ſpatiolo ita exacte & admirabiliter depingat, ut fruſtra fuerint ſi vel mille annis immenſoque labore idem conarentur imitari; ne dicam modum quo mens inde afficitur, eſſe omni humanæ activitati & rationi inimitabilem, imo &, nunc quidem, incomprehenſibilem: & tamen id paſſivo modo nictu oculi perficitur in nobis, dummodo oculos tantum aperiamus, eoſque luci objiciamus paſſivos. De infinitis aliis

ſimilia

ſimilia detegere poſſis circa corporea: at circa divina, quanto infinities id verius eſt? Intellectus tui (animæ oculi) activitate ſi Deum, ſi divinas res, lumina, objecta, affectus, ſenſus, vias, opera, & quæ immenſa ejuſmodi ſunt in rebus ſpiritualibus & internis, ea, inquam, ſi velis rationis tuæ activitate atque ideis repræſentare, tibique ita opem adferre; miſerandis & operoſis chimæris te ipſum miſere circumvenis, etiamſi tibi ſoli plus quam omnibus ſimul hominibus ſuppeteret ingenii ſupellex ampliſſima. At ſi oculo intellectus activi clauſo, paſſivam Deo obvertas intelligentiam, is vel uno momento omnes aut quaſcunque volet, & quando volet, divinitatis veritates atque theſauros perfecte tibi & vivide ſuo lumine detecturus eſt, quod lumen idcirco in ſacris adeo ardenter efflagitant Sancti, tanquam omnis boni & perfectionis compendium atque complementum.

Ex his clarum eſt, præcipua & fere omnia hominis bona, tam divina quam naturalia, conſiſtere & perfici in paſſivis; etſi in libertate ejus activa poſitum ſit (quod nunquam negandum eſt) ea vel admittere vel rejicere. Atque adeo liquidum eſt, delirare illos qui nolunt niſi ex excitatis ſua activitate ideis ſapere, quique irrident eos qui ſapientiam & cognitionem aliunde quam a ſe exſpectant: qua in re profecto imitantur tenebriones, qui in tenebris nil niſi activitate manuum, palpando & contrectando cognoſcentes, rejicerent omnes vias aliis modis ob-

objecta percipiendi, & verò irriderent cunctos de rebus per lumen oculóſque paſſivo plane modo cognoſcendis loquentes. Sed redeamus ad quæſtiones noſtras, quarum erit,

3. Unde conſtet Mentem hac in vita habere facultatem ratione recta majorem ad cognoſcendum Deum?

3. Tertia: Unde ſciam Deum dediſſe hac in vita menti meæ ejuſmodi paſſivam eum cognoſcendi facultatem, intellectu activo, ſive ratione recta majorem? Unde qui nondum id expertus, idipſum ſibi perſuadebit, ut de eo ſpem ſibi faciat, eoque adſpiret, & media, ſi quæ dantur, adhibeat?

Reſpondeo; qui in altera vita ejuſmodi facultates dandas eſſe ſolum profiterentur hic autem non; illi & rerum naturæ, & ſibi implicite contradicerent. Notandum quippe eſt, ea quæ ſunt homini maxime eſſentialia & intima, talia eſſe, quæ ſemper adſint homini, non autem quæ uno tempore abſint, alio adſint, veluti ſunt acceſſoria. Atqui facultates noſtras paſſivas, qualis hæc eſt de qua quæritur, eſſe homini maxime eſſentiales & intimas modo oſtendimus in reſponſione ad tertiam quæſtionem de impotentia intellectus activi: & nunc conceditur vel ſupponitur eas aliquando (in altera nempe vita) in homine eſſe futuras: Ergo jam nunc adſunt. Præterea, ſi illas poſſumus in altera vita recipere; ergo habemus capacitatem ſive facultatem illas recipiendi: atqui hæc facultas illas recipiendi ſunt ipſiſſimæ illæ jam facultates, quæ quia ſummæ ſunt, non habent opus ut inſint in aliis facultatibus, ſed inſunt ipſi immediate rei naturæ. Contra-

tradictio itaque eſt, dicere, haberi quidem facultatem eas facultates recipiendi, non vero haberi facultates ipſas.

De multiplici horum experientia & unde deſumenda.

Quod experientia ejus ſe dicant deſtitui, querela erit juſta, ubi media omnia ad experientiam faciendam, in regulis præcedentibus expoſita, adhibuerint, & tamen rem ad cujus experientiam adſpirant, videbunt non obtineri. Spem autem rei conſequendæ, animumque ad media exſecutioni mandanda addere, imo plenam certitudinem generare debent ſequentia. Primo quidem, & præcipue, Dei potentia, cum ejus bonitate & ſapientia. Quis enim dubitabit, poſſe Deum per actum ſuum excitare in intellectu noſtro majorem & clariorem ſui cognitionem quam nos ipſi per induſtriam atque activitatem noſtram? Si Deus hoc poteſt in homine efficere; ergo homo habet potentiam idipſum a Dei actu patiendi. Ergo habemus de facto potentiam ſeu facultatem qua magis cognoſcamus Deum paſſivo modo, quam facultate ſeu potentia activitatis intellectus, ſive rationis noſtræ, etiam rectæ & incorruptæ. Et quemadmodum ex Sapientia & bonitate Creatoris in operibus ſuis recte ſequitur: homo habet facultatem eſuriendi, ergo & facultate edendi ciboſque admittendi donatus eſt & eſſe debet: ita ex deſiderio quod unusquiſque (juxta leges 2 & 3) in ſe experiri poteſt, adſpirandi ad cognitionem excellentiſſimam, omnibuſque tenebris carentem, ſequitur dari in eo facultatem iſtam cognitionem recipiendi, tanquam cibum animæ ſuæ deſiderantis. Te-

Teſtimonia etiam probarum mentium id expertarum, nobiſque adſeverantium dari in interioribus noſtris infinitas facultates cognoſcendarum & guſtandarum rerum ſpiritualium Dei alteriuſque mundi, præ quibus rebus quemadmodum quæcunque hic ſunt & noſtro modo cognoſcuntur, nihil ſint; ita & noſter cognoſcendi hic modus activus & craſſus, nihil prorſus ſit præ alio interiore & paſſivo; ea, inquam, teſtimonia non minus fidem noſtram merentur, quam multa alia, quæ etſi non ſimus experti, aliorum tamen relationibus indubitato credimus, veluti dari Aſiam, Africam, Antipodes, Urbes, Nationes aliaque infinita, de quibus quiſquis ſanus ſine propria experientia alienæ credit experientiæ & aſſeverationi.

Ex naturalibus id etiam patere.

Adde ex natura mille experimentis patere, paſſivis modis excitari in nobis clariores, vividiores, excellentiores objectorum cognitiones, quam activo ſolum intellectu, ut de imaginibus viſus modo dictum eſt: qua via etiam convincimur latere in nobis facultates percipiendi infinita naturalia, quorum hactenus nullas habemus ideas nec experientias: nemo ſiquidem dubitat ſe habere facultates guſtandi vel in ſe admittendi infinitos ſapores, odores, ſenſus, ſonos, aliaque quæ ipſe nec dum expertus eſt, nec vel novit quidem. Si ergo lateant in nobis innumeræ quoad naturalia ipſa facultates, quæ per præſentiam objectorum nondum ſunt actuatæ; quidni quoad Deum divinaque, præ quibus mille mundi naturales punctuli inſtar ſunt.

ſunt, nobis ineſſe colligendum eſt multo immenſiora vaſa, & (ſi ita loqui licet) capacitates infinitiores? Ignoratur profecto hominis immenſa dignitas atque capacitas. Eſt homo vas Dei, in quo Deus totus cum omnibus ſuis luminibus & beatitatibus, quantum quidem immenſa ejus potentia & bonitas ſe ipſum communicare poteſt, inveniatur & hoſpitetur. *Faciamus hominem ad imaginem noſtram & ſimilitudinem. Deliciæ meæ, eſſe cum filiis hominum. Gloria tota filiæ Regis* (animæ filiæ Dei) *eſt intrinſecus. Eſtis domus & templum Dei & Spiritus Sancti. Qui mandata mea habet eaque obſervat, is eſt qui me amat; qui autem amat me, a Patre meo amabitur, & amabo illum ego, & veniemus ad eum, & apud illum manſionem faciemus. Oculus* (intellectus naturalis) *non vidit, nec auris audivit; neque in cor hominis adſcendit id quod Deus reſervavit amantibus ſe, quæque per Spiritum ſuum revelat*, & quæ infinita alia ſunt Dei effata: quæ ſane nobis, quia de nobis maxima in re agitur, familiariſſima eſſe deceret.

Atque his conſtat, in nobis longe alias dari ad divina facultates, quàm hiſtrionicum & corruptum illum intellectum activum, qui cum ſtulta ſua & chimærifica activitate tantopere clamat, & de omni homine conclamatum eſſe contendit, niſi ipſe aſinus elevetur in ſupremum mentis thronum, ibi omnia divina ac ſpiritualia ad ſtolidum examen ſuum revocaturus, atque ea omnia quæ ipſe ad modum ſuum non percipiet, reje-

turus tanquam falſa aut nulla, utpote non congrua ſecum, qui ſit ſola facultas omnia percipiendi & cognoſcendi. O ſtolidum brutum, infima omnium vacerra digniſſimum!

4. Quia ratione conſtant, quæ & aliis facultatibus; annon hæ ſuperfluæ, ſaltem in hac vita?

4. Alia quæſtio. Siquidem ratione conſtet atque doceatur, & Deum eſſe, & eum amandum, qua in re totum hominis officium hac in vita comprehenditur, ſuperfluæ videntur eſſe ſuperiores aliæ facultates, quæ ad hoc ipſum ſint. Annon ergo, hac ſaltem in vita, ratione iſta contentos nos eſſe decet, & aliarum curam atque exercitia ad futuram vitam differre? *Reſp.* Mira objectio & ratiocinatio! Perinde diceres: Siquidem ratione conſtat, aſſumendos eſſe cibos, qua in re tota hominis vita animalis conſiſtit, ſuperflua videtur facultas edendi quæ ad hoc ipſum ſit. Imo eo ipſo eſſe neceſſariam ſequitur. Quid enim cum tua ratione & tuis cibis in idea atque demonſtratione ratiocinata, illos eſſe realiter aſſumendos, conficies, niſi præter illam facultatem picturariam, alias habeas facultates reales aſſumendi cibos? Ita ratio (aliquali lumine perfuſa) oſtendit Deum ejuſque amorem eſſe animæ cibum: at oſtendit idealiter, picturariè, modo ſterili & inefficaci: non ut picturæ hujus ſpeculationi inhæreamus otioſo rationis oculo: hoc enim neque noſtrum eſt officium, neque vero animam ſatiaret; ſed ut de re ipſa vivide admittenda ſimus ſolliciti, atque adeo, ut quæramus in nobis facultates realiores, quibus ipſa res perfici poſſit. Ergo poſt-

poſtquam ratio monuit, & Deum eſſe, & amandum eſſe; opus eſt facultatibus ſuperioribus, quibus monitum hoc ideale poſſit vivide & realiter exſecutioni mandari. Hoc inquam ipſa ratio utcunque bene adjuta docet, oſtenditque & ſe & idealem ſuorum monitorum conſiderationem eſſe deſerendam, ut aliis quam frigidis ſuis viribus rem ipſam adorti facultatibus, iis non tenuia, non umbras, non inefficacia lumina picta, ut prius; ſed magna, realia, viva, efficacia amplectamur.

IV. *De actione ſive operatione Dei in homine.*

1. An Deus in anima corrupta (qualem ſupra deſcripſimus) poſſit operari, non quidem ex defectu potentiæ; ſed ob ejus quaſi horrorem immenſum quo corruptionem averſatur? *Reſpondeo*: Deus in anima corrupta agere poteſt, non tanquam amicus, qui corruptioni ſe uniat, ſed veluti inimicus qui corruptionem in anima invadat, & exterminatam velit: quemadmodum Sol oriens, tenebras noctis aut nebulas invadit, & in eis agit, non ut illis ſe accommodet; ſed ut eas diſpellat. Et ſane patet adverſarios duos non poſſe inter ſe pugnare, niſi unus in alium agat, & concurrant, ſeſeque attingant, non unionis, ſed deſtructionis quærendæ gratia. Ergo præſentia corruptionis in anima, non officit præſentiæ Dei eam impugnaturi. At ſi hominis libertas atque

1. An Deus in anima corrupta poſſit operari?

atque conſenſus malit adhærere corruptioni ſuæ quam Deo eam impugnanti, tunc actus Dei non poteſt diu manere in illo. Eſt enim a Deo decretum, ut non diu nec inhabitanter maneat cum homine, niſi ipſo homine conſentiente, ſeque Deo libere adjungente: alſoqui Deus ſe negaret & proſtitueret ignominiæ, ſi homini ipſum rejectanti & contemnenti perpetuo vellet ſe offerre.

2. An velit in ea operari? 2. An non modo poſſit ſed & velit Deus in anima corrupta agere & operari, atque de facto etiam operetur in interioribus animarum? R. Quod velit, patet (præter revelationis teſtimonium) ex eo, quod nobis det deſiderium ſui ſuæque in nobis actionis ut cuivis ſibi ſincere attendenti patet: patet etiam ex ipſo facto, ſiquidem reipſa in intimis animarum operetur. Factum autem conſtat experientia cujuſque qui debita media adhibuerit; imo omnes, ne peſſimis quidem exceptis, ſi verum dicere volent, fateri & agnoſcere cogentur in ſe (atque etiam extra ſe) operationes Dei gratioſas, quibus undique penetramur & circumcingimur. Quot, quæſo, hominibus accidunt inexſpectato bonæ cogitationes, internæ admonitiones, motus & impulſus diviniores, reprehenſiones & ictus validiores, gaudiorum ſolidorum ſenſus, terrores a malis revocantes, ſimiliaque infinita? quæ ſane non ſunt noſtræ operationes, quippe nec a nobis quæſitæ, nec ad libitum præſentes; imo ſæpe & invitis nobis præſentes, nobiſque adverſantes: ſed ſunt

ſunt operationes benignitatis Dei, noſtris cordibus, medullis, ipſiſque conſcientiæ radicibus potenter ingeſtæ atque incuſſæ, queis Deus nos mille modis ab iis, quæ opus ſuum in nobis perficiendum impedirent, retrahit, & invitat ad ſe, qui omnia ad conſummationem operaturus & perducturus eſt. Præter quas experientias, ipſa creationis reſtaurationiſque noſtræ natura, ratio & ſcopus poſtulant neceſſario, ut Deus in animarum noſtrarum intimis operetur.

Cauſam rerum efficientem dicunt vulgo metaphyſici externam eſſe: id quod excellenter falſum eſt, niſi ubi de artefactis agitur, non item de ſyſtematibus naturalibus, in quibus cauſa efficiens ſemper eſt maxime interna: quanto plus in ſpiritualibus, quæ ex natura omnia ſua intus poſſident? imo etiam eò magis, quando cauſa vult ſibi domicilium, cui inhabitet, conſtruere? In rebus corporeis, (quæ prout ſunt, ſe nec penetrare, nec in ſeſe mutuo immeare aut inſinuare poſſunt, uti res cogitantes) videmus apes v. g. oſtreas, aliaque animantia intus eſſe, quando domunculas ſuas ſibi circumfabricant, neque architectus atque operarii, niſi intus eſſent, interiora palatii conſtruere unquam poſſent. In rebus cogitantibus facultates immenſi deſiderii, intellectus, aliaſque factas eſſe, ut maneant objectis vivis vacuæ, dici non poteſt; eſſetque abnegatio Dei, ſi pro alio quam pro objecto illo ſummo, ejus lumine & motibus factæ dicerentur. Is autem quomodo

Naturam creationis & reſtaurationis noſtræ involvere Dei internam operationem.

eas efficere potuiſſet, quomodo intima noſtra fabricatus eſſet, eaque ad ſui imaginem & capacitatem adaptaſſet, niſi intus fuiſſet? & qui ea noſſet, niſi intus eſſet? Si fecit ea intus operans, & *circa ſe* (ut Scripturæ verba adhibeam) *tabernaculum ſuum diſponens*, ergo & continuo delectatus eſt & uſus eſt inhabitatione ac operatione interna in illis, ne ſcopi operiſque prævaricator eſſet. Iam veritas eſt nemini in dubium revocanda, res ubi corruptæ fuerint, ſi forte ſint reficiendæ, eadem via reſtaurari qua prius ſunt factæ: facta autem eſt anima in bono & primævo ſtatu per Deum intus habitantem & operantem: Ergo & eodem modo reſtituenda eſt. Hoc eſt, abſolute neceſſariæ ſunt operationes Dei internæ ad animam a corruptione, a tenebris, ab inordinatione, ab arctitate & anguſtia in quam ſe reduxit, vindicandam & liberandam.

Comparatione illuſtratur operatio Dei interna.

Liceat ſimili aliquo rem, ad hebetudinem captus noſtri juvandam, illuſtrare. Si quando officinam vitrariam fuſilem ingredi tibi acciderit, inſpice, ſi placet, quomodo ex vili cinere in ignem conjecto, nitida & egregia vaſa vitrea fiant per immiſſionem flatus, qui intus movens & operans, dat vaſis capacitatem & formam ſuam: hincque cogita, hominem ita ex cinere nihili deſumptum, atque ab igne amoris Dei ſuſceptum, per inſpirationem intimam Spiritus Dei formatum fuiſſe, atque ſuas capacitates, facultates, nec non omnia, etiam acceſſoria, per illum inhabitantem

tem

tem & intus operantem Spiritum accepiſſe.

Et quemadmodum, ſi accidat vitrum frangi ejuſque fragmenta in lutum ſordeſque abjici, non poteſt aliter reſtitui, niſi ut reſumtum, contuſum & in fornacem immiſſum, ibique purgatum & igne liquefactum & penetratum, de novo aſſumatur & inſpiretur ut prius interno flatu fabricatoris in centrum ejus immiſſo: ſic homo lapſus, fractus, corruptus; ſordibus & tenebris errorum & malorum plenus, reſtitui non poteſt, ne quidem quoad externa & rationem, niſi a Deo ex cœno lutoſarum ſuarum occupationum aſſumptus, contuſus, atque in purificationis amoriſque divini ignem immiſſus, ab adorandi Spiritus ejus intimis inſpirationibus & arcanis operationibus de novo inſpiretur & agatur, unde priores capacitates, facultates, ſtatum decorum, formamque adeo cum hiſce etiam externam & congruam accipiat. Quodſi hæc ab irriſoribus rideantur, næ intimâ ipſi commiſeratione ſunt digniſſimi!

3. Sed quæret aliquis: Quandoquidem Deus eſt ſumme luminoſus & beatus, perfectiſſimoque modo agens, nonne videtur, ſi in homine operaretur vere, hominem inde mox fieri debere & luminoſum & beatum, neque dein perire poſſe? *Reſp.* dicunt recte Philoſophi, actionem non recipi ad modum agentis, ſed ad modum ſubjecti recipientis, atque pro ejus vel capaci-

3. Etſi Deus in anima agat, non ſtatim ideo illa fit luminoſa & beata.

tate, vel infirmitate. Quapropter quando Deus in anima explicat operationes ſuas, tenebris animæ adverſantes, eaſque impugnantes; anima quidem eo momento luminoſa fit; ſed aliquatenus tantum, & ex parte nonnulla ſolum: quia Deus non impugnat ſimul & ſemel uno actu omnes ejus tenebras, quod ſi faceret, id nulla poſſet perferre anima: iſthæc enim pugna foret ei terribilior quàm ut vires ejus languidæ eam ſuſtinere poſſent: haud ſecus ac videmus ſubitum & inexſpectatum ſolis lumen ab ægris oculis tolerari non poſſe. Quapropter Deus ex aliqua duntaxat parte nonnullas mentis aggreditur luminoſo actu ſuo tenebras; tuncque videt quidem mens aliquid veri, at contra ſe, ſuum ſtatum, ſuam corruptionem, opiniones, amorem proprium, ſuperbiam, & cæteraque ſua vitia pugnantis; id quod non ſine ingenti percipit ſentitque dolore atque anxietate. Cum autem iſta Dei operatio menti ſit dolorifica atque angens, & multo magis adhuc cæteræ ſequentes; ſi anima tunc nolit eas perpeti anxietates, velitque impatientius ab iis liberari, atque adeo ſi a Dei operatione eas cauſante velit ſubduci, & vanis ſeſe dare occupationibus, queis divinæ operationis importunus ſenſus, minus ſentiatur, aut prorſus in ea ſupprimatur; tum Deus, poſtquam diu ſatis tentavit illam ad frugem revocare & expertus eſt illam pleno conſilio nolle redire, retrahit operationem ſuam benignam, & animam ſibi relinquit. Atque tunc infelix illa ani-

ma

ma nullas amplius ſentit in ſe pugnas ; ſed plane dedoluit , devenitque in periculoſiſſimum illum perditionis ſtatum , qui eſt ipſiſſima Spinoziana tranquillitas.

Operatio divina utut luminoſa & beatificans non tamen eſt beatitudo animæ actualis, quamdiu in anima invenit tenebras & corruptionem quas impugnet ; e contra, tunc ea operatio ex ſenſu ictuum omnipotentis adverſarii in animam corruptioni unitam pugnantis dolorem ingentem potius efficit. At ubi in anima nil adverſi ſupereſt quod impugnet divinæ operationis rectitudo , ea tunc triumphum agit , & beatitudinem ſeu gaudium immenſum pleno effundit ſinu : namque tunc amicus cum amico plena pace conjungitur & ſe ſe iam mutuis excipiunt amplexibus. *Perficies in me miſericordias tuas uſque ad pacem plenariam quam tecum habebunt interiora & exteriora mea cum abſorpta fuerit mors in victoriam.* Auguſtinus. Conf. X. 30.
Ergo ad percipiendas & ſentiendas in ſe gratas lætaſque & lætificantes Dei operationes , mens corruptione rerumque omnium amore prius purgata ut ſit neceſſe eſt, ſic ut nullis ampliùs rebus adhæreat affectu. Non dico uſu , qui neceſſarius ſit , & ad vitæ naturalis conſervationem faciat : hic enim non obeſt divino ſenſui : nam licet eo tempore cum mens pura creaturarum uſui neceſſario deditur , à ſenſibus interioribus diviniſque interdum diſtrahatur ; non tamen inde contrahit obſtaculum aut ineptitudinem ad operationes Dei admittendas & ſen-

tiendas; quod fieret ſi inutilibus aut noxiis pâteretur ſe diſtrahi & occupari.

V. *De Lumine Dei in homine.*

De hoc multa quæri poſſent: ſed ad præſens inſtitutum exercitiumque, ſufficient nobis ſequentia.

1. An lumen Dei ſit diſtinctum a lumine aut ideis rationis? An ratio ſit illius capax?

1. An detur lumen Dei diſtinctum a lumine Rationis? Annon fortè idea Dei in ratione, cæteræque ideæ, ſint lumen Dei? aut ſaltem an Ratio luminis divini poſſit eſſe capax? Trimembris quæſtio, cujus prima pars eo redit: An Deus per ſe lucere poſſit in anima; &, An Dei actus immediatus & lucidus, ſit actus imperfectus ipſius animæ ideas ſibi excitare conantis? Quis de hoc unquam quæſtionem movebit, niſi ſimul confundenda eſſe putet Deum & creaturam, actumque Dei & actum creaturæ? Sed quoniam auctoritatibus humanis non pauci ducuntur, ſubjiciam hic locum inſignem ex Carteſio, unde hæc diſtinctio pateat.

Carteſii locus de lumine Dei.

* Is eſt in Epiſtolarum ſuarum ultima, ubi etſi agat de cognitione intuitiva poſt hanc vitam, quia tamen explicat ibi lumen divinum, ejuſque modum agendi in anima, illud an in hac an in altera vita fiat, jam ad hanc rem perinde eſt. Dicit ergo: dari cognitionem, quæ ſit (a) *illuſtratio mentis per quam conſpicit in lumine Dei res illas quas ipſi placuit ei detegere per* IMPRESSIONEM DIRECTAM CLARITATIS DIVINÆ *in noſtrum intellectum, qui in eo non conſideratur tanquam* AGENS.

(a) Carteſ. Epiſt. Tom. III. Ep. 114.

GENS : *ſed ſaltem veluti* RECIPIENS aut paiens RADIOS DIVINITATIS. Deinde poſtquam ixit quædam de notitiis intellectus noſtri, & ctivitate hujus, ratiocinantis ex ideis conuſioribus vel ex auctoritate revelata & obcura, addit : *Quicquid acquirimus per vias llas quibus ratio inſiſtit, primo involutum eſt orum e quibus ductum eſt principiorum teneris ; tum etiam incertitudini, quam in omibus noſtris argumentationibus experimur.* Cum hæc comparaturus pergit : *Confer jam luas iſtas cognitiones, & perpende, utrum in ac perceptione turbida & incerta, quæque obis multum negotii faceſſit, & quâ etiam cquiſita non niſi quibuſdam momentis utimur, quippiam ſimile ſit* LUMINI PURO, CONSTANTI, CLARO, CERTO, FACILI ET SEMPER PRÆSENTI. Poſtea hæc de altera vita probaturus per experientiam ejuſdem & ſimilium quæ in hac vita experimur, ſic orationis filum perſequitur : *Cæterum, an mens noſtra tum cum a corpore erit ſeparata, aut cum corpus iſtud glorificatum ipſi nullum amplius impedimentum creaverit, non poſſit tales recipere demonſtrationes & cognitiones directas, de eo num tu dubitare poſſis, cum in hoc ipſo corpore ſenſus ipſi ejuſmodi cognitiones ſuppeditent rerum corporalium & ſenſibilium, cumque anima noſtra jam* HABEAT EARUM QUASDAM EX BENEFICENTIA SUI CREATORIS, *ſine quibus ratiocinationis capax non eſſet? Fateor eſſe illas aliquantulum obtenebratas mixtura corporis : attamen ſubminiſtrant nobis* COGNITIONEM *quandam* PRIMAM, GRATUITAM, CER-

TAM, *quamque mente noſtra* MULTO MAIORI CONFIDENTIA ATTINGIMUS, *quam relationi oculorum noſtrorum tribuamus.* Infundi autem menti cognitiones quaſdam oculorum relatione multo certiores, eaſque argumentum eſſe capacitatis animæ ad recipiendas ſimili modo a lumine Dei cognitiones paſſivas; adducto exemplo particulari ſic illuſtrat. *Nonne mihi largieris, minus te certum eſſe præſentiæ objectorum quæ vides, quam veritatis hujus propoſitionis*, Cogito ergo ſum. *Cæterum cognitio iſta non eſt opus tuæ ratiocinationis, neque præceptum tibi a Magiſtris tuis traditum, Anima tua eam ſentit, videt, contrectat. Et quamvis imaginatio tua, quæ ſe per ſummam importunitatem cogitationibus tuis intermiſcet, claritatem ejus diminuit, dum eas ſuis figuris replere ſatagit, eſt tamen illa cognitio argumentum capacitatis animarum noſtrarum ad recipiendam a Deo cognitionem intuitivam.* Quo in egregio Carteſii loco nil ad rem noſtram deſiderari poſſe videtur, niſi quod exemplum, *Cogito ergo ſum*, nimis frigidum ſit, potuiſſetque ejus vice nonnulla alia, quæ ſupra (a) protulimus apponere: deinde etiam quod male ad vitam futuram videatur relegaſſe ſpecialiores ejuſmodi per lumen divinum de rebus cognitiones, quæ etſi demum in altera vita plenæ ſint ac perfectæ, hîc tamen in bene diſpoſitis mentibus initium ſumunt, & communicantur interdum quam liberaliſſime. Sed quia Carteſius extra viam earum quærendarum erat, ideo non potuit de iis rectius dijudicare.

(a) Sup. Part. I. §. XII. XIII.

E dictis

E dictis liquet ſatis, Ideam Dei, quam intellectûs actibus jam nobis repræſentamus, non eſſe ipſum lumen divinitatis directum, quod eſt ipſiſſimus Deus vivide lucens; ſed eſſe cogitationem hominis creatam, cui ineſt tantum nota & pictum quoddam Dei ſimulacrum, obſcurum, craſſum, umbratile & imperfectiſſimum, quod ad lubitum vel in mente excitari, aut ab ea revocari poteſt, quodque in ea nullam vim, virtutem, claritatem vividam, nullam tranquillitatem, lætitiam, delicias Deo dignas generare aptum eſt. Et revera, ſi ratio noſtra excitans in ſe quando vult ejuſmodi de Deo ejuſque attributis ideas ſteriles, mortuas, atque imperfectiſſimas, eo ipſo excitaret in ſe lumen Dei, Deumque ipſum tangeret, manifeſte ſequeretur Deum ejuſque lumen fore rem ſterilem, mortuam, inefficacem; non infinitæ, ſed exiguæ aut nullius virtutis, nec non & productionem eſſe creaturæ: cum tamen evidens per ſe ſit, rem infinitæ virtutis, potentiæ & luminis non poſſe vere tangi nec effici per actus craſſos & ſteriles ejuſmodi in nobis facultatis, quæ adeo ſuperficiaria eſt, ut ne quidem ipſas creatas res, ſeu corporales ſint ſeu ſpirituales, vere attingat, aut eas in ſe revera deducat. Etenim quando in ratione excito ideam v. g. mentis Salomonis, ejus Sapientiæ, virtutum & gloriæ; ipſa propterea Salomonis mens, ſapientia virtuſque non ſunt in ratione animaque mea: ita & quando corporum, gemmarum, urbium, lucis, ſenſationum ideas

Ideam Dei è ratione non eſſe lumen Dei directum.

efformat intellectus, non tamen res aut ſenſationes ipſas habet aut tangit; ſed picturas earum duntaxat. Sic quoque ſe res habet quando activitate noſtra ideam Dei, ejuſque luminum & virtutum formamus: non Deum, non lumen divinum, non virtutes ejus reales ideo habemus ac vere tangimus mente; niſi ſane putares, Deum ejuſque lumen eſſe rem & virtutis fere nullius, & mentis tuæ productionem. Quod quam ſit abſurdum, non opus eſt quæſito argumento evincere.

Rationem luminis divini intimioris non eſſe capacem.

Hinc patet etiam (quod tertium quæſtionis membrum reſpicit) rationis facultatem ſuperficiariam atque deſultoriam, intimi atque tranquilli luminis Dei capacem eſſe non poſſe; ſed tantum nonnullorum ejus effectorum, quæ eam ſanent, reſtituant, reſtitutamque capacem reddant non quidem efficiendi lumen divinum, at picturas tamen rerum ordinatas loco chimærarum priorum depingendi. Tametſi quando ratio ſeſe paſſive Deo objicit, nonnullos divini conceptus arbitrarii radios recipere tunc ſit apta.

2. De amiſſione luminis divini præ lumine rationis.

2. An lumen divinum poſſit amitti? & cur facilius amittatur quam lumen rationis? *Reſp.* De priori crediderim neminem poſſe dubitare, etſi rationes fundamentales non ſtatim quibuſvis pateant: ſunt autem illæ ex iſta diſtinctione deſumendæ, qua aliquoties dona Dei diviſimus in naturalia, quæ naturam hominis conſtituunt; & gratuita, quæ ſunt inſtar ornamentorum quibus natura ornatur, perficitur, & gloria amicitur. Illa non poſſunt amitti, quoniam ipſa natura amitti

nitti non poteſt; cum ſit abſolutiſſime a Deo
ita: hæc, quæ non ſunt pars naturæ, quo-
am a creatore perpetuo & continuo in cre-
uram (veluti lux Solis in corpora opaca)
funduntur ea conditione, ut creatura illis ſe
overtat, conſentiat, & recepta grato animo
mper agnoſcat; evenit inde ut quam pri-
um ab his conditionibus deficit, dona Dei
mittat, quæ non in ipſa, ſed in ſolo Deo ſunt
dicata: omnino veluti in luce naturali fit,
uæ non in corporibus opacis, ſed in Sole ra-
icata, ſingulis momentis ab eo ad corporea
ebet ita emanare, ut ſi vel per momentum
eſſaret aut Sol agere, aut corpora verſus illum
onverti, hæc illico lumine carerent. Hoc ſen-
ı maxime illuſtris eſt & conſpicuus concur-
ıs Dei ſimultaneus: non autem ille qui ſta-
uitur in eis rebus quæ ſic mere ſunt natura-
es ut in miſeris atque damnatis inveniuntur,
uibuſcum non opus eſt ut Deus concurrat
d inordinatorum actuum ſuorum, lumine
eſtitutorum, conſtitutionem.

Lumina rationis ſunt duorum generum;
lia, quibus rerum naturalium origines, vi-
es, effectus, ornatus, & combinationes,
tque hinc orientia ſyſtemata egregia, & mi-
abilis rerum univerſitas deteguntur; & hæc
uidem amittuntur cum luminis divini amiſ-
ione: alia ſunt & generaliora & craſſiora,
uæ concernunt tantum communiora & ex-
eriora naturæ utut lumine & bono ſtatu de-
titutæ, qualia diximus ea eſſe quæ nume-
os, figuras, & ſimilia concernunt: &
æc, quia eorum ſubjectum non eſt a natura

ſeparabile, idcirco non ita ut priora amittuntur diſcedente divino lumine.

3. An ad reſtitutionem luminis rationis requiritur præcedanea divini luminis reſtitutio?

3. Quæri poteſt tertio, An ad reſtitutionem luminis rationis, opus ſit prius reſtitui in homine lumen divinum? *Reſpondeo*, quatenus lumen rationis reſpicit externas illas veritates in natura vel maledicta radicatas, non requiri reſtitutionem luminis divini præcedaneam; at eam requiri pro veritatibus quæ rerum origines, naturas, proprietates, vires, earumque complementa & perfectiones explicant. Hæc enim quia admirabiliter omnia quæ in Deo inque ejus lumine & perfectionibus ſunt, repræſentant & depingunt, ejuſque etiam luminis & bonitatis effluviis fruuntur, non minus impoſſibile eſt ab eo percipi qui divino caret lumine, quam impoſſibile eſt; lumine e natura ſublato icones quibus corpora luminoſa repræſentabantur, cognoſcere. Lumen rationis non efficit ſe ipſum, neque ſimpliciter efficitur a ratione quà tenebroſa: non enim poteſt lumen a tenebris procedere: ſed debet prius ratio illuminari ab alio; quo facto, ipſa deinde lumina ſua picta, ſeu ideas claras efformare poterit: Luna noſtra, ſeu ratio, lucere neutiquam poteſt, niſi prius luceat in facultatum ſuperiorum cœlo Sol divini luminis, de quo reducendo ſolliciti ſint oportet, qui vel lumine lunæ gaudere cupiunt. *In lumine tuo videbimus lumen.*

4. An lumine Dei detur magis

4. Quæri poteſt quarto: An homo divini luminis magis compos fieri poſſit, quando illud quærit rationis adhibita activitate, quam

ıam ea ſepoſita? Huic quæſtioni conabor :actius & uberius ſatisfacere, quia multa in a quaſi concentrantur, & multis inde lux fulgere poteſt.

frui poſſe cùm ratione quam ſine illa, an ſecus?

Quod ut efficiam, duo prænotabo, ıum definiam, & tandem duo concludenı proponam.

Notandum 1. non requiri hic abſolutam ıtionis rejectionem; ſed tantum ejus abractionem, vel ſeparationem a ſuo exercio, idque loco & tempore debitis: ratio ſiuidem ſit etiam medium ad Deum ejuſque ımen; ſed medium remotum, non proxiıum: ita tamen, ut hoc in rerum ſtatu reıoto illo medio prius uti neceſſe ſit: quo ıfficienter peracto, tunc medium illud reıotum eſt relinquendum, ut ſoli proximo os dedamus. Eadem etiam ratio reddit de)eō ejuſque lumine teſtimonium, quod utiıue audiendum eſt: ſed quia illa non eſt)eus omnipotens & omniſcius, neque ejus umen immenſum, profecto nondum omnia ıuæ Dei ſunt dixit, teſtata eſt & fecit; nelum vive & ſolide dixerit & fecerit omnia, ıut illa ſaltem quæ umbratiliter tantum & :raſſo delineavit penicillo. Infinita Deo, nfinita lumini ejus reliquit vive & infinitis nodis perfectius atque ſolidius detegenda. :pſa quippe creatura debilis cum ſit, illumiıatio & inſtructio illius non poteſt non infiıito intervallo ab ea quæ ab Omnipotente Deo fit, ſuperari.

Non requiri abſolutam rationis rejectionem.

Alterum quod notandum eſt, ne quis ſe deceptum putet, illud eſt: Animum, qui re-

Non ſtatim adeſſe ſperati Dei lumen.

remoto rationis medio prius recte uſus, eam debite reliquit, ubi ſe obtulit tradiditque paſſivum Deo, non tamen illico divino affici lumine eo quem ſperaverat modo, ſive, non ſequi in eo actualiter tale lumen quale ſibi imaginatus erat. Cujus rationes ſunt, 1, quod in ipſo adhuc occultentur multæ radices malæ plurimique habitus peccaminoſi, quibus æquum eſt debita pœnitentia juſtaque luminis privatione prius purgari. 2, quia cum Deus non det lumen niſi ſincere deſiderantibus, atque decernentibus ſe impoſterum ei adhæſuros, ſolet exſpectare ut ſinceritatis hujus videat documenta & habitum aliquem; 3, quia junctus eſt animus corpori ipſum valde aggravanti Deique influxus inſenſibiles reddenti, veluti accidit, dum oppreſſi ſumus ſomno, etſi objecta externa tum ſint præſentiſſima noſque afficiant, nos tamen iis ſenſibiliter non affici: & 4, quia Deus proſpiciens ne anima iterum abutens puris luminibus doniſque pretioſis, peccet exitiali & irreparabili modo; ex bonitate admiranda ſervat illi in recondito luminoſam ſui communicationem ad illud tempus, quo illa eis in perniciem abuti amplius nequibit: interimque illi tales primitias, talemque acquieſcentiam concedit, ut omnino contenta ſit quomodocunque Deus cum illa agat. Et hoc ſane ſufficit, nec ultra quicquam deſiderari poteſt, eſtque id ipſum divini luminis, etſi ſenſibilitati noſtræ obſcuri, ingens argumentum.

Jam definiendum eſt, quid per rectum rationis

Quid ſit rectus rationis uſus?

›nis uſum intelligendum hic ſit, ne quid ›erſit obſcuri. Intelligo igitur per eum, timonium quod ratio (gratiis Dei præviis buta) dat attendentibus, videlicet, nos n eſſe a nobis ipſis: Auctorem noſtrum & nnium eſſe omnipotentem, ſapientem, ›timum, benevolum, veracem, juſtum: ecere nos eum grato animo laudare, ama-, ei obſequi, ab eo bona ſummiſſe poſtu-re & exſpectare, abſtinere a ſuperbia, iquitate, mendacio, & imitari erga om-es ejus benevolentiam, æquitatem & ve-icitatem. Quæ omnia teſtatur ratio, mo-o ei attentio debita præbeatur. Teſtatur eadem, ſe per ideas haſce ſuas de iſtis uas nobis dat, non dare hoc ipſo vim iſta-aliter aſſequendi vel imitandi; alioqui do-iſſimi quique eſſent & optimi, ipſique, ui a ſcientia vocantur dæmones, eſſent Dei nitatores maximi, a quo tamen abſunt uam longiſſime. Teſtatur & illud ratio, im eam, quæ ipſi deeſt, (quippe quæ pi-turas tantum efficit & dat, non res ipſas,) etendam eſſe a fonte omnis boni. Hæc poſt-uam a ratione audivimus; & cordi nobis ſta ſunt ſincere (& hucuſque quidem pro-reditur rectus rationis uſus,) tunc tempus ſt, ut juxta ipſiuſmet rationis dictamen, il-am ipſam cum picturis ſuis & teſtimoniis ponamus, (illa enim omnia ex ſuppoſitio-e ſufficienter ſcimus,) noſque totos cum omni capacitate noſtra ad Deum converta-nus, ejus vim, efficaciam lumenque efflagi-antes & implorantes eum in finem, ut quæ nobis

nobis modo picto, mortuo atque inefficaci & ſterili, ſimperfectiſſimoque & ſuperficiali dixit ratio; eorum ille non umbram & picturam, ſed rem ipſam luminoſam, vividam & efficacem det & producat in intimis noſtris: id quod ipſe etiam modis ineffabilibus, & infinities rationis potentiam ſuperantibus efficere poteſt.

Duo concludenda ſimili explicantur.

Jam illud quod mihi primo ſumſi oſtendendum & concludendum ad poſtulati ſolutionem, tale eſt: Animam majoris eſſe luminis capacem per Deum quam per rationem; ſive per Dei actum, quam per intellectus & ratiocinationis activitatem.

Alterum eſt: Lumen illud divinum & majus, cujus anima per Dei actum capax eſt, impediri quando illa plus, diutius, inſtantius, adhæret rationi quam Deo; juvari autem, quando illa Deo magis adhæret quam rationi.

Quæ quidem ita clara ſunt, ut ſolis terminis perceptis mihi videantur demonſtrata; & ſine ullo argumento, ſola hac comparatione contrectari & palpari poſſint. Videlicet, ex dictis ratio ſe habet ad nos veluti famulus, qui in denſis tenebris ſubminiſtrata facula nos intus vocaret ad Dominum prope in palatio glorioſo lumine omniſque generis bonis affluentem. Certe bonum eſſet extra attendere ſervo ejuſque lumini: abſurdum vero, & contra ſcopum Domini famulum mittentis foret, huic foris adhærere continuo ejuſque faculæ, quam fors, ventus, tempeſtas ſævior, aliudve incommodum diſſlare poſſit, ſimulque nos

cum

n illa exſtinguere : & nullum eſt dubium, n qui famulum cum facula relinqueret, Dominum pergendi gratia, majori lu- ıe felicitateque beandus eſſet per Domi- n, quam per famulum allucentem foris; etiam quin eo majoris luminis foret npos quo magis Domino adhæreret re- :o famulo, minoris vero, quo magis nc ultimum primo præferret. Sed miſſa nparatione, rationibus comprobemus u- mque propoſitionem.

1) Prima. Anima eſt capax majoris lu- nis per Deum quam per rationem. 1. ia Deus ipſe eſt lumen infinitum, vivum, nipotens: Ratio autem eſt lumen fini- n, veluti pictum & vere ſterile. Ergo parte Dei anima infinities plus luminis, ſque vividiſſimi & efficaciſſimi poteſt re- ere, quam ex parte rationis, quæ nil i finitum communicare poteſt. 2. Ratio n poteſt animæ capacitates ad recipienda nina ſua idealia majores reddere quam it, neque poteſt eas imperfectionibus & pedimentis ſuis, quæ multa ſunt, libe- e. At Deus & animam omnibus impe- nentis quæ lumini obſtant, liberare po- :, & ejus capacitates in infinitum amplia- : eſt ille namque omnipotens; adeoque :entia ejus in dilatando animo exhauriri juit, Ergo ex parte Dei anima eſt infiniti ninis divini, actuſque ejus eam illuſtran-, recipiendi capax; cum ex parte ra- nis ſit tantum capax finitorum & imper- torum luminum.

(1) Animam majoris luminis eſſe capacem per Deum quam per Rationem.

(2) Siqui-

(2) Quo magis rationem relinquit, eo eſt capacior divini luminis; & contra.

(2) Siquidem igitur anima ex parte De ſit capax lumen infinitum, vividiſſimum, efficaciſſimum recipiendi, & ab eo agente patiendi: quia tamen actu non poteſt eo frui, niſi media proxima ad fruendum illo adhibeat, quæ media proxima ſunt oblatio facultatum ſeu capacitatum ſuperiorum ipſi Deo, ſive illuminanti & admittendo; ergo ſequitur, omnem animæ actum qui non includit hanc facultatum ſuperiorum oblationem, neque pro objecto admittendo habet Deum vivide illuminantem, non eſſe medium obtinendi illud lumen. Atqui ipſa ratio ejuſque actus, non ſunt actus talis oblationis facultatum ſuperiorum, nec eos involvunt in ſe, neque pro objecto habent ipſum vividum Dei lumen. Ergo ratio ejuſque actus, non ſunt medium participandi illius luminis. Igitur qui adhæret rationi ejuſque actibus, per iſta luminis divini particeps fieri non poteſt; affert enim facultatem ineptam, & aliam quam par eſt, ad objectum aliud. Sed qui offert facultates ſuperiores Deo vivide illuminanti, is affert vaſa debita ad objectum debitum & admittendum. Ergo qui affert facultates ſuas ſuperiores Deo, ſive qui adhæret Deo ſupra omnem rationem, eo ipſo infiniti luminis compos & particeps fieri poteſt.

Si igitur homo adhærendo rationi non poteſt luminis divini fieri compos; ſique adhærendo Deo, ſive tradendo ſe illi per facultates ratione ſuperiores poteſt lumine infinito perfundi & frui; Ergo comparative verum

verum eſt, quod homo luminis divini & infiniti minus capax ſit quando ſe tradit rationi magis quam Deo; & quod ſit ejuſdem luminis divini magis capax, quando minime adhærebit rationi, Deo vero maxime adhærebit, eique ſe tradet totum. Quod erat oſtendendum.

5. Quæri poteſt, quinto: An luminis divini certitudo in anima poſſit eſſe tanta, quanta eſt certitudo luminis naturalis, v. g. quo videtur Sol, aut corpus lumine illuſtratum: aut vero luminis rationalis, v. g. veritatum de numeris & figuris? *Reſpondeo*, eam eſſe incomparabiliter, imo infinities majorem. Quod ut pateat vere dici, notandum eſt nos eo magis de veritatibus perſuaderi, quo vividius & penetrantius ab illis afficimur: exempli cauſa, inveniuntur qui vigilantes dubitent aut dubitare poſſint vigilentne an ſecus, item ſintne ſani an ægri: at nemo dum vehementer dolet, dubitat ſe dolere; quia nempe magis vivide a dolore quam a vigilia aut a valetudine afficimur. Hac ratione, quando lumen Dei purum, vividum, penetrans afficit animam, hæc ita penetranter & immenſe de eo perſuadetur, ut veritatiunculas cæteras ne quidem inſpicere dignetur, quæ tunc ſunt menti veluti bullæ futiles ac nullæ, nomineque veritatis & luminis indignæ: quemadmodum homini in extremis poſito nihil aut parum admodum eſt ſua illa prior lux & certitudo, omnis trianguli duo latera ſimul ſumta tertio eſſe majora, & ſimiles quiſquiliæ. Et hæc

5. Certitudo luminis divini omnia alia certitudine major.

hæc eſt ratio; quare qui lumine divino potiuntur, omnia hominum ſtudia veritateſque habeant pro vanis, pro nullis, pro falſis & mendaciis. *Filii hominum, quouſque diligetis vanitatem & quæretis mendacium? Profecto in imagine*, ſive inter ea quæ ſolum ſpeciem habent, *ambulat homo, & tumultuantur omnes in vanum. Tantum vanitas ſunt filii hominum, mendacium filii viri; ut ſi ſimul in ſtatera ponantur, ſint ipſa vanitate leviores. Cogitationes eorum cogitationes inutiles, telas aranearum texuerunt*, &c. uti vidimus ſupra.

Pſ. 4. & 39, & 62. Iſa. 59.

Notandum interim, a certitudine ſubjectiva luminis divini exceptionem fieri, quando ipſe Deus ob rationes ei cognitas vult ſic lumine ſuo operari in homine, ut tamen homo id neſcire, neque de eo certus eſſe debeat.

Quando vero Deus luminis ſui evidentiam impedire non vult, ea tanta eſt, ut quamvis omnes animæ facultates eſſent inhabiles, detentæ, ligatæ, ſopitæ, mille impedimentis objectiſque intricatæ, modo non peccaminoſis nec voluntariis, illico tamen omnia ſic disjiciat, ſic unico radio mentem afficiat divina lux, ut eam reddat habilem, lucidam, tranquillam, lætam, ac veluti ex mortua vivam, & ex infernalibus tenebris & anxietatibus, certiſſima, præſentiſſima atque glorioſa luce triumphantem & conſpicuam. At miſeræ rationis lumen, etiam Mathematicum, ejus eſt impotentiæ & debilitatis ad ſeſe menti inſinuandum, ut om-

omnis ejus vis atque certitudo vel ſomno, vel febricula, vel alia quavis intemperie frangi & plane ex anima deleri poſſit: namque ſi homini illud adepto, accidat ejuſmodi caſus morboſus aut apoplecticus, etiamſi tunc omnium totius mundi rationum lumina ipſi adjumento eſſe eniterentur, ingeminarentque omnes Mathematici vocibus & ictibus ſuum illud: duo & tria faciunt quinque, & anguli tres æquantur duobus rectis in quovis triangulo, non tamen id poſſent ipſi perceptibile nedum certum reddere; aut vero ex facultate oppreſſa, ubi miſella iſthæc lumina latere dicuntur, in apertum ea educere.

6. Quæſtio ſexta: Si lumen divinum ſit tantæ certitudinis & efficaciæ, unde ergo tot hominum circa illud illuſiones & deceptiones; e quibus apparere videtur, illud lumen non tam certo percipi quam lumen rationis? Aut quænam eſt via percipiendi illud modo certo & non fallente, quodnamve ejus Criterium? *Reſpondeo*: Lumen divinum quod a Deo mentibus infunditur, non tantum illuſionibus carere, ſed & certiſſimum & infallibile eſſe, ſi modo mentes ab impedimentis peccati & corruptionis atque ſuperbiæ, nec non ab affectu & adhæſione erga omnia liberati, ſoli auxilio Dei innitantur. Neque ulla præterea via alia opus eſt ad illud certo cognoſcendum: nec id alio criterio quam ſui præſentia & ſenſu, opus habet: perinde atque videmus lumen Solis vivide perceptum, eſſe ſui criterium omnibus

6. De illuſionibus circa lumen divinum: pro bene diſpoſitis nullas eſſe, ſed certitudinem infallibilem.

bus id percipientibus, non item aliis: neque dari aliam illius certò obtinendi viam quam removere obſtacula quæ inter illum & oculos noſtros interjacent. Sed hic notandum eſt (quod modo diximus) Deum in homine interdum lumine ſuo operari eo id neſciente, vel de Dei lumine incerto: quod accidit, vel quia nondum bene ab impedimentis omnibus liber eſt, vel quia supereſt cauſa timendi ne inde in ſuperbiam cadat; aut ad majorem fidei & conſtantiæ ejus amoriſque purioris probationem & augmentum. Quibus in caſibus conducit homini lumen Dei ab illo nondum percipi. Deinde notandum eſt: quemadmodum lux corporea non videtur ſicut ſyſtema aut objectum aliquod, quod viſum terminet; & nihilominus tamen vere poſſidetur, ſuo modo eoque certiſſimo percipitur, ejus ope corpus regitur, præcipitia evitantur, proficua ſuſcipiuntur & peraguntur: ita etiam non putandum eſſe lucem divinam tanquam objectum aliquod ſpeciale videri; etſi ſuo modo vividiſſime percipiatur, ipſaque præſentiſſima operetur. Cujus efficacis præſentiæ certiſſimum argumentum eſt vis & principium internum quo anima reſpicit, conſiderat, magnifacit ſola æterna, ſeque & omnia ex illorum viſu & reſpectu regit, cætera autem deſpicit, & non tantum ea nihili facit; ſed ſub eorum etiam pondere gemit, optans ab eis liberari, quo omnes ejus curæ, affectus, ipſaque tota, ſolis dedantur æternis: quæ ſanæ mentis affectio ſolius divinæ lucis ſolida operatio eſt, ve-

raque Dei illuminatio. Et ex ea tantum
eſt ut inde in illuſiones incidat, ut potius
c modo ab illuſionibus, nec non ab incer-
udine periculoſa & diffidente reddatur im-
mis.

At ſi qui ad lumen divinum accedere præ-
nant mente corrupta, imaginibus & fig-
:ntis propriis adhuc inhiante, iiſve plena
t impedita, ſi Deum ejuſque auxilium non
re & unice velint; ſi ex divino lumine ſibi
:isfactionem, emolumentum, commen-
tionem, exiſtimationem & applauſum
orum aut ſuum, intus apud ſe quærant;
n mirum ſane tales mille illuſionibus irre-
i: interponunt enim vel immiſcent divino
mini (ſi modo ejus radiolos quoſdam ha-
ıerint,) chimærarum atque figmentorum
nnium fontes & origines, atque adeo,
ıt fabula fert de Ixione) nubem pro Ju-
ne amplexi, monſtra turbulenta tantum
oducunt. Illuſiones unde procedant?

Et hæc eſt ratio, quare divini luminis evi-
entia & vis infinita in quam pauciſſimis ſit
nſpicua, idque multo minus quam lumen
tionis vel mathematicum. Scilicet longe
uciſſimi ſunt qui lumini divino pure adhæ-
ant, aut quidem ad illud adſpirent: vix-
e unus eſt qui ea puritate ab obſtaculis
ibuſvis liberatum ſe illi offerat, qua ra-
onem offerimus ideis quibuſdam naturali-
s aut mathematicis de numeris atque figu-
s: & hinc non mirum haſce & ſimiles ap-
rere hominibus quibuſvis fere evidentiores
am lumen divinum. Sed ſi omnia ex utra- Cur vis divini luminis ſit in tam paucis & tam rara?
que

que parte, ſaltem quoad præparationem, æqualia forent, tunc appareret tanta divini luminis evidentia præ lumine rationis, ut hæcce qualis jam eſt, cum frigidis ſuis atque pauperculis veritatiunculis ne quidem adſpectu digna cenſeretur. Nempe quemadmodum ex una parte ponitur anima ſine præjudiciis contra numeros v. g. quæque ſomno aut diſtractionibus aliis non impediatur aut avocetur, ſed cum ſerio deſiderio illis ſe totam applicet; ita ex altera parte ponenda eſſet anima ab obſtaculis omnibus libera, ſeſeque totam cum deſiderio & amore divino, omni alio affectu nudam, divino lumini offerens eique ſoli vacans. Atque tunc, ut dixi, illud ita illuſtre appareret, ut ſolum eſſe aliquid, imo eſſe omnia videretur; cætera nihil & mendacium. Ita Auguſtinus: (a) *Intravi in intima mea duce te: & potui; quoniam factus es adjutor meus. Intravi, & vidi qualicunque oculo animæ meæ ſupra eundem oculum animæ meæ, ſupra mentem meam, lucem Dei incommutabilem.... Qui novit veritatem, novit eam; & qui novit eam, novit æternitatem. Charitas* [amor Dei] *novit eam. O æterna veritas, & vera charitas, & chara æternitas! Tu es Deus meus. Tibi ſuſpiro die ac nocte.* [hoc eſt medium participationis.] *Et cum te primum cognovi, tu aſſumſiſti me, ut viderem eſſe quod viderem,* [hoc ſolum lumen quod tunc videbat, ipſi videbatur eſſe] *& nondum me eſſe qui viderem:* [omnia ei, & ipſemet ſibi, nihil eſſe videbantur] *Et reverberaſti infirmitatem aſpectus mei radians*

(a) Confeſſ. lib. VII. cap. 10.

dians in me vehementer : *& contremui amore & horrore,* [tanta eſt vividitas & realitas divini luminis, ut ferri nequeat] *& inveni me longe eſſe a te in regione diſſimilitudinis,* [jam non modo nihil, ſed oppoſiti & diſſimiles apparemus Deo] *tanquam audirem vocem tuam de excelſo* : *Cibus ſum grandium : creſce & manducabis me. Nec tu me in te mutabis ſicut cibum carnis tuæ,* [non eſt quod timeas aliquid indignum mihi eventurum ſi tu me admittas in te] *ſed tu mutaberis in me.* [O divinam transformationem intellectus & mentis totius a lumine Dei, divinam formam ſuam animæ communicante!] *Et cognovi quoniam propter iniquitatem erudiſti hominem, & tabeſcere feciſti ſicut araneam animam meam,* [reprehendiſti & conviciſti me quod fuerim in erroribus propter corruptionem meam, & oſtendiſti mihi omnia mea ſtudia atque opera extra divinum lumen tuum eſſe tantum inania, & ſicca aranearum opera & ſtudia:] *Et dixi, nunquid nihil eſt veritas quoniam neque per finita neque per infinita locorum ſpatia diffuſa eſt?* [namque non capiunt divinum lumen naturalia & craſſa.] *Et clamaſti e longinquo,* Imo vero, Ego sum qui sum. [Iterum ſola ipſi videtur eſſe divina Veritas, cætera non eſſe.] *Et audivi ſicut auditur in corde : & non erat prorſus unde dubitarem. Facilius dubitarem vivere me, quam non eſſe* [ejuſmodi] *veritatem.* Et alibi (a) *Vidi ſplendorem tuum corde ſaucio; & repercuſſus dixi; Quis illuc poſt? Projectus ſum a facie oculorum tuorum.*

(a) Lib. X c. 41.

Tu es veritas ſuper omnia præſidens [omnia antecedens.] *At ego per avaritiam non amittere te volui ; ſed volui tecum poſſidere mendacium ; ſicut nemo vult ita falſum dicere, ut neſciat ipſe quid verum ſit. Itaque amiſi te, quia non dignaris cum mendacio poſſideri.* Hoc eſt, homines qui volunt curioſitatem ſuam paſcere per infinitas veritates vanas & nugaces, quæ coram divino lumine non veritates, ſed mendacia dici merentur; quique etiam ex eadem avara cupiditate omnia ſcita coacervandi, quid ſit divinum lumen ſcire, idque poſſidere volunt ; eo non poſſunt non omnimode privari quantacunque ſint ſeculi ſplendida ingenia. Dedecore afficiunt divinum lumen quando illud ita non ambiunt ut propter id cæteris omnibus velint carere, vel ea ut ſtercora contemnere, diſſimiles divino Paulo inclamanti (a) *Omnia damnum reputo, propter excellentiam cognitionis* JESU CHRISTI, *Domini mei, propter quem omnium jacturam feci, eaque pro ſtercoribus habeo ut Chriſtum lucrer.* Chriſtum autem eſſe ipſam lucem divinam, lucem mundi, lucem animæ, lucem illuminantem omnem hominem venientem in mundum, juxta Euangelicam veritatem, nemo, opinor, dubitare poteſt.

(a) Phil. 3. 8.

VI. *De Statu ſupernaturali Mentis.*

Naturam noſtram ad ſupernaturalia

Quoniam ex iſtis pleraque ad ſtatum mentis ſupernaturalem ſpectare videntur, quæri de hoc poteſt, an noſtri ſit eò adſpirare? forſan

forſan melius fuerit, naturæque convenientius, ſi intra ea quæ naturalia ſunt nos contineamus: arrogantiæ fuerit majora moliri quam quæ poſſumus: actus noſtros ad naturam noſtram dicunt eſſe metiendos, & *quæ ſupra nos*, ea *nihil ad nos* ſpectare. *Reſpondeo*: Agnoſco vocem Socraticam, at ſenſu procul dubio non Socratico ſed Epicureo prolatam, dum quæ de ſpeculativa perverſa & culpanda curioſitate dicta erant, perperam transferuntur ad ea quæ omnium hominum ſpectant officium. Natura humana ſi ſibi ſoli adhærere velit, præter facultates vacuas, tenebroſas atque anxias, hoc eſt, præter ſtatum miſerandum, nihil quicquam poſſidere poteſt. At ſi perfectionem, complementum, ornamentum, ſcopumque ad quem facta eſt, ipſa velit & cupiat, (quod ſane ejus naturæ omnium maxime conveniens eſt,) tunc omnium maxime neceſſarium eſt, ut ſupra ſe ad ſupernaturalia adſpiret. Sumus enim revera ad ſupernaturalia facti, utque vel ipſi Deo evadamus ſimiles. Hinc tantum abeſt ut legi naturæ adverſetur, ſi majora moliamur quam quæ poſſumus; ut econtrà, nil magis cum naturæ noſtræ lege conveniat. Quod vere dici facile apparebit, ſi potentiam noſtram meminerimus recte diſtingui in activam, qua poſſumus agere & efficere; & paſſivam, qua poſſumus recipere & pati. Illa eſt finita valde, imperfecta, craſſa, corrupta: hæc infinita, etſi obſtaculis corruptæ naturæ noſtræ nunc veluti clauſa. Jam

eſſe factam, atque ad ea debere ad ſpirare.

f 2 ſi mo-

ſi moliamur quædam bene & perfecte agere ex activitate corrupta, aut ex eadem quædam vere divina & ſupernaturalia, capacitatem activitatis noſtræ ſuperantia, efficere: id quidem eſt contra legem naturæ, eſtque non exiguæ arrogantiæ: ſiquidem cauſa producere velit effectum in quo plus ſit realitatis quam in ipſa cauſa eſt: quod eſt contra ideas luminis naturalis. At ſi moliamur majora a Deo recipere quam quæ ipſimet poſſumus efficere, id & congruum eſt legi naturali divinæque, qua tenemur bona quæ Deus offert & largiri vult, (offert autem ſe ipſum) non rejicere, ſed admittere; & vero convenientiſſimum idem eſt potentiæ paſſivæ (quam a Deo habemus) infinita & ſupernaturalia ab ipſo recipere. Annon, quæſo, naturæ quiſque ſuæ convenientiſſima molimur, ſi facultates quidem activas, imperfectas, craſſas, ſteriles, corruptas, ad ſupernaturalia faciamus quieſcere; facultatibus autem paſſivis, infinita a Deo recipere aptis, moliamur maxima & infinita a Deo recipere? Noſcat homo, & alta mente reponat, naturam ſuam non eſſe finem & ſcopum ſui ipſius, ſed Deum, & ſupernaturalia ſola, humanæ naturæ ſcopum & finem eſſe: ita ut qui ſe ſuaque omnia non dirigunt ad ſupernaturalia, non tantum infra canes & infra bruta aut inanimata quævis, (quæ ſcopum ſuum attingunt) ſeſe abjicere, ſed & naturam ipſam ejurare ſint revera dicendi.

VII.

VII. *De Deſiderio ut medio ad obtinenda divina.*

Supereſt tantum ut petatur, an deſiderium ſit (ex parte hominis) medium efficax ad obtinendum id quod ad reſtitutionem facultatum noſtrarum neceſſe eſt, ſive, objectum deſideratum? & quomodo id ſine revelatione probari poſſit? *Reſpondeo*, Id ex natura probari, quatenus illa conſideratur ut opus Dei optimi, ſapientis, potentis. Namque *primo*, anima noſtra ex natura ſua cupida eſt, ita ut non poſſit ſibi interdicere quin cupiat, ſive deſideria habeat. *Secundo*, ſi deſideria illa (ubi ſcilicet bene directa ſunt ad objecta ſibi convenientia) non eſſent unquam implenda, tunc anima ex natura ſua non poſſet non ſemper torqueri ſine ulla ſpe remedii: quod eſt indignum opere illius Entis, quod ex potentia quidem ſua deſideria illa torquentia implere poſſet; ex bonitate ad id ipſum invitatur; ex ſapientia non poteſt dare facultates ad objectum ſeſe vehementer ferentes, ac interim tamen vel objectum non concedere, vel ejuſdem cum facultatibus conjunctionem negare. Quæ omnia cum abſurda ſint, ſequitur neceſſario, deſideria bene directa de facultatibus reſtituendis & implendis, non eſſe rejectanea, ſed efficacia. Deſideria non eſſe inefficacia.

Hæc autem facultatum impletio facienda eſt ſine medio aut cum medio. Si ſine Deſideria eſſe media ad fa-

 medio

cultatum reſtitutionem & impletionem recipiendam.

medio; ergo jam ſtatim eſſent impletæ, quod eſt contra experientiam: ſi cum medio; (quia ſupponimus hic mentem ſolam ex una parte, & omnia objecta alia quæcunque extra mentem ex altera parte) medium illud non poteſt eſſe ipſa objecta: nam nondum ſunt poſſeſſa; & ut poſſent eſſe media poſſeſſionis ſuæ, deberent prius poſſideri quam poſſideri, quod eſt abſurdum: Ergo medium poſſeſſionis debet eſſe in mente. In mente vero ſunt præcipue deſiderium, intellectus, acquieſcentia. Acquieſcentia medium poſſeſſionis eſſe non poteſt, quia ipſa reſultat ex poſſeſſione objecti. Intellectus etiam id eſſe nequit: is eſt (in ſpiritualibus) vas, ubi objectum debet locari, non medium ejus efficax: alias omnium hominum intellectus lumine impletus eſſe deberet. (Non nego tamen in intellectus atque acquieſcentiæ facultate conditiones certas prærequiri; ſed acquieſcentia in his adhuc eſt magis ſub forma deſiderii, quam ſub forma acquieſcentiæ completæ.) Ergo ſupereſt pro medio deſiderium: illud autem eſt triplex, vel conjunctionis, vel ſeparationis (quod averſatio & odium dicitur) vel indifferentiæ: quæ duo ultima non poſſunt eſſe media poſſeſſionis objecti obtinendæ, ſiquidem illud potius rejiciunt, aut ſaltem non intromittunt. Reſtat igitur ſolum deſiderium conjunctionis, extra quod, nullum aliud aptum in mente eſſe poteſt; nam ſi aliud eſſet, eſſet non deſiderium, hoc eſt, vel averſatio vel indifferentia, quæ modo

rejecta

rejecta ſunt: cum è contra, deſideria ſint tanquam tranſlatio vaſis verſus objectum quo vas impleri debet: quo quidem medio proximius & efficacius ex parte vaſis exhiberi non poteſt.

Cum igitur deſideria ſint naturalia poſſidendi objecti media, & cum modo probatum ſit ex potentia, ſapientia & bonitate Dei, deſideria bene conſtituta non poſſe vacua relinqui, ſequitur ea eſſe *efficacia* poſſeſſionis boni vel luminis, aut reſtitutionis media. Quod erat probandum.

Nota 1. efficaciam, quæ hic tribuitur deſiderio, non eſſe efficientem ſed admiſſivam objecti ſui divini.

Nota 2, quod ſummopere animadverti velim quanta ſit precum (quæ ipſiſſima deſideria ſunt) neceſſitas utilitaſque ſumma ad veritatem ſolidam obtinendam, quæ non tam cerebro frigide contendente acquiritur, quam ardentis inſtantiæ deſideriis, corde, votis & poſtulationibus divinis. Et hæ tamen, vel ut nullæ, vel ut ad eruditionem non ſpectantes, negliguntur ab eruditis pleriſque, hanc clavem eſſe ad veritatis poſſeſſionem ignorantibus: aliis quidem per neſcio quæ de quibusvis perſonalibus rebus certo eventuris anilia decreta; aliis autem per atheiſticum Spinozæ fatum & effatum, *quod volunt fata, non tollunt vota:* quod ſane origine ſua dignum eſt. Cujuſvis hominis libertati permiſſum haſtenus voluit Deus, ut poſſit non quidem efficere, ſed a Deo oblatum admittere aut ſecus, divi-

Precum ad veritatis poſſeſſionem obtinendam neceſſitas, utilitaſque, & earum ratio.

num lumen, bonum, facultatum ſanationem, & in integrum reſtitutionem. Itaque homo bonis iſtis non deſit per deſideriorum ſuorum tepiditatem aut relaxationem. Et ut ad ea magis ſeſe ſtimulet, conſideret, uti oſtenſum eſt, impletionem eorum fundari in natura rei, Dei opere; itemque in ſapientia, bonitate & potentia Dei, hoc eſt, in natura Dei, qui dando menti facultatem deſiderandi objecta decentia, eo ipſo voluit mentem apprehendere deſiderio objectum ſuum. Et quia Deus nil fruſtra velle poteſt, igitur non ſine effectu & realitate id fieri poteſt: eſtque bene attendentibus deſiderium (conditionibus debitis conceptum) ex natura ſua jam quoddam initium fruitionis objecti, & veluti promiſſum Dei de ejus impletione. Nam ideo dedit Deus facultatem deſiderandi, quia vult dare rem deſideratam: Ergo deſiderium ex origine naturæ ſuæ eſt teſtimonium voluntatis Dei de dando objecto deſiderato, ſive eſt promiſſio Dei naturalis, & ſpes certa de poſtulatis noſtris obtinendis, ab Eo nobis facta qui fallere neſcit.

Ad reſtitutionem & conſervationem facultatum deſideria eſſe ſæpius exercenda.

Eſt deſiderium non tantum, uti diximus, tranſlatio valis verſus objectum ſeipſum dandi cupidum, ſed eſt etiam veluti immerſio in illud & tanquam os animæ, quo cibus pro omnibus facultatibus admittitur: (a) *Aperi os tuum, & ego implebo illud.* Hominis facultates veris ſuis objectis debite adhibitis ſuſtentari, & iis in bono ſtatu conſervari, notum eſt. Notum eſt & illud, hominem, quia finitus eſt, non poſſe ſimul omnes facul-

(a) Pſ. 81. 11.

cultates ſuas, activas atque paſſivas, cum omnibus objectis ſuis jungere & exercere. Notum eſt & hoc tertium; debere id fieri ea cum temporis menſura, eoque cum mentis affectu, ut digniores facultates digniora objecta habentes, ſæpius & ardentius cum objectis ſuis uniantur, quam facultates minus dignæ cum objectis ſuis imperfectioribus. Et quia mediante deſiderio facultates ſupremæ cum divinis objectis uniuntur, ſequitur demonſtrative, hominem, qui facultates ſuas in veritatem & ſanitatem vult reſtitui, reſtitutaſque conſervari, debere propterea ſæpius & ardentius precibus vacare, ſive, offerre Deo per deſideria frequentia & ardentia facultates ſuas diviniores & ſublimiores, ut ſuum illæ cibum vigoriſque nutrimentum ab illius communicatione ac liberalitate recipiant: atque etiam æquum eſſe, ut eo tempore ab aliarum facultatum inferiorum exercitio, quatenus hic impedimento eſſent, abſtineat. Sin vero homo hiſce ultimis ſe dedat totum neglecta ſuperiorum ſaluberrima exercitatione, *primo* quidem peccat in Dei voluntatem & paratam bonitatem; *ſecundo* ſe ipſum beneficiis Dei ſummis, ejuſque gratia & lumine defraudat; *tertio* facultates ejus digniores fiunt inde languidæ & caſſæ, tum obſcuræ, inſenſibiles, & veluti mortuæ, haud ſecus ac corpus cui alimentum ſuum denegares; *quarto* & in facultates activas rationis, cæteraſque inferiores, deſcendunt inde tenebræ, inordinationes, morbi, corruptio: unde is ho-

homo, jam Deo ipſo in facultatibus ſupremis carens, & in ratione cœca & morbida ideas falſas atque chimæras, quas ſæpe pro Deo jactitat, parturiens, coram Deo inter atheos numeratur: eo quod a Deo deſciverit per intermiſſum exercitium libere & cum affectu ſeſe illi paſſivum offerendi, ad quod tamen facultates idoneas recepit, ipſeque adeo ab Auctore ſuo conditus fuerat.

PARS TERTIA.

Ob neglectum ſuperiorum regularum Carteſium *cum ſuis in multa incidiſſe* errata, *quorum aliquot in illius Methodo & Meditationibus, in horum autem opinionibus nonnullis, deteguntur.*

I. Regularum ſex Methodi præcedentis, utilitas præ quibuſdam aliis.

I. ET hactenus quidem de hiſce ſufficienter: quamvis enim plura adhuc circa hæc moveri poſſent, crediderim tamen iis facile ab exercitatis ſatisfieri poſſe, maxime ſi ad leges Methodi ad inveniendam veritatem hic propoſitas, velint ſe componere: nempe 1. Ordine procedendo; 2. idque mente ſincera nec fraudulenta; 3, incipiendo in ſe & a ſe; 4. agnoſcendo ægritudinem, qua durante, veritas acquiri non poteſt; 5. quæque adeo prius ſit curanda & ſananda, 6. idque per oblationem conſtantem ſui Deo Optimo, Maximo. Quas regulas qui obſervabit, multo verius & tutius ſe ad ſo-

ſolidæ veritatis fontem, & hinc manantes rivulos, perventurum animadvertet, quam vel ope aut imitatione Methodi Mathematicæ, (quæ eſt id quod eſt cæcis aut iis qui in tenebris verſantur, methodus corpora per palpationem cognoſcendi, ipſis quidem proficua; ſed ad cognitionem eorum quæ alio medio lumineque deteguntur, inutilis:) vel obſervatione ipſius Carteſianæ methodi, cujus quidem leges quaternæ ſuis nævis erratiſque non deſtituuntur.

II, Nam in prima ſtatim ſupponitur falſum, nempe rationis facultatem eſſe eouſque ſanam, ut nec alio lumine quam naturali, eoque quod nunc habet, opus ſit ei: & vero eam hoc ſuo lumine clare & diſtinctè videre poſſe non modo quædam generaliora; ſed (quæ Carteſii verba ſunt,) *nulla eſſe tam remota, ad quæ tandem non perveniat: nec tam occulta, quæ non detegat:* atque ab eis quæ ſuo modo non deteget nec videbit, ſummopere eſſe cavendum. Quod profectò perinde eſt, ac ſi qui in tenebris nonnulla corpora facultate palpandi percipiunt, putarent nil tam remotum ac occultum eſſe, quod ſua palpatione non poſſint detegere atque cognoſcere: & vero pro regula cognoſcendi ulterius corpora decernerent, ſibi cavendum eſſe ab omni eo quod palpatione non perciperent, ſolique contrectationi palpabili & diſtinctæ in cognitionibus acquirendis innitendum eſſe.

II. Sphalmata in regulis Methodi Carteſianæ, earumque non obſervatione. In prima.

In altera, ubi de rerum diſtinctionibus ad earum difficultates ſolvendas loquitur, omi- fit

In ſecunda.

ſit ſemper ubi ad rem ventum eſt, primas, capitales, neceſſarias, radicaleſque rerum omnium diſtinctiones, nempe 1, in æternas & temporarias; 2, in ſufficientes & arbitrarias; 3, in naturales ſive abſolutas (quæ amitti non poſſunt) quæque ſe ſolis imperfectæ ſunt, & gratuitas, complentes atque perficientes, ſed amiſſibiles; 4, in activas & paſſivas; 5, in reales, & umbratiles; 6, in ſuperiores (reſpectu facultatum mentis) ſive divinas, & inferiores; 7. in ſanas & corruptas: & quæ ejuſmodi nonnullæ ſunt, veluti neceſſariæ & accidentariæ; ſine quibus auſim dicere, nullas rerum difficultates præcipuas ſolvi poſſe, & quarum auxilio (cæteris non excluſis) ea quæ alioqui vel omnium difficillima aut inſolubilia habita ſunt, diſſolvi poſſunt facillime, quod non uno in loco arbitror me non paucis exemplis manifeſtum dediſſe.

In tertia. In tertia Methodi lege, ubi de inſtituendo ordine, a ſimpliciſſimis incipiendo egit, debuiſſet maxime ad diſtinctiones modo recenſitas reſpicere; & in aggredienda re, poſt generale illud *cogito*, ad earum pleraſque attendiſſe; maxime vero a Divina Sufficientia, veluti a prima atque ſimpliciſſima omnium veritate, philoſophandi exordium deſumſiſſe: ex qua quippe omnibus rebus concipiendis difficultatibuſque capitalibus diſpellendis lux accedit ſufficiens & neceſſaria: ut in aliis tractatibus probatum dedimus.

In quarta. In quarta denique, de quæſitione mediorum,

rum, & difficultatum enumeratione, quoniam in prima lege male ſuppoſita eſt rationis non ægræ potentia; neque juxta ſecundam ac tertiam rerum diviſiones neceſſariæ recte factæ ſunt, ſed multæ omiſſæ, cæteræ nec omnes ordine apparentes, magni hiatus relicti, non potuit enumeratio requiſita recte fieri, etſi philoſophanti viſum ſit nihil a ſe omitti. Ita ut ex legis primæ ſuppoſitione falſa, ipſa & cæteræ leges caſſæ ſint, inobſervatæ ſint, & in veritatis quæſito Syſtemate non impedierint quin & debita multa abeſſent vera, & multa indebita falſa admiſcerentur.

III. Sine legibus præcedentibus nec dari aditum ad fruitionem veri: nec caveri poſſe a falſo.

III. Solis quippe legibus & regulis, quas ſenario incluſimus numero, poteſt veritas ſolida & integra debite quæri & inveniri, & ita quidem, ut nemo eorum, qui ad illarum tenorem ſe geſſerit, maxime non neglectis rerum diſtinctionibus modo dictis, quæ & in prima noſtra regula ſunt indicatæ, conqueſturus ſit ſibi deeſſe, quantum optare poteſt, veritatem ſolidam. At ſine illis, nulla vis ingenii pertinget unquam ad acquiſitionem veritatum quibus mens deſtituitur & indiget, etſi in ſupplementum indigentiæ ac paupertatis ſuæ a punctis & lineis emendicatum eat aliquas minuſculas propoſitiunculas, importuna ſagacitate extortas, quibus ſpeciem divitiarum veritatiſque acquiſitæ ridicule mentiens, ſibi aliiſque abſurde imponat; tametſi immenſis, ſolidis, æterniſque luminibus, quæque ipſam & verum ejus ſtatum quam maxime & intime ſpe-

ſtant, interiora ejus deſtituuntur, atque immanibus tenebris & erroribus oppoſitis infacta ſunt. Quorum quidem exempla non pauca in medium produci poſſent, ſi beneficii loco reputarent homines errores ſuos ſibi oſtendi; ſed præſtat ab eo abſtinere, niſi, quia Carteſiani cæteris ſe ingenuiores profitentur, qui ſcilicet in verba magiſtri non jurarint, ſoliuſque veritatis, ſeu adverſa ſit ſeu conformis primis cogitatis, amore duci velint, ſpes eſſet fore inter eos qui revera tales ſint, quibuſque non ingrata futura ſint ſimilium erratorum exempla, quæ vel ex Carteſio vel ex ipſiſmet adduci poſſent.

IV. Sphalmata non pauca in Meditationibus Carteſii ob eas neglectas.

IV. Id quod ex benevolentia quæ mihi animitus inſidet erga mentes ſolidæ veritatis cupidas, aliquoties in aliis editis meis jam feci, in iis etiam quæ in hoc ipſo tractatu modo præceſſerunt, nec non & quæ ſequentur, non omittendum credidi. Nunc autem, ubi quæſtio eſt de obſervatione vel neglectione ſex regularum noſtrarum ſeu Methodi noſtræ (ſi noſtrum licet dicere quod eſt omnium vel ad omnes ſpectat & pertinet) nolim quidem in ſpecie oſtendere, quomodo in unamquamque illarum ab omnibus fere peccatum ſit: hoc uniuscujuſque examini diſcutiendum relinquo: ſed tamen errata nonnulla adhuc annotare libet, quæ ob eas neglectas admiſſa ſunt in rebus quæ ipſis ſunt inter præcipuas, quales v. g. fuerint inter multa *Carteſii Meditationes*.

V. V. In prima propoſiturus ille *morbi deſcri-*

ſcriptionem (ut ipſe (a) ait) *cujus curandi methodum volebat docere*, morbum & morbi cauſam quærit & ponit (vel ſupponit) ubi revera non eſt. Equidem de ſenſuum præjudiciis, quatenus judicantur quædam qualitates ineſſe rebus, formaliter ſimiles eis quibus afficimur, merito dubites, judiciaque ejuſmodi habeas de morbo ſuſpecta: at ex iis concludere in genere, dari revera corpora quibus afficimur, & inter ea certum aliquod ad nos pertinere, nosque vigilare, morbus non eſt, niſi in ſtultorum quorundam Scepticorum mente, de quibus, quia non ſincere agunt, nos neutiquam decet eſſe ſollicitos: neque etiam ullis demonſtrationibus ratiocinatis prætenſus hic morbus ſolide depelli poterit, (ut alibi notavimus,) ſed ſolis ſenſibus atque ſinceritate mentis. Qui autem eo non laborant, illi nec ipſis demonſtrationibus (ne potius inde ægri fiant, ut evenit) tentandi ſunt ad ſanitatem non amiſſam revocari. Deinde loco illius ſuppoſitionis de Deo per omnipotentiam ſuam faciente forſitan apparere corpora quæ tamen non ſunt, aut de deceptore ſumme potente & maligno qui ſemper nos fallat, oportuiſſet ad radicem morbi tangendam, adducere, tum nos ipſos eſſe deceptores, qui cum auctorem noſtrum & conſcientiam noſtram officiis debitis & promiſſis ſæpe defraudaverimus, habitum jam deceptionis & fallaciæ noſtri contraximus; tum Deum ex juſtitia erga iſtiuſmodi deceptores æquiſſime permittere, ut, quando judicia facere volunt, non

Sphalmata Meditationis primæ Carteſii.

(a) Reſp. 1. ad Obj. tertias.

non quidem neceſſaria de ſuo corpore exſiſtente cum aliis; ſed curioſa, de natura & eſſentia rerum ſpiritualium & corporalium, veritatem non attingant, at fallantur perpetuo. De numeris autem dubitatio, ut inſana & impoſſibilis ne quidem tangenda fuiſſet. De Dei etiam exſiſtentia dubitantis perſonam nec ſibi nec lectori ullo modo imponere debuiſſet; ſed alicui tertio, cujus ſcrupulis tollendis nonnihil operæ eſſet dandum. Atque ſic quidem dubitatio intra ſuæ naturæ ſuæque cauſæ, nec non & animi ſinceritatis limites ſtetiſſet: cum alioqui non parvas illa ubique fere, nec omnino abſque culpa, turbas excitaverit.

VI. Sphalmata Meditationis ſecundæ.

VI. In ſecunda, potuiſſet initio ordinis & perſpicuitatis gratia, & ut quiſque a ſe ipſo & in ſe, inque intimis ſuis inciperet, poſtulari ut ſupponeretur nulla adhuc dari corpora, ſpatia, loca, ut natura Mentis & primi cogniti clarius detegi poſſet. Sed quando inveniebatur illud, *Cogito ergo ſum*, recenſebanturque varii modi diverſæque facultates cogitandi, hoc maxime (cujus omiſſio immenſum multis Carteſianis nocuit) erat monendum, illud *cogito*, cum ex uſu ordinario activitatem mentis ſive ſubjecti cogitantis maxime ſignificet, non eſſe hoc ſenſu præcipuum quod eſt in nobis; ſed eſſe etiam in nobis cogitationes quas patimur ſeu paſſive habemus, non tantum eas quæ a corporibus externis procedere videntur, & ſenſationes vocantur; ſed maxime quaſdam alias, quibus ſentimus nos ab intimis impel-

li ad objecta æterna, immenſa, optima deſideranda, admiranda, veneranda, quorum impreſſione maxime intimis & realibus afficimur attractibus, gaudiis, timore, ictibus, a quibus objectis etiam infinita alia poſſumus recipere & pati: & has quidem facultates talia patiendi ſive recipiendi, aut percipiendi & cogitandi, in nobis eſſe vel videri ſaltem pro objectorum ejuſmodi præſtantia & potentia, digniores, præcipuas, numeroſiores, item & maxime intimas & eſſentiales, quamvis nunc, quia in actum non ſunt deductæ omnes, & ſi quæ deductæ ſint, non fuerunt niſi imperfectiſſime exercitæ, nos ferme omnes lateant: quibus detegendis, quia ſunt præcipua pars noſtri, impoſterum cura ſit danda potiſſimum. Hæc atque ſimilia, quamvis ibi nondum explicanda aut demonſtranda, fuiſſent tamen veluti præparatio tum materiæ poſtmodum tractandæ, tum mentis ad divinas facultates ſuas paſſivas, fundumque animæ æternum, deinceps agnoſcenda.

VII. Sphalmata Meditationis tertiæ Carteſii.

VII. In tertia Meditatione, exiſtere Deum aggreditur demonſtrare Carteſius, eamque concluſionem, mea quidem ſententia, bene efficit atque demonſtrat: attamen in ejus præparationibus & præmiſſis, non pauca inſunt minus ad rem apta minuſque vera, quanquam non in eis partibus unde vis demonſtrationis dependet.

Dari vias meliores exiſtentiæ

Sed fallitur profecto Carteſius quando illas ſuas de Dei exiſtentia demonſtrationes ſic effert & omnibus præfert, ut (a) *nullam viam*

Dei demonſtrandæ eis quas Carteſius omnibus prætulit & quibus uſus eſt.
(a) in dedic: ad Sorbon:

viam putet ingenio humano patere per quam meliores inveniri unquam poſſint. Quod ut reddam evidens, nonnullas ego jam, ſi modo quis ſincera mente velit ſibi ordinate attendere, indigitabo demonſtrationes Carteſianis multo meliores; & præ quibus illæ vix poſtea alicujus momenti videantur. Ad quod non opus erit ut ſuperficiariam aliquam idearum rationis in claſſes diſtinctionem præparationis gratia proponam, aut inſiſtam (uti male Carteſius) incertitudini maleſanæ de corporum exſiſtentia, unde concludi poſſit, ſolius frigidæ iſtius ideæ Dei, quæ eſt in ratione, hanc eſſe prærogativam, ut exſiſtentiam ſui objecti neceſſario inferat: Sed dimiſſa petitione, qua modo poſtulaveram ſupponi nondum exiſtere corpora, relinquam eorum exſiſtentiæ naturalem & certitudinem indubitatam in ſuo ſtatu, atque ex eo oſtendam certius & ſolidius demonſtrari Dei exſiſtentiam, quàm ex idea; tum eandem incomparabiliter adhuc excellentius ex facultatibus paſſivis êque earum actuationibus conſequi. Et hoc ipſum jam mihi videor ſuperius oſtendiſſe, (b) quo velim lectorem remitti, ut hic brevior eſſe poſſim.

(b) Sup. Part. I. num. XII. & XIII.

VIII. Prænotata quædam ad exiſtentiam Dei ſolidius demon-

VIII. Prænoto primo, mentem meam ſic naturaliter conſtitutam eſſe, ut eo magis certioretur de cauſæ alicujus exſiſtentia, quo magis effectus ejuſdem eam afficit, ita ut ſi afficiatur modo potentiſſimo, vividiſſimo, luminoſiſſimo, acquieſcentiſſimo, non poſſit, niſi fraudulenta ſibi & mendax ſit, non certa eſſe hoc ipſo, & ſine ope ulterio-

ris-

is ratiocinationis, de re ſive cauſa exſiſtente, & hæc efficiente.

ſtrandam atque fecit Carteſius.

2. Prænoto ſecundo, vim cogitandi vel percipiendi quæ in me eſt duplicem eſſe: unam activam, quæ tenuis, limitatiſſima obſcuraque valde eſt, quæque contentione & activitate ſua mihi nihil repræſentat niſi ideas picturarias, parum efficientes, & veluti mortuas: alteram paſſivam, qua vel me invito, ſaltem me nil efficiente, in me recipio perceptiones & impreſſiones potentiſſimas, vividiſſimas, valdeque luminoſas & acquieſcentiam inferentes; quæque cum objectis quibuſdam mihi ſic videntur indivulſe conjunctæ, ut & nequeam nexum illum ſolvere, aut eum mea activitate imitari; neque etiam a me impetrare poſſim ut acquieſcenter conſiderem illas meas perceptiones ab objectis eos excitantibus eſſe ita disjunctas, ut ſine illis exſiſtentibus ſint aut eſſe poſſint. Cæterùm, nil impedire quo minus vis illa mea paſſiva ſit infinita, pro infinitate illorum quæ in ea agere poſſunt, quemadmodum indies experior nova ſemper in illa excitari.

Primum, de potentia affectionum mentis.

Secundum, eas vim majorem habere & eſſe potentiores in paſſivis quam in activis.

3. Noto tertio, in potentia illa mea, ſive in facultatibus paſſivis, in aliis quidem mihi repræſentari potenter, vivide, luminoſe & acquieſcenter, velim nolim, corpus meum, multis conſtans partibus & diverſe motum, & præterea alia etiam corpora exiſtentia præter illud: in aliis vero, me allici modis quibuſdam adhuc dignioribus & potentioribus ad ineffabile aliquod

Tertium, de vi remiſſa atque impotentia earum in activis præ paſſivis.

reale

reale, potens, luminoſum, bonum, quod ubi id paſſive & quiete cum affectu contemplor, ſinens me ab illo allici, id mihi quidem indivulſe adeſſe, meque per ſe ſolum afficere videtur; at ubi activitate mea id conſiderare, deque eo conceptus & ratiocinationes formare ſatago, tunc ejus præſentes vividiſſimique ictus, & inimitabiles tactus intimi, cum eo ſentiuntur ſecedere, & in eorum locum ſuccedere perceptiones frigidæ, inefficaces, mortuæ, impotentes, confuſæ etiam, neque me tranquillantes, quæ reſpectu priorum ſe habent ut meræ picturæ ad rem ipſam vividam.

Quartum, Argumenta ex activis minus efficacia debere eſſe, quam ex paſſivis.

4. Unde quarto annoto & illud, argumenta Carteſii, etſi bona in ſuo genere, non poſſe tamen non eſſe multo minus afficientia, atque adeo minus perſuadentia quam ſibi imaginabatur. Et hoc quidem experientia triſti patet in illis qui ad Atheiſmum è Carteſianiſmo ſunt delapſi: deinde etiam ex jam dictis: Sunt quippe deſumta ex effectu (ex idea) qui non eſt effectus immediatus Dei, ſed facultatis activæ rationis, (tametſi hæc vim eam a ſolo Deo immediate potuit accipere, unde argumenti præcipuum robur.) Interim quia iſte effectus & remotus eſt, & participat de cauſæ ſuæ proximæ (activitatis rationis) impotentia, ſterilitate, obſcuritate & vacuitate, non poteſt ita vivide & inconcuſſe in intimis cauſæ remotæ & umbratiliter ſolum atque imperfectiſſime depictæ, exſiſtentiam evincere, uti quidem effectus proximi, potentes, vividi,

vidi, luminoſi & infinite lætificantes atque afficientes, qui indivulſe percipiuntur cum cauſa potentiſſima, vividiſſima, luminoſiſſima, & optima atque feliciſſima connecti.

IX. His prænotatis; quicunque vult demonſtrationum infinite Carteſianas ſuperantium vim potentiſſimam, vividiſſimam, luminoſiſſimam atque acquieſcentiſſimam in intimis ſuis indubitato percipere; quandoquidem iſti effectus vividi in paſſivis facultatibus ab activitate noſtrâ non pendent, ſed experimur tantum in nobis libertatem offerendi facultates objectis ſuis; is ergo intima omnia ſua offerat objecto ſæpiſſime prævenienti, animæ bonis impulſibus illabenti, & perceptionum modo dictarum efficienti cauſæ, quæcunque illa ſit aut eſſe poſſit; quod quidem ſi ex animo & ſine fraude egerit, tunc vero videbit & contrectabit vividis effectis tantam certitudinem Dei exſiſtentis, ut ad argumenta ratiocinativa riſurus ſit ob eorum inutilitatem; haud ſecus ac riſu dignum eſſet, ſi quis candelam adferret homini ad Solem expoſito ut per eam poſſet conſpicere Solem. Sed ſi quis nolit requiſita ad hanc demonſtrationem præſtare, is ſi forte de ejus inevidentia conqueratur, non erit magis audiendus, quam qui neglectis faciendis ad ſolutionem problematis Mathematici, de eo non invento moveret querelam. At enim, inquiet quiſpiam, quomodo tradam facultates meas objecto incerto, quod nondum novi eſſe? timeo decipi. Inconſiderate! Si nondum noſti ea certitu-

IX. Demonſtratio, prima Carteſianis melior de Dei exiſtentia vividis effectibus in paſſivis facultatibus ſupremis potentiſſime percipienda.

titudine quæ adhuc quæritur, noſti tamen ſatis, ut ſiquidem ſolidiſſimarum demonſtrationum ſis cupidus, moveri poſſit inde, ſpes & diligentia tua ad jaciendam aleam, & experientiam tentandam, quam ſæpe in rebus nauci laborioſiſſimam & fallaciſſimam ſuſcipere non recuſas, cum hic nullum ſit deceptionis aliud periculum, quam te ad cogitabile omne bonum reale, luminoſum, potens, fontem vividitatis & felicitatis, a quo capiaris & poſſidearis, trahi & deduci. O felicem vero deceptionem! Utinam omnes cæteræ veritates contemnerentur, hæc vero ſola deceptio ubique obtineret!

X. Demonſtratio altera quæ eſt præcedentis gradus multo adhuc altior.

X. Quando ex vividis ejuſmodi effectibus in paſſivis facultatibus oblatis certitudo de Deo ſumma in mente nata eſt, poteſt hæc inde ad gradum certitudinis altiorem & ineffabiliorem aſcendere, ſi nimirum ea quæ cognovit in priori certitudine eſſe Deo grata, fideliter & ſincere pro viribus exequatur, ſi gratitudine, laude, amore, obſequio erga Deum agnitum exerceat ſe totam. Tunc enim ſupernaturales & omne cogitatum tranſcendentes actus atque effectus in intimis ſuis ſic excitari ſentiet, ut jam ipſa ſui non amplius futura ſit memor, ſuæque activitatis, ſed totam ſinat vivere in ſe cauſam admirandam ejuſmodi effectuum, a fonte omnis veri & boni indivulſorum. Et hæc ſunt quidem quam admirabiliſſima percipientibus aut deguſtantibus, quin & vere ſperantibus, demonſtrata; cum quibus nulla alia comparari poſſunt.

XI.

XI. Poſt iſta ex effectis & actibus duorum generum in facultatibus paſſivis argumenta, ſequitur aliud ex ipſarum facultatum conſideratione deſumendum, & Carteſianis adhuc longe præferendum. Illud autem eſt, quod facultates optandi fruitionem luminis & boni infiniti, immortalis, perfectiſſimi, feliciſſimi, quæ a nobis ipſis non ſunt factæ, & ne quidem a nobis ipſis actuari poſſunt, non poſſint eſſe niſi a cauſa infinite, immortaliter ſive æterne, perfectiſſime & feliciſſime luminoſa & bona. Nam cum facultates ſint capacitates admittendi objecti, omnis cauſa quæ non eſſet infinita, operans in ſubjecto aliquo ſecundum ſuam menſuræ finitæ vim, in eo non poſſet efficere niſi capacitatem finitam, & ſuæ naturæ congruam: niſi effectum credas ſua cauſa poſſe præſtare, & realitatis cauſam eſſe poſſe nihil.

XI. Tertium exſiſtentiæ Dei argumentum ex facultatum paſſivarum capacitate ipſa.

XII. Inſuper, argumenta exiſtentiæ Dei ex corporum exiſtentia, effectis & conſiderationibus deſumta, Carteſianis validiora ſunt, ſiquidem ex prænotatis, corpora ſint effectus reales & immediati potentis, ſapientis & bonæ cauſæ, qui effectus nos, facultateſve noſtras quaſdam paſſivas, vivide, potenter, luminoſe & acquieſcenter afficiunt; quod non ita facit idea Dei ex facultate rationis. Et quemadmodum quando quis perſpicit effectus reales cujuſdam cauſæ, magis de cauſæ exſiſtentia convincitur, quam quando perſpicit picturam vel iconem cauſæ: ſic de Deo magis convincimur, (& experien-

XII. Quarta de exiſtentia Dei ex rebus corporeis demonſtratio Carteſianis præſtantior.

perientia id confirmat) ſentiendo vivide effectus cauſæ potentis, ſapientis, optimæ in mirabili mundi corporei ſyſtemate, quam excitando in nobis ideam ſive picturam cauſæ potentis ſapientis & optimæ. Dices, ideam illam Dei è ratione, oportere intervenire in argumento ex conſideratione mundi exiſtentis deſumto: at falleris ſane, idque ob uſum generaliorem & æquivocum vocis *ideæ*, quæ diverſas, ut hic, ſpecies continet. Idea potentiæ, ſapientiæ, bonitatis quæ in anima excitatur per contemplationem operum Dei, alîus eſt naturæ, quam idea ejuſdem potentiæ, ſapientiæ, bonitatiſque quæ excitatur activitate ſolius rationis. Illa (quoniam operationes nonnullæ Dei immediatæ inſunt lumini & bonitati operum naturæ,) & quia cum Dei omnipotentis actu immediate juncta eſt, excitatque interiora cordis, mentis, ipſumque intellectum paſſivum; vivida eſt, valde afficiens, ſuffultaque effectu præſentiſſimo, palpabili, reali & mirabili potentis cauſæ: hæc, languida & iners, innixa & immixta actibus noſtris imperfectiſſimis & umbratilibus ſolum. Qui actibus animi cognoſcendis utcunque exercitati ſunt, illico inter illas duas ideas immenſam deprehendent differentiam, eamque haud minorem, quam inter ideam quam quis ſibi ratiocinando formaſſet de alicujus regis liberalitate, & inter eam quæ naſceretur ex eo quod immenſi theſauri a rege ei donati eſſent. Utra magis convinceret animum de exiſtentia liberali-

tatis

tatis regiæ ? vel ſaltem, utra magis eſſet vivida & afficiens ? Cæterum, quia me hæc omnia argumenta obiter tantum tangere oportet, ne excedam limites, plura de iis profundius meditanda relinquo, cum nonnullis facillime ſolvendis objectiunculis.

XIII. Quintum quoddam exiſtentiæ Dei argumentum (quatuor enim jam præceſſere) idque Carteſianis efficacius, deſumendum eſt ex activitate noſtra, quatenus illa in nobiliſſima illa libertatis dote (quæ cuivis ſeſe ſincere inſpicienti infinitis documentis & experimentis eſt intime præſens,) conſpicitur illimitata & infinita. Libertas illimitata & infinita eſt effectus cujuſdam cauſæ, quæ, ut cauſa, infinita, illimitata & liberrima, non poteſt non eſſe: cauſa in genere cauſarum infinita, libera & illimitata, perinde eſt ac Deus. Hujus argumenti vim ſentientes Athei, ipſi malunt ſtoliditate horribili libertatem ſuam, quam ſolo nomine abſurde affirmant, re ipſa negare, & ſe ipſos in brutas machinas transformare, quam eandem concedendo, admittere vim argumenti cogentem, ut agnoſcant ſui & omnium cauſam ex libertate potente, intelligente & liberaliſſima, rebus, ortum, ordinem, naturam & complementum dantem.

XIII. Quinta demonſtratio Carteſianas ſuperans ex facultate activa libertatis.

XIV. Iam ſequuntur argumenta deſumenda ex activa facultate rationis, quæ actibus ſuis ideam ſeu iconem Dei in ſe excitat. Et illa quidem in ſuo genere (hoc eſt in genere probationum a pictura ſive ab ectypo

XIV. Poſt has demonſtrationes ſequi demum eas quas Car-

typo ad archetypon & originale) ſunt quoque optima: quare ea dignitati ſuæ relinquo & laudo in Carteſio, etſi non præfero præcedentibus. Illorum autem (nam plura protulit) præſtantiſſimum exſtat in Meditatione quinta; quod etſi non exercitatis Sophiſma videri poſſit, eſt tamen validum & mirabile, eſtque una ex illis notis artificis operi ſuo impreſſis, quâ voluit artifex, ne rationis facultas (opus ſuum) eum conciperet niſi ut exiſtentem, ſive non poſſet formare ideam ejus, niſi ut exiſtentis.

teſius ex activa facultate rationis ejuſque actibus & ideis deſumſit.

Error Carteſii circa concurſum Dei.

Cæterum, in argumento tertiæ Meditationis, circa finem, aſſumit Carteſius aliquid nec ad concluſionem neceſſarium, & vero in ſe falſum. Illud eſt doctrina de conſervatione phyſica creationis inſtar influente ſingulis momentis ad creaturæ exiſtentiam, eo quod momenta, inquit, a ſe invicem non pendeant. Ubi equidem a Carteſio, multiſque etiam aliis, confunduntur ea quæ *naturæ* ſunt, cum eis quæ ſunt *gratiæ*. Quæ gratiæ ſunt, quia ſunt vel lumen amorque Dei, ſive Deus ipſe, vel immediati effluxus Dei, ab ipſo ſolo immediate promanantes; ea ſane non poſſunt abſolute dari creaturæ ſic ut ſint partes naturæ ejus, ab ea indivulſæ; & quia Deus ea tantùm largiri voluit homini non ut ejus naturam conſtituerent, ſed ut illius eſſent, homine conſentiente, perfectio, beatitudo, complementum; patet hinc, cur in ejuſmodi donorum gratuitorum poſitione, unum eorum momentum in creatura poſitum & exiſtens, ab alio

alio non pendeat; ſed debeant continuè à Deo promanare ſingula momenta, ſecundum, tertium, quartum, & ſequentia omnia in infinitum, perinde omnino atque primum momentum, nulla prorſus cum differentia; quemadmodum lux ex ſole in corpora opaca continuè ſic procedit effluxu & concurſu per omnia momenta æquali & continuo; ita ut ſi vel per momentum Sol ceſſaret influere, vel corpora opaca ſe illi obvertere deſinerent, ceſſaret & ilico in hiſce lumen: ita quoque ſi vel per momentum intermitteret Deus ſe ſuaque gratioſa homini offerre; vel homo ſe ab illis ſponte averteret, ceſſarent etiam in eo dona ejuſmodi gratuita: quæ proinde conſervatione & repoſitione continua opus habent uti perdurent. At de eis quæ meræ naturæ ſunt, aliter longe ſe res habet. Natura, creaturæ ſubſtantia ejuſque facultates et actus, quia abſolute a Deo donata ſunt creaturæ, ut eſſentiam ejus naturamque conſtituerent, cujus ſunt eſſentiales partes, vel potius ipſamet; ſequitur, hæc non ita tolli poſſe, vel non ita in nihilum aut in evaneſcentiam tendere, ut ſingulis momentis habeant opus repoſitione & quaſi creatione continua, uti Carteſius male affirmat: non quod ſtatuendum ſit, creaturam ſi ſolam ejuſve facultates & actus ſpectes, unum momentum eorum exiſtentiæ inferre ſequentia independenter a Deo; ſed quod pendeat a natura ſive perfectione Dei dantis aliquid abſolute pro natura rei, & tanquam partem eſſentia-

lem & naturalem creaturæ, ut illud ſemel datum & poſitum ſubſiſtat vi hujus unius Dei voluntatis & actus abſoluti, neque adeo tendat in non ens, nec egeat, qua tale, reproductione continua: quod ſatis per ſe evidens eſt in naturis rerum illarum unde omne donum gratiæ abeſt, veluti in mentibus dæmonum aut damnatorum hominum, quarum facultates, cogitata, actuſque miſeros & horrendos quis dicet continuè a Deo reproduci? At in rebus ubi cum meris naturalibus intermiſcentur & nonnulla quæ ex gratia vel ex gratioſis donis ſunt, eatenus continua Dei poſitione & influxu ſingulis momentis opus habent, quatenus de gratia Dei et quæ illam ſpectant donis, participant. Et quia in idea Dei, maxime quando animus inde afficitur, aliquid è divino lumine reſiliens intervenit, hic poteſt habere locum cauſa conſervans & influens ſingulis momentis, non autem, ut dictum, reſpectu naturæ durantis ipſius animæ, quæ ex vi primi Dei actus ſemper duratura eſt. Hic Carteſii ſcholarumque error ex ignoratione aut neglectu diſtinctionis modo dictæ o[illegible]s, quantorum deinde aliorum abſurdorum cauſa fuerit, hujus loci non eſt enumerare: rem ipſam de concurſu alibi (a) pluribus explicui.

(a) Oecon. de la provid. chap. 1. § 17. & 25.

XV. Sphalmata Meditationis quartæ Carteſii.

XV. Quid in quarta Meditatione Carteſiana deſideretur, (b) ſuperius abunde commemoravimus, & de ingenti monumus hiatu hic a Carteſio ſuiſque relicto, qui non impletus, præcipitii loco currentibus

(b) Supr. part. 1. §. 50.

ſit.

ſit. Alibi (a) etiam ejus errorem hic primo (ingratiam opinionis Janſeniſtarum ni fallor) prolatum, de indifferentia ad eſſentiam libertatis non ſpectante, confutavimus; nec non & id (b) quod de inutilitate cauſæ finalis in naturalibus propoſuit periculoſiſſimè, etſi forte periculi inſcius, nec prævidens Atheos atque Libertinos de ejuſmodi ſententiis admodum ſibi congratulaturos.

(a) Cogit. Ration. Edit. 2. in notis ad cap. 19. lib. III. (b) Ibid. pag. 422. &c. & infra lib. III. §. 28. &c.

XVI. In quinta, poſtquam initio fateri videtur ſe vacuum aliquem hiatum relinquere, eumque poſtea implendum, ſibi perſuadet rerum materialium eſſentiam ibi a ſe explicari, depromendo ex corrupta facultatis ratione, methodo quaſi cœcorum palpatoria, ideas aliquot Mathematicas & mechanicas de extenſione, motu, figuris & ſimilibus, quibus deinde conabitur aliis in locis totum phyſices Syſtema eodem modo ſuperſtruere ac cœci, qui palpationi ſuæ omnia inædificarent, rejicerent vero quæ per eam non perciperentur; qua de cauſa etiam rejecit Carteſius omnem vim motumque in corporibus præter localem, eumque impulſionis. Et revera non mirandum eſt intellectum noſtrum nunc adeo perverſum & depravatum, nil (pro ſtatu in quo eſt) præter iſtiuſmodi craſſamenta concipere, palpare & ſtatuere. Incidit (quod abſque injuria profiteor dici) comparatio intellectus noſtri poſt lapſum ægri & ſtupidi, cauſas tamen rerum concipere volentis, cum aſino animali, a quo ſi quæreretur, quomodo poſſet aliquis ad agilitatem & diligentiam

XVI. Sphalmata Meditationis quintæ.

tiam provocari, reſponderet id impulſivo motu & fuſtium impactione fieri: ſe enim id clare & diſtincte concipere, & præterea nihil: nempe illum lateret vis illa ignea & animoſa quæ intus reſidet, quæque ex principio intimo agiliores producit diſpoſitiones. Stupiditatem ergo naturæ corruptæ ſolam nimiſque conſiderat Carteſius, & præterea ad divinas proprietates non ſatis attendit, nec ad illas ut ad exemplaria rerum creatarum reſpicit, ob quos multoſque alios defectus, ubi ad rem ventum erit, deprehendetur immenſum a vera & primæva rerum natura aberraſſe, & ex principiis Matheſeos atque mechanices totam vitiaſſe phyſicam, quæ dignior eſt quam ut ex brutis iſtis principiis oriatur & conſtet: quæ alibi, (a) & in ſequentibus (b) oſtenſa fuſius, hic nos diutius non morabuntur. Occurrit tamen hic egregia de Deo exiſtente demonſtratio modo dicta ex eo quod in idea Dei ſive in conceptu ejus, exiſtentia neceſſaria repræſentative involvatur: Sed ſi conceptus noſter paſſivus bene diſpoſitus eſſet, quoniam tunc ipſemet Deus exſiſtens neceſſario illum impleret, & realiter in illo involveretur, quanto, quæſo, præſtantius Carteſiano id eſſet Dei exiſtentis argumentum? quod cuivis periculum facere volenti experiri licet.

(a) Cogit. Ration. in notis p. 44. & 97. Oecon. de la Creat. P. I.
(b) Infr. lib III. §. 26. &c.

XVII. Sphalmata Meditationis ſextæ Carteſii.

XVII. In ſexta denique Meditatione, ubi bene ſatis mentis inextenſionem, & imaginationis naturam, nec non uſum ſenſuum explicat, inutiliter admodum ex ſenſibus per

per ratiocinationem adjutis demonſtrare nititur, dari & corpora, & corpus cuique proprium, & qui vigilia a ſomno ſit diſtinguenda: ratiocinationis interventum hic eſſe inutilem & noxium, ſuperius (a) tetigimus, & infra (b) pluribus oſtendetur. Ridiculum eſt doctos ſibi imaginari omnem invictam certitudinem ratione ſua activa debere niti: cum vis Dei ſtatuentis ut paſſivæ facultates ſuis objectis appulſæ certitudine ſumma de exiſtentia objectorum ſecuræ eſſent, mille ratiocinationum plauſtris antecellat. Addit deinde ibidem Carteſius nonnullas difficultates circa incertitudinem, obſcuritatem & deceptionem ſenſuum tam externorum, quam internorum, quas ubi fuſius & operoſe admodum conatus eſt cum bonitate Dei conciliare, ut inde non ſequatur Deum, naturæ auctorem, eſſe fallacem, revera tamen non conciliat (ut alicubi (c) oſtendi) imo concludit, naturam (Dei opus) ut ex corpore & mente compoſitam, non poſſe non aliquando eſſe fallacem, & erroribus obnoxiam & infirmam: quod ſane Auctore Deo ſumme bono & verace indigniſſimum opus eſſet. Miror Carteſium ſe non ſenſiſſe hinc veluti impulſum atque coactum ad fatendum, neminem poſſe recte philoſophari, nec occurrentium difficultatum nodos ſolvere, niſi redeat ad agnitionem tum corruptionis noſtræ, naturæque per nos, tum juſtitiæ caſtigantis Dei, optime hujuſmodi difficilibus phænomenis ſatiſfacientis. Nec minus miror, quod, ubi in ſua

(a) Sup. Part. 1. §. 9. 10.
(b) Infr. lib. II. §. 12.
(c) Cogit. Rat. lib. III. cap. 20. §. 3.

tiam provocari, reſponderet id impulſivo motu & fuſtium impactione fieri: ſe enim id clare & diſtincte concipere, & præterea nihil: nempe illum lateret vis illa ignea & animoſa quæ intus reſidet, quæque ex principio intimo agiliores producit diſpoſitiones. Stupiditatem ergo naturæ corruptæ ſolam nimiſque conſiderat Carteſius, & præterea ad divinas proprietates non ſatis attendit, nec ad illas ut ad exemplaria rerum creatarum reſpicit, ob quos multoſque alios defectus, ubi ad rem ventum erit, deprehendetur immenſum a vera & primæva rerum natura aberraſſe, & ex principiis Matheſeos atque mechanices totam vitiaſſe phyſicam, quæ dignior eſt quam ut ex brutis iſtis principiis oriatur & conſtet: quæ alibi, (a) & in ſequentibus (b) oſtenſa fuſius, hic nos diutius non morabuntur. Occurrit tamen hic egregia de Deo exiſtente demonſtratio modo dicta ex eo quod in idea Dei ſive in conceptu ejus, exiſtentia neceſſaria repræſentative involvatur: Sed ſi conceptus noſter paſſivus bene diſpoſitus eſſet, quoniam tunc ipſemet Deus exſiſtens neceſſario illum impleret, & realiter in illo involveretur, quanto, quæſo, præſtantius Carteſiano id eſſet Dei exiſtentis argumentum? quod cuivis periculum facere volenti experiri licet.

(a) Cogit. Ration. in notis p. 44. & 97. Oecon. de la Creat. P. I.
(b) Infr. lib III. 5. 26. &c.

XVII. Sphalmata Meditationis ſextæ Carteſii.

XVII. In ſexta denique Meditatione, ubi bene ſatis mentis inextenſionem, & imaginationis naturam, nec non uſum ſenſuum explicat, inutiliter admodum ex ſenſibus

per

per ratiocinationem adjutis demonſtrare nititur, dari & corpora, & corpus cuique proprium, & quî vigilia a ſomno ſit diſtinguenda: ratiocinationis interventum hic eſſe inutilem & noxium, ſuperius (a) tetigimus, & infra (b) pluribus oſtendetur. Ridiculum eſt doctos ſibi imaginari omnem invictam certitudinem ratione ſua activa debere niti: cum vis Dei ſtatuentis ut paſſivæ facultates ſuis objectis appulſæ certitudine ſumma de exiſtentia objectorum ſecuræ eſſent, mille ratiocinationum plauſtris antecellat. Addit deinde ibidem Carteſius nonnullas difficultates circa incertitudinem, obſcuritatem & deceptionem ſenſuum tam externorum, quam internorum, quas ubi fuſius & operoſe admodum conatus eſt cum bonitate Dei conciliare, ut inde non ſequatur Deum, naturæ auctorem, eſſe fallacem, revera tamen non conciliat (ut alicubi (c) oſtendi) imo concludit, naturam (Dei opus) ut ex corpore & mente compoſitam, non poſſe non aliquando eſſe fallacem, & erroribus obnoxiam & infirmam: quod ſane Auctore Deo ſumme bono & verace indigniſſimum opus eſſet. Miror Carteſium ſe non ſenſiſſe hinc veluti impulſum atque coactum ad fatendum, neminem poſſe recte philoſophari, nec occurrentium difficultatum nodos ſolvere, niſi redeat ad agnitionem tum corruptionis noſtræ, naturæque per nos, tum juſtitiæ caſtigantis Dei, optime hujuſmodi difficilibus phænomenis ſatiſfacientis. Nec minus miror, quod, ubi in

(a) Sup. Part. I. §. 9. 10.

(b) Infr. lib. II. §. 12.

(c) Cogit. Rat. lib. III, cap. 20. §. 3.

ſua demonſtratione de corporum exiſtentia, meminit *facultatum quarundam paſſivarum ſentiendi vel ideas recipiendi*; nec non & *aliarum activarum facultatum ideas producendi vel efficiendi*, non ſubiit ejus mentem cogitatio de diſtinctionis ejus ſumma utilitate & neceſſitate, ſi prius eam ad facultates ſuperiores, quæ Deum reſpiciunt, & ad rationem noſtram, retuliſſet & applicuiſſet.

XVIII. Plura errata & pernicioſiora a non paucis Carteſianis commiſſa eſſe & committi quam a Carteſio ob neglectum verarum regularum.

XVIII. Ex his omnibus crediderim abunde conſtare, quantum vel maxima ingenia a veritate aberrent, quando nonnullis Methodi cujuſdam minus præcipuis regulis confiſi, a ſex illis neceſſariis & præcipuis, quæ a nobis commendatæ ſunt, aut a quibuſdam illarum recedunt. Fuiſſe enim Carteſium ſeculi ſui maximum ingenium: Meditationes autem ejus, omnium, quæ reliquit, operum, elaboratiſſimum, ipſique præ cæteris chariſſimum, nemo eſt, opinor, qui ignoret. Sed multo plura triſtiorum erratorum exempla ex diſcipulis ejus nonnullis deſumi poſſent, qui nec eum æquarunt ingenio, nec eadem, qua ipſe, fuerunt modeſtia, ut divino lumini revelationique rationem ejuſque claram diſtinctamque perceptionem poſtponendam eſſe agnoſcerent; & vero qui errores ejus aſſumptos eo extremitatis urſerunt, ex iiſque novos ac tantos eduxerunt, ut nil ſacrum jam ſit quod non ab aliquo fuerit violatum, & quod impoſterum tutum ſit ab impotentiſſimæ rationis corruptæ temeraria invaſione & nefanda violatione, ubi fræna ſibi ſemel laxaverit.

XIX.

XIX. Hinc alii, ut Spinoza cum ſuis, ex errore negatæ prius libertatis indifferentiæ, & ex ſolius rationis corruptæ, expulſo divino lumine, conſultatione, in merum tandem Atheiſmum devenerunt, malueruntque a ſtolido ſuo fato pendere, quam a cauſa intelligente, optima, liberrima, cujus libertatem ipſi conantur extinguere argutiolis vix relatione dignis, qualis eſt v. g. Ex nihilo nil fieri: & cum Deus dicatur ens neceſſarium, neceſſarium autem ſit non liberum ſive nil libertatis, ex eo nihilo libertatis, libertatem fieri non poſſe; proinde omnia eſſe fatalia. Sed ne falſum axioma tangam; negamus Deum (Ens cui nulla deeſt perfectio, adeoque nec libertas) ita eſſe neceſſarium, ut ſimul non ſit liber atque indifferens, non quidem reſpectu naturæ ſuæ negandæ aut deſtruendæ, (quod abſurdum eſſet) ſed regendæ, idque tum erga ſe, contemplando in ſe infinitis modis divinarum ſuarum perfectionum combinationes varias, & inter ſe veluti luſus & triumphos, in quibus ad lubitum agit & ex indifferentia illas diverſimode ordinat, ut fuſius & clarius alibi (a) explicui; tum ad illas repræſentandas excitando in conceptu arbitrario ideas rerum, quales voluit; tum denique producendo extra ſe ectypa earum, nempe creaturas, ad quod etiam erat indifferentiſſimus; unde poterat ipſas ſtatuere vel mere brutas, quarum omnia determinata & determinate prævifa fuiſſent; vel liberas, quibus donaret facultatem regendi ſe ſingulas ad placi-

XIX. Exempla horum 1. in Spinoſiſtis, contra quos demonſtratur obiter libertas. 2. in Malebranchiſtis. 3. in Paioniſtis. 4. in iis qui Scripturam S. ad ideas rationis interpretari volunt.

(a) Oecon. de la Creat ch. XII. & XIII.

tum ſuum, ſic ut ipſemet de earum actibus futuris nil vellet prævidere, quippe cui ſola ſui ipſius idea & cognitio perfectiſſima ad omniſcientiam ſuam ſufficit, & cui indifferens fuit res ideaſque nullas vel alias in ſe excitare vel non excitare, noſſe vel non noſſe, producere aut ſecus, producere non liberas aut liberas: quas ultimi generis poſtquam creare viſum eſt, illæ jam regiminis ſui, eis donati, compotes, juſti & injuſti, boni & mali fiunt capaces, prout ſuum regimen cum divino aſſimilant, aut ab eo deſciſcunt. Et ſane miror ullum virum honeſtum hanc libertatem, qua creatura indeterminata ab alia quacunque re a ſe ipſa ſolum determinetur, audere negare: namque ſi libertas non eſt indifferens relicta, ſed aliunde quam a ſe determinatur, deletur hoc ipſo omne jus divinum & humanum, omnis notitia, principiumque juſti & injuſti, laudis & culpæ, virtutis & criminis, pietatis, honeſtatis etiam, & bonorum morum: quicquid enim agas, parricida ſis, ſcorteris, mentiaris, rebellem & perfidum te geras, ſceleraque omnia & flagitia perpetres, non ipſe jam agis, ſed pateris a cauſa ſumma in mente impreſſionem, influxum & motum, quibus reſiſtere nulli creaturæ eſt poſſibile: quæ quidem horribilia prorſus ſunt, & diabolica atque blaſphematoria in Deum & naturam Libertiniſmi principia. Quibus, ad omnia brutalizanda (ut ſic loquar) acceſſit & hæc peſtis, prænobilis illius cauſæ finalis (adorandæ Sapientiæ Dei) in rerum naturæ conſtitu-

ſtitutione negatio ex Carteſii imprudentia, ab atheis ulnis utriſque excepta, qua adeo ſtolidi ſunt, ut cum Spinoſa nugentur, oculos v. g. non eſſe ideo factos ut homo videret & ſe regeret, neque dentes ut comederet, neque ulla alia ad aliquem finem; ſed cum homines invenirent, ſe veluti caſu aut fato habere oculos, dentes, cæteraque membra, hinc cogitaſſe eos ſe poſſe illis uti ad videndum, ad manducandum, ambulandum, generandum, & ſimilia plus quam incredibiliter omne ſtultitiæ genus exſuperantia, multoque magis quam ſi quis dicat ac contendat de libro aliquo egregio, eum non eſſe ex induſtria & ſcopo aliquo agentis ita factum; ſed fortuito caſu & ſine intentione typos fuiſſe conjectos in tabulam, atque inde librum talem emerſiſſe: etenim vel in ſolo corpore humano plus millies induſtriæ artiſque quam in totius mundi excellentiſſimis & ordinatiſſimis libris reperire eſt. Alii qui non eo impietatis labuntur, & vero videri volunt multum Deo tribuere, omnem (quod eo fere redit) creaturarum activitatem negant; tum geſticulationes proprii intellectus activi pro commercio & colloquiis cum Sapientia Dei ſumunt, & ipſas etiam rerum extenſarum apparentias pro viſione ſubſtantiæ Dei, ſimiliaque inauditæ hactenus abſurditatis. Alii e contra, Spiritus Dei internam operationem in ſalutari hominis negotio prorſum eunt inficias. Nonnulli Scripturas & omnia divina ex humanæ rationis activitate exponi debere ſtatuunt,

 aut

aut ſi quid inſuper ad earum exigant interpretationem, id tamen volunt a ratione ſua miſera totum examinari, dirigi atque diſponi.

XX. Exemplum noviſſimum pernicioſiſſimi *errati* ab intellectu activo ægro per pravas vias gradientis admiſſi, in libro *Mundus faſcinatus*

XX. Cujus quidem methodi quinam præterea fructus in poſterum ſint exſpectandi, patet e ſpecimine decantati ab aliquo tempore libri belgici de *faſcinato mundo*, dæmonum inter homines præſentiam atque operationes negantis, cujus fundamentum unicum eſt Ratio humana; quam dicit a Scriptura ſupponi, & per eam Scripturas tum inter ſe conferri, tum adhibitis linguarum & critices adminiculis inde eſſe interpretandas, methodo ſane quam longiſſime diverſa ab ea, quam inculcat ipſa Scriptura; in qua quippe ſupponitur quidem ratio humana, at ut corruptiſſima, ut cœciſſima, ut ad res divinas ineptiſſima, quæque idcirco abneganda ſit & crucifigenda, cum literali ſua ſapientia, quo ſolus invocetur in auxilium Spiritus Dei, qui oculos aperiens detegat ſenſum Dei, omni ſagacitati humanæ rationis occultum & inacceſſum. Quibus tamen omiſſis, miſera & ægra ratio, libri dicti conſarcinatrix, audaci & temeraria ſui phalerarumque ſuarum confidentia plena, tam ſtupendas & pudendas illic propalavit artis ſuæ abſurdæ operationes, ut ſi illuſtre aliquod exemplum intellectus hiſtrionici cum naturalibus, divinis, humaniſque incredibili laſcivia ludentis, & hiſtrionicæ ſuæ calliditatis atque activitatis ultimos conatus re & ſtylo exhibentis proferendum eſſet

eſſet, nullum poſſet produci inſignius. Et hoc quidem cæteris hominum intellectibus hiſtrionicis & activis non poterit quoque non ſummopere arridere, ob convenientiam inter ſe mutuam inſanæ diſpoſitionis, quemadmodum videmus comœdias quo magis temeraria, abſurda & ridicula continent, eo magis verſatili cerebrorum indoli ſapere: quod profecto contagium eorum etiam mentibus, qui ſolidiori veritate & methodo imbuti & exercitati non ſunt, poſſit non parvum detrimentum inferre, niſi ſi qui ſe in regulis veræ Methodi inveniendæ veritatis ſolidæ aliquandiu exercuerint, & in efflagitando divinæ gratiæ lumine haud ſegniter ſe geſſerint: hiſce namque ne minimum quidem faceſſent negotium noxia iſtiuſmodi imaginata. Quæ quidem huic uni origini atque baſi ſuum eſſe ſuumque robur acceptum ferre debent, quod intellectus hiſtrio activitate ſua ægra & cœca capere non poſſit *Spiritus agere in corpora*; proinde nec hoc affirmandum, & vero Scripturæ omnia loca eo a corruptæ rationis callida induſtria & ludificatione eſſe trahenda & interpretanda, ne hoc affirmare videantur; hominum autem, etiam ſanctiſſimorum & eruditiſſimorum quorumvis temporum, locorum, conditionum, ſenſus, experimenta & teſtimonia, ſine pudore ſic flocci facienda, ut præ noviſſimo uno nudius tertius nato intellectulo, cum Spinoza & Hobbeſio ternionem hac in ſententia conſtituente omnes pro faſcinatis vel a libri titulo proclamari debeant.

XXI. Principia quibus Mens bene diſpoſita memorati libri fundamenta & errores evertat.

XXI. Equidem ſi quis juxta regulas Methodi inveniendi verum ſupra allatas recuſet ſe regere, ſibique pertinaciter fraudem facere velit, huic pro morbi ſui indole, nil poſſe conſuli, aut conſulendum optari, ſatis clarum dedimus. At quotquot leges dictas non ſunt neglecturi, horum mentes ope divina, intellectum paſſivum illuſtrante, ſcripturarum ſenſa detegente, Sanctorumque confirmante teſtimonia, adjutæ, facillime veritatum ſolidiorum principia percipient, per quæ nullis errorum nebulis ullus ſuperſit locus. Agnoſcent præprimis, nedum Spiritus in corpora agere nequeant, ipſa corpora nec eſſe, nec agere in ſe poſſe niſi per Spiritus, Spiritus namque eſt (quippe Deus) qui primùm dedit corporibus & eſſe, & motum, atque hunc quidem ita, ut concipi non poſſit, quî corpus moveat corpus, ſive quî motus ex uno corpore in aliud tranſeat, niſi concipiatur vis omnino ſpiritualis, certâ quadam conatus menſurâ ſeſe veluti in materiam diffundens, inque ejus partes, modo in has, modo in illas ſucceſſive agens. Et quamvis ex occaſione ſitûs corporum diverſimode ea determinetur, ipſa tamen quà agens in corpora & in ſe ſpiritualis eſt, & a ſpirituali prorſus origine oriunda.

Concipient & facile quivis bene diſpoſiti, mentes ſive Spiritus eſſe Dei progeniem, ejuſdemque (quicquid obmurmuret cœca ratio) cum Deo naturæ, imaginem Dei vivam proinde geſtare, non modo quod eorum intellectus & voluntas lumine, amore & beati-

beatitate Dei fuerint ornati; ſed quod eorum deſiderium, ad inſtar deſiderii Dei, prototypi & originis ſuæ, efficax, hoc eſt, agens & potens fuerit, virtute a Deo (imaginem ſui habere volente) ſemel impreſſa, nec unquam peritura: ita ut quemadmodum Deus per deſiderium ſuum ſcit, facit & movet quæ vult; ſic Spiritus creati per deſideria ſua ſciant, agant & moveant quæcunque volunt, puta ſciant cogitata ſua aliis manifeſtare, aliorum reſcire, corporalia noſſe, movere & determinare; hac tamen lege, ut ſi velint cognitionem ſuam eſſe vividam, facilem, certam, beantem, actus item motuſque ſuos ordinatos, decoros, bonos, ſalutares, non debeant ſe a Deo ſeparare; ſecus ſi fecerint, ſcientia ſua quam hactenus de præteritis habuerint, ſterilis & mortua evaſura ſit, de futuris incerta & erronea; actus item & motús ſui inordinati, angentes, deſtructivi: hoc eſt, nil poterunt illi niſi in tenebris, morte, erroribus, realitatum & perfectionum deſtructione & privatione; quæ ſane miſeranda eſt ſciendi & agendi potentia, a potentia Dei longe diverſiſſima.

Animadvertent & hoc atque ſequentia: Deo ut repræſentaret in ſpiritibus vim qua pollet movendi corpora, perinde fuiſſe, utrum eis daret corpus aliquod ſpeciale & proprium, quo mediante in corpora alia agerent, an vero ſtatueret eos ſolis ſuis deſideriis in materiam acturos eamque directuros; nec enim ipſi alterum eſt altero difficilius;

cilius; & utrovis modo fiat, ſpiritus ſemper in corpora acturi ſunt. Atque id priori modo factum eſſe cum ſpiritu humano, cui corpus certum ſit adjunctum, patet experientia: adeoque idem eodem vel altero modo cum Angelicis ſpiritibus fieri, nil ex parte rei prohibet, ſi quidem mentes humanæ atque angelicæ ejuſdem ſint eſſentiæ atque naturæ, proindeque earundem affectionum & operationum capaces. Nec dicas, mentes humanas ad corpora eſſe factas, non item Angelicas. Abſurdum! Menteſne humanæ pro ſcopo creationis & conſtitutionis ſuæ habent corporibus ut uniantur & in ea agant? Nugæ! Uniri & deliciari cum Deo finis eſt, ad quem Mentes noſtræ ſunt factæ: cum corporibus uniri & commercium habere, id ipſis demum acceſſorium eſt: proinde, dicere mentes factas eſſe ad corpora, perinde eſt ac dicere, mentibus pro dono acceſſorio eſſe datum ut cum corporibus commercium haberent: quod cum in eſſentia Spiritus, qua talis, nihil immutet, id non magis Angelico quam humano repugnat ſpiritui. Hoc autem factum eſſe mille teſtimoniis experientiiſque divinis literæ ſacræ tradunt.

Neque obſcurum erit candidis rerum ſcrutatoribus, divinis præſertim oraculis via debita conſideratis, ſi nonnulli ſpiritus a Deo defecerint, corpoream materiam, cui regendæ præfuerint, non poſſe non evadere inordinatam, tenebroſam, corruptam; ita ut in poſterum Spiritus iſti depravati poten-

tiam

tiam ſuam exercere non poſſint niſi in elemento corruptionis, tenebrarum & inordinationis; cum ſi Deus ejuſmodi chaos tenebroſum & confuſum in ordinem & ſtatum primævum velit reponere, idque renovatum aliis mentibus, puta, mentibus humanis, certo cuidam corpori unitis, regendum tradere; priores ſpiritus lapſos, & tenebris ſuis alligatos, in mundum hunc noviſſime e confuſione & tenebris liberatum, potentiam ſuam exercere non poſſe, neque etiam hominis deſideria (quamdiu Deo adhærebunt) ſuis inordinatis deſideriis afficere. At ſi homo a Deo deficiat, & proinde propriam mentem, propria deſideria, mundumque ſibi traditum, tenebris, corruptione & inordinatione afficiat; tunc ſpiritus lapſos elementum ſibi congruum reperientes, potentiſſime in eo operaturos omnis generis confuſiones & inordinationes, eo pejores quo magis ſpeciem aliquam umbratilem bonitatis præ ſe ferent.

Atque in eo conſiſtit malorum ſpirituum potentia, ejuſque extenſionis & limitum ratio in hocce mundi ſyſtemate. Hominis mens pura ſi Deo adhæreat, &, quod inde ſequitur, ſi corporea quibus præeſt debite & ad Dei placitum regat, nullas poteſt in ejusmodi mente inordinatas cogitationes excitare tentator ſpiritus ullus, quocunque etiam deſiderii conamine id contendat, nullos item in materia homini ſubjecta motus utut minimos: ita ut hoc reſpectu ſit prorſus impotens. At ſi anima deficiat a Deo, male-

maleque ſe regat cum corporibus quibus præeſt, tunc acceſſum ad eam habent ſpiritus maligni, ſic ut cogitationes ſuas tenebroſas & malignas in ea deſideriorum ſuorum telis imprimere poſſint; in corpore vero ejus, in imaginatione & affectibus, in ſanguine, in ſpiritibus & vitalibus & animalibus, in materia etiam univerſi, ei ſubjecta, quouſque hæc extra ordinem Dei ſunt delapſa, omnis generis inordinationes & confuſiones, idque eo magis, quo magis homo ſuggeſtionibus & motibus pravis conſentit; ita ut ſi prorſus conſenſum voluntatis ſuæ cum mente rebellium ſpirituum conformet, libertatemque ſuam cum jure quod in creaturas reliquum habet homo, tradat eis, hi veluti omnipotentes in natura commovenda & turbanda fiant, niſi Deus hominem atque naturam ſervare volens, opponat eis benedictionum ſuarum, in quas nil poſſunt, effluxus continuos, tum & bonos Angelos, qui eorum potentiæ deſtruendi perpetuæ, ſuam conſervandi & protegendi homines atque omnes creaturas opponant.

Nec minus clarum erit quærentibus debite veritatem, non poſſe aliter fieri, quin quamvis Deus ſpirituum malignorum potentiam, & operationes in hominibus & natura multis vicibus atque periodis per benedictionum ſuarum effuſionem reprimat, ſi tamen homo libere velit a Deo deficere continuo, creaturisque ei ſubjectis abuti, maligni ſpiritus iterum acceſſum ad eum & ſua, potentiamque in ea rurſus acquirant: ita ut ſi accidat

accidat omnes homines in univerſum a rerum æternarum amore & ſtudio tandem ſic defeciſſe, ut res caducas in eorum locum inordinate ſurrogatas totis affectibus proſequantur, tunc Diabolus cum infernali ſua aula totius mundi princeps & Deus tyrannicus futurus ſit, totius inferni mirabilia in mundo cum omni iniquitate & abominatione patefacturus, donec verus Deus idemque verus mundi Servator JESUS CHRISTUS, omnes impios e terra ſic deleat, ut ſoli qui ad eum toti convertentur, ſuperſint ultimo: unde ſubjecto diabolicæ potentiæ ſublato, voluntate ſcilicet hominis a Deo averſa, maligni ſpiritus nec locum hic nec acceſſum amplius reperientes, ſeſe hinc præcipites proripiant in baratrum ſuum, ubi totius univerſi corruptio cum impiis hominibus a Deo ſegregabitur, illic potentiam regnumque ſuum tenebroſum, anxium, infelix, omnis generis actibus, motibus, geſticulationibus æternum exercituri.

XXII. Pravitas methodi qua is liber Scripturas Sacras ei adverſantes, explicat & pervertit.

XXII. Patebunt hæc atque ſimilia evidentiſſime quibusvis ſacras Scripturas viis a Deo præſcriptis adeuntibus, quibus & detegetur facile & abominationi erit ſummopere hæc intellectus hiſtrionici Scripturas hoc de ſubjecto enervandi methodus, in dicto libro paſſim obvia. Scilicet quando clarius Sole non modo loca occurrunt in Codice ſacro veritatum ſuis præjudiciis errori buſque adverſantium declarativa, ſed & palpabilia facti experimenta narrantur, ſolet ægra & cœca ratio, in illis quidem pal-

pare.

pare vocum cortices, ſi forte æquivocationis aut cavillationis admittendæ capaces in ſe vel comparatione quadam abſurda cum aliis locis fuerint, aut ſi nomina appellativæ & generalioris ſignificationis, non autem propriæ & individuæ eſſe poſſint, unde ſtatim nullo ad totum locum, ad totam ſcripturam, ad loquentium diſpoſitiones, ad ſinceritatem mentis de claro ſenſu aliter convictæ, habito reſpectu, pro ſubjecto proprie deſignato aliud ſubſtituat & arripiat; in his vero quæ narrationes factorum ſunt, ſollicite animadvertit, utrum inter narrandum non interſeratur aliquid utut acceſſorium, quod rigide ad literam non ſit interpretandum, ſed vel improprie, aut etiam modo de quo nondum clare conſtet; unde totam rei narratæ ſubſtantiam & exiſtentiam propriam audacter inficietur; quemadmodum ſi ex eo quod in Symbolo Apoſtolico verba de deſcenſu Chriſti ad inferos dicuntur non eſſe proprie intelligenda, totius ſymboli ſenſus proprius negaretur: aut ſi ex eo quod in Euangelio quædam parabolica occurrunt, omnes Evangelii narrationes parabolicas eſſe contenderes, nullas de eventibus realibus atque propriis. Qua quidem in iſtis aliiſque locis Scripturas audaci interpretandi methodo, nil in eis fuerit quod evirare facile non poſſis, nulla hæreſis adeo perniciosa, quam ex iiſdem elicere non detur.

XXIII. XXIII. Jam quid ſanioribus mentibus apparebit magis infirmum ac inſipidum objectiun-

jectiunculis quæ proponuntur contra veritates hactenus agnitas? Spiritus videlicet malignos ſi ea poſſent quæ ipſis omnium conſenſu tribuuntur, potentiam Deo æqualem habituros, eos proinde Deum fore, aut Diabolum pro Deo habendum & adorandum eſſe, ſimiliaque blaſphema ejuſmodi murmura, quæ non niſi è miſera admodum ignorantiâ opponuntur. Potentia Dei eſt, producere realitatem, perfectiones, virtutes, in rebus, quæ vel nondum erant, & quas facit eſſe; vel quæ jam erant in bono ſtatu quem eis adauget; vel quæ in malo erant, unde eas potenter eripit, & in bonum collocat. Potentia Diaboli eſt, producere & augere malum, defectus, inordinationes, vitia, confuſiones, geſticulationes, deſtructiones in ſubjectis vel jam prius corruptis, vel ſponte ſeque ſuaque inordinationi & defectioni a Deo tradentibus; non autem in aliis, neque alia. An ergo hanc ultimam potentiam Diabolo tribuere, idem eſt ac ei potentiam priorem atque divinam tribuere? Quis non videt diabolica cum divinis ab illo Scriptore pueriliter confundi? quemadmodum etiam quando profitetur per potentiam & operationes quæ Diaboli eſſe agnoſcuntur, vera Dei, Chriſti, Sanctorumque miracula, quibus Scripturæ & Religionis Chriſtianæ probatio innituntur, ſubverti. Abſurda conſequentia! Miracula divina ſunt extraordinaria quædam elevatio rerum ad ſtatum realiorem, perfectiorem, ordinatiorem, vel etiam juſtiorem, procedens a motivis Spiritûs

Objectiunculæ libri circa potentiam & miracula Diaboli, qui ſunt ſubvertendæ.

ritûs Sancti, & indivulſa a motibus quibus animæ ad Dei reverentiam, amorem, ſanctitatem, virtutes, felicitatem trahantur: Diabolica ſunt extraordinaria quædam confuſio, quâ res menteſque ad ſtatum corruptiorem miſeriorem, vitioſiorem, a Deo, a perfectione, a felicitate remotiorem deprimuntur; vel ſi geſticulatione quadam res videantur ſuperficialiter perfici, ſub ea apparentia latet veriſſimum deſtructionis terminique miſerabilis principium. Quis non palpat hæcce toto cœlo diſtincta eſſe? Altero probari Divinæ potentiæ, veritatis, voluntatis præſentiam; altero non item, ſed Dei potius averſionem, omnemque fallaciæ, ſeductionis & malitiæ præſentiam: unde hiſce, quando accident, (quod Scriptura futurum prædicit) fidem abrogare jubemur. Deut. XIII: 1, 2, 3. Matth. XXIV: 23. II. Theſſ. II: 9, 10. Apoc. XIII: 13.

Non igitur per potentiam, operationes & miracula, quæ Satanæ malignisque Spiritibus a Scriptura & ab omnibus tribuuntur, aliquid quod Deo competat, iis aſſignatur: ut viciſſim neque Dei potentiæ, operationibus, miraculis tribui poſſunt ea quæ ſunt de diabolico genere. Et quamvis Scriptura deſtructivam potentiam de Deo affirmet, quodque ab eo ſint mors, tenebræ, mala & calamitates; nemo non videt hæc poſitive & proprie non eſſe interpretanda, quaſi mala & privationes a fonte boni & realitatis procederent: ſed negative tantum, quatenus Deus hominibus rebellibus creaturiſque ſubjectis

jectis ſubtrahit vel non continuat benedictarum ſuarum emanationum fontem & rivulos; unde neceſſe eſt creaturas a Deo averſas, eoque ipſo omni bono privatas, inordinatione & omnis generis miſeriis affici, propterea quod vis Divina, facultateſque ejus in creatione conceſſæ, objectis eas ſatiantibus deſtitutæ, in ſe ipſas ſine omni bono ſineque lumine tunc agere debeant.

XXIV. Quandoquidem circa hanc materiam eouſque ſum digreſſus, libet ulterius addere (quia & rogatus id facio) nonnulla quibus pateat ſinceris mentibus, quam nullius pretii ſint prædicti libri, errorilque illic propinati, fulcra, prætextus objecti, colores, contradictiones. Præter ea quæ jam indigitavimus, audias illic paſſim velut fundamentum inconcuſſum, Diabolum eſſe Dei *captivum*, eſſe *damnatum*, *regnum ad illum non pertinere*, nec proinde eum *tali potentia* in creaturas pollere uti dicitur, Christo præſertim *omnem potentiam in cælo & in terra* poſſidente. At ſi Scripturas ſine inſolentibus intellectus hiſtrionici gloſſis audiamus, diſcemus ibidem, eum eſſe (a) *Principem ſeculi hujus* (agnoſcente hunc ſenſum divino Ignatio; (b) *& latuit principem ſeculi hujus Virginitas Mariæ*,) eſſe *poteſtatem tenebrarum*; eſſe *Deum hujus ſeculi*; eſſe *principem potentiæ aeris*, *ſpiritum efficaciter operantem in filiis rebellibus*; eſſe cum ſuis *Dominos mundi tenebroſi hujus temporis* ſive ſeculi, *totamque terram*, *& omnes habitatores ejus*, *adoraturos draconem*, qui *ad certum tempus uſque*

XXIV. Continuantur nonnulla ad everſionem prætextuum objectorum in dicto libro.

(a) Luc. 2: 53. Joh. 12: 31. Eph. 2: 2. & cap. 6: 12. Apoc. 13: 4, 8. & cap. 20: 3.

(b) Ignat. ad Epheſ.

quæ omnes nationes ſit ſeducturus. Idque non obſtante quod Chriſtus ſit rex omnipotens, cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra. Non enim Chriſtus vult cogere homines ad ſibi ſerviendum: ſed ita gaudet populo ſpontaneo, ut quotquot inimici ſui poteſtati ſeſe ſponte per peccatum ſubjicere volunt, hos ſinat ei ſervire, & hunc dominari eis, etiam omnibus, ſi id omnes vellent: at omnipotens eſt ut eripiat ex ejus tyrannide quicunque ſponte volent liberari; & qui nolent, eos diu toleratos, tandem ex cœlo & terra ſuo tempore exterminaturus eſt, omnipotentia ſua ſolus tunc regnaturus. Nec minus Diabolus utut regnans, Dei *captivus* eſt, hoc eſt, in tenebrarum & corruptionis elemento ſic conſtringitur, ut nullum amplius habeat acceſſum ad Deum, neque ad eos qui Deo adhærent, niſi id ſpeciali permiſſu Dei fiat, quando ſcilicet Deus ſcit hoc certo piis profuturum, adverſario autem ignominiæ ceſſurum. Is alioqui, in maledicto ſuo corruptionis & inordinationis elemento omnino includitur, in cujus ſphæra tamen (quod captivus incatenatus poteſt,) & ſe & ſuas agitat catenas, nec non & quicquid id eſt quod in ſuæ captivitatis ſphæram vult irruere, hoc eſt, quotquot a Deo deficere volunt, & in ſtatum inordinationis ſeque ſuaque conjicere. Ex hac captivitate nunquam liberabitur Satanas, neque ad libertatem glorioſam fruendi Deo omnibuſque benedictis in eo creaturis eſt rediturus in æternum, quod hominibus ejus captivis

tivis adhuc dum licet per vim Spiritus Chriſti, qui (a) *captivis liberationem annunciavit.* Neque minus idem adverſarius, quicquid agat & tumultuetur in confuſionis & tenebrarum ſuarum regno, non minus inquam *damnatus* eſt ſemper: gerit enim in ſeſe inferni & damnationis eſſentialia, Dei, lucis, boni privationem omnimodam & æternam, tenebraſque & inquietudines atque malignitatem nunquam diſpellendas: quod tamen acceſſoria damnatione olim cumulabitur, quando regni ejus elapſo tempore ipſe cum omnibus ei morigeris in ſtagnum ignis projiciendus eſt, hoc eſt, in materiam corruptam a toto mundo glorificando ſeperandam relegandus.

(a) Luc. 4:18.

Quod potentiam Diaboli, ejuſque operationes ideo inficietur Auctor, quod Diabolum dicat ignarum eſſe, nec Theologum, nec Phyſicum, nec linguarum callentem, id admodum ignarum ſapit. Diabolus ante lapſum fruebatur luminoſe Deo, Deique mirabilibus, natura item glorioſa, ex cujus parte ei tradita poſtmodum chaos ſua defectione effecit: harum rerum divinarum naturaliumque ideas, etſi pictas ſolummodo, non autem vividas & efficaces, retinuit, haud ſecus ac vir doctus, qui a Deo deficit, ideas tamen ſpeculativas rerum divinarum aliarumque, quas prius habuit, retinet. Et quando ex mundo chaotico Deus iterum excitavit creaturas ad ſpeciem ſive ſimilitudinem priorum (quod evidenter ſacer textus indigitat,) ſpiritus maligni per priorum

h ideas

ideas poſteriores utcunque noſſe poterant, maxime poſtquam ipſis per corruptionem naturæ & ſpontaneam a Deo defectionem aditum ad omnia ſibi ſubjecta aperuit homo peccans, atque inſuper ex permultis, quorum in mentibus & cerebris ſpecialiſſime inhabitant & dominantur, infinita divina, naturalia, humana, cogitata, facta, dicta, res, actiones, locutiones, perſpicere, & longiſſima experientia cognitiones augere, nec non ex ingenii ſubtilitate plura inde deducere potuerunt. Et quid facilius eis, quam impiorum cogitata, noſſe ab effectibus vel ſignis permultis, v. g. ſi percipiant conatibus ſuis in mentes, in imaginationem, in corpora, non reſiſti; piorum vero, quando ſibi ſuiſque impreſſionibus non dari locum ſentiunt, ſed multifariam eas repelli; unde facile judicant de ſtatu & cogitationibus mentis varie eis reſiſtentis? Quid poſſibilius iiſdem quam ſtatum, modos, actioneſque rerum corporearum percipere ex eo, quod elementum corruptionis ſuæ, cui præſunt, & quod omnibus modis per omnia inſinuare vellent, terminari diverſimode & repelli experiantur a ſubjectis, quorum proinde diſpoſitiones ſibi oppoſitas eo ipſo animadvertunt? His, aliiſque de cauſis, non dubitandum eſt quin Diaboli ſcientia vel cognitio de præteritis, deque præſentibus, de futuris autem conjiciendi probabilitas, nec non in linguis ſcientiiſque humanis peritia, ſint tantæ, ut comparate ad eum multi qui ſe ſubtiles admodum Do-

ctores

ctores putant, craſſi adhuc tyrones, imo meri aſini fuerint. Atque ſi hic objiciant, per iſtam ſcientiæ Diabolicæ de rebus cogitatiſque humanis aſſertionem, labefactari privilegium ſolius interiora hominum ſcrutantis Scientiæ divinæ, (quæ tamen eſt a priori, univerſalis, infallibilis, & perfectiſſima,) ii profecto nulla reſponſione, ſed ſola admiratione indigent.

Prætextus cæteri ex parte Dei, Diaboli, hominum deſumti, ob quos veritates receptas rejiciat auctor, ſuos autem errores commendet, non minus ſunt abſurdi. Supponit falſo, ſi vera eſſent quæ de dæmonibus homines tentantibus dicuntur, Deum tunc Diabolo vim ſuam communicaturum, ad ejus fallacias concurſurum, aditum ad homines ei patefacturum, & mala quævis permiſſurum; quæ incommoda divinam ejus potentiam, ſanctitatem, veritatem, bonitatem labefactarent. Reſponſiones: Materiam concurſus non intelligit auctor. Deus poſtquam ſemel vim & facultates creaturis impreſſit, eum actum, multoque minus facultatum actus, non reproducit nec reduplicat: creaturarum eſt vim & facultates ſemel datas & acceptas, nec unquam annihilandas, regere & exercere: quas ſi ad Deum dirigant, illæ lumine ac bonitate Dei inveſtiuntur & compenſantur: ſi a Deo deflectant, quod ex libertate poſſunt, ipſarum culpa eſt, neque hoc determinavit Deus, nec poſitive permiſit: ſivit tantum libertatem eſſe, & actus ſuos ad lubitum regere,

quos concurſus Dei bonus & luminoſus omnino & juſte deſerit, & ſibi ipſis relinquit. Falſum eſt Deum (excepto caſu ubi ſcit id piæ menti profuturum certiſſime) Diabolo ad homines acceſſum concedere. Econtra, clauſit eum potenter & benigne, non ſemel, ſed infinities; maneretque ſemper aditus occluſus, niſi eum homo ſponte ſua recluderet, ſeque in Diaboli elementum, captivitatem, catenas & regnum per peccata ſua ſæpiſſime conjiceret, ubi Deus, ipſum inde infinities revocatum, per juſtitiam tandem relinquere cogitur, quando pervicaciter ſeſe eo conjicere perpetuo volens perſeverat.

At timendus eſt ſolus Deus, non Diabolus: proinde nil eum poſſe agnoſcendum eſt. Puerilis æquivocatio. Timendus eſt Deus, hoc eſt, ex amore timendum eſt ne ei diſpliceamus, neve tantum amittamus bonum. Timendus eſt Diabolus, hoc eſt, averſione & fuga proſequendus, quemadmodum & peccatum & quævis mala atque periculoſa timenda, cavenda & averſanda ſunt. Quis hos timores ἀσυστάτους eſſe dicat? Quis niſi hominum ſaluti iratus, ultimum hunc tollere audeat? Præſumtionem, inquies, aut deſperationem gignit iſta perſuaſio de malignorum ſpirituum homines tentantium potentia. Superbit quiſquis tam potenti hoſti ſe reſiſtere poſſe putat. Deſperat ſi tam potentem hoſtem continuo adſtare, inſidiari, fidem preceſque etiam, quibus ad Deum recurratur, impedire ſibi perſuadeat. At hæc ridi-

ridicula. Iſne ſuperbiret, qui ſcit non propria, ſed a Deo ſubminiſtrata vi hoſtem ſuperari & vinci, vel potius *Deum* ipſum eſſe *qui Satanam ſub pedibus noſtris conculcet?* Rom. 16: 20.
Iſne deſperationis anſam habet cui inculcabitur, falſum eſſe, preces & recurſum fidentem ad Deum ab hoſte impediri poſſe, modo mens ſincere & ſerio id velit: quo pacto omnipotens auxilium nacta, de hoſte procul dubio triumphatura ſit. At, objectabis, quilibet peccata ſua in Diabolum incitantem rejiciens, hoc modo ſui excuſationem quæret, cujus cauſam proinde tollere expedit. Fateor homines eſſe proniores ad culpam ſuam in alios rejiciendam ut excuſationem prætendant: at ea excuſatio ipſis excutienda eſt non negatione diabolicæ tentationis, quemadmodum nec Deus cum primis parentibus ſeſe excuſantibus ſic egit: ſed conſcientia convincendi ſunt eos eſſe culpabiles qui tentationi malæ ſponte conſentiunt & morem gerunt, qui eam ſæpius alliciunt atque provocant; & non raro ulterius in malo, atque impulſi ſunt, propria malitia proficiunt. Quicquid ſit, quis pro legitimis excuſationibus admittat, ſi quis dicat, & cum veritate dicat; furatus ſum equidem, at a proximo meo incitatus: occidi hominem, incendium excitavi, falſum juravi teſtimonium, ſed requiſitus ab alio? Si hæcce incitamenta neminem excuſent, quia iis reſiſtere oportuit, non conſentire, nec ſe inſtrumentum ſpontaneum eorum exſequendorum præbere; quis cauſabitur ex-

cuſationum materiam validam peccatoribus ſubminiſtrari ex conſideratione tentationum diabolicarum, quæ ſolæ (etiamſi ſuggeſtiones & cogitationes perpetuæ horrendiſſimorum peccatorum eſſent,) non modo menti non nocent, modo ei diſpliceant nec eis geſtiat conſentire; ſed & ejus fidelitatis, a Domino magnis poſtea præmiis compenſandæ, probationes & documenta ſunt Deo gratiſſima.

Satius eſt (inquies) hominem in ſe deſcendere, & propriam ſuam corruptionem tanquam omnis generis mali fontem conſiderare. Ita ſane: nam & propria corruptio hominis, cauſa eſt & fons introductionis Diaboli; ſed is ſemel intromiſſus, cauſa ſocia & adjuvans ſit peccati: quæ ratio eſt cur interdum hominum, piorum præſertim, nonnulla peccata non ita ſint atrocia ac ſi ex mera ſua voluntate eſſent, quod Dei miſerationem non parum commovet, dum peccatoris deſperationem conſolatione nonnulla impedit, ac præterea efficit, ut is in poſterum ſibi magis invigilet, ne (ut cum Scriptura loquar) locum det Diabolo, vel incidat in inſidias ejus qui tanquam leo circumit quærens quem devoret.' Hæc materia de periculis tentationum diabolicarum, quia eſt momentoſiſſima, & quoniam inde patere poteſt quam exitialiter pernicioſa ſit doctrina quæ Diabolum ſubtegit & diſſimulat, nonnihil hic conſideranda eſt.

XXV.

XXV. Quando effectus aliquis pendet ab una cauſa totaliter & proxime, tunc cauſa ea de effectu ſuo ſecura eſt, eum impedit, producit, revocat, terminat, ubi, quando & quantum vult; & quamvis effectus ſit malus, ſecura mens de ejus ab illa dependentia, parum aut nihil ſibi cavendum eſſe facile perſuadet: at quando effectus (quem malum ſupponimus) pendet & a cauſa ſocia & adjuvante, atque a mediis quæ ſemel adhibita, vel reluctantibus nobis effectum ſortiuntur, tunc ſanè ſummæ cautelæ locus eſt, ne quis ſociæ cauſæ ſe adjungat, mediaque ad effectum in actum deducens, effectum perniciosum amplius impedire non poſſit. Exempli gratia, qui vel aquas vel abyſſum conſiderat tanquam quibus appropinquare & a quibus ſe pro lubitu removere poſſit, nullà cauſâ (opinione quidem ſua) eum præterea propellente, is propiùs, & ad placitos fines uſque, poteſt ſecurior accedere: at ſi moneatur latere circumcirca inſidiatores, qui approximantes in baratrum propellant, aut venti turbinem oriturum, qui idem efficiat; ille idem, procul dubio, ſi ſapit, ne approximabit quidem: cum e contra, ſi id ipſi aut diſſimuletur, aut negetur, interitus ejus pernicioſe procurabitur. Ita ſi quis ſolus cum igne ſic agat, ut a circumſtantium rerum concurſu nihil ei ſit timendum, facile etiam ſcintillas hinc inde diſperget aut cadere permittet, & manum ſuam vel per flammam celerius trajicere poterit ſine timore: at ſi circumcingatur acer-

XXV. Quanta ſint pericula tentationum Diabolicarum, nec non doctrinæ eas cum Diabolo ſubtegentis.

vis pulveris pyrii, ſique ejuſmodi pulveris fomes aut particulæ, totos præſentes acervos incendere aptæ, ejus manui indivulſè adhærerent, quanta cum cura non cavebit ne forte ſua culpa vel ſcintillula aliqua elabatur, vel manus flammæ accedat, quâ admiſſâ, ipſi poſtea vel invito ſit pereundum? Quantus autem non eſſet homicida is, qui hoc periculum ei ſubticeret aut negaret? Eodem modo tutus incedit, qui vel pedibus graditur propriis, vel equo ſe vehendum committit cujus motus ſcit ſe moderari poſſe: at ſi equus ipſo inſcio ſit furioſus, vel ſi placido equo currum trahenti adjungat furibundum, tunc vel reluctans abripitur quo nollet ad quævis præcipitia: neque ſalutarius ullum officium ei ante rem actam exhiberi poteſt, quam de periculo iſto, a cauſa ſocia certo imminente, monere, quod reticere, quid aliud eſſet quam hominem occidere? Atqui res ſe iiſdem prorſus modis habet cum hominibus peccantibus, maligniſque ſpiritibus eis inſidiantibus. Mentes corruptæ, pravi habitus, elementa, corpora, res omnes quibus corruptio ineſt & depravatio, nidus ſunt, elementum & vehiculum malignorum ſpirituum, qui inde inſidiantur hominibus, quibus quidem, quanquam tentent, nocere nequeunt quamdiu hi a peccatis & inordinatis actibus ſibi cavebunt. At quam primum homo peccatum admittit, ecce, eo ipſo ſolvuntur & excitantur inſidiæ inimici, peccantem præcipitem agentis, igne infernali eum accendentis, & quo præcipitiorum lubet

bet eum abripientis: & tunc qui ſibi antea imaginabatur, nullum tale periculum ibi ſubeſſe, a ſe ſolo effectus malos & pendere & directum iri, ſerius animadvertit ſibi jam ſub aliena poteſtate, cui infeliciter ſe commiſit, pereundum eſſe; imo nunc illic peribit inſcius, vel etiam (quod lamentabilius eſt) perſuaſus ſibi tunc bene eſſe, ſeque ad vitam gradiri æternam, inimico tenebras intellectui ejus activo affundente, eum regente, ficta ſpecie veri decipiente, affectus demulcente, promiſſis quibuſvis illudente, res malas, diſtractiones, occupationes ſpecioſas, quibus tamen a quærendo Domino impediatur, veluti res aut indifferentes aut etiam bonas objiciente, verbo, omnibus rebus actibuſque eum jam, uti muſcas filamentis ſuis ſolent araneæ, imperceptibiliter retibus ſuis, donec evadere nequeat & enecetur, innectente. Hoc cum ſumma paternorum viſcerum erga creaturas ſuas commiſeratione videt fidelis animarum amator Deus, atque idcirco hominem cœcum de periculis infinitis & æternis ſollicite mille locis, mille modis, mille exemplis admonet & compellat: perniciem generis humani primam hac via accidiſſe; eâdem eſſe continuatam & continuari; & tandem toti orbi ſeductionem & interitum hoc modo eventurum: proinde eſſe orandum, vigilandum, ſollicite Deo ſoli adhærendum; ab omni vel minima inordinatione cavendum, ne inimico locum dantibus, prævaleat nobis & in ejus ungues & captivitatem æternam incidamus. Et ni-

minus tamen reperiuntur miſeri cœci, animarum ductores, qui data opera neceſſarias adeo admonitiones enervent, ipſaſque toto animo tantopere venerandas & omni cum ſimplicitate atque obedientia fidei audiendas Scripturas, adorandumque Dei illic prolatum nomen & verbum, ſtupenda intellectus geſticulatorii temeritate & aſtutia, non tantum in vanum ſumere, ſed & in deceptorium & in contrarium ſenſum pervertere audeant. *O Deus* (exclamet quis jure cum Polycarpo) *in quæ tempora nos reſervaſti*! Et hoc fuerit, ſcilicet, Diaboli regnum abolere, eique propterea, tanquam devicto vel imbelli erit inſultandum, ut qui ejuſmodi opus amoliri non potuerit. Certe non erat cur Diabolus a tali opere ſibi ulla de cauſa caveret, quippe quo regnum ejus potentiſſime propagetur, & quo commodius ſervitium ei præſtari non poſſit. Nunquam triumphat hoſtis tutius, quam quando de ejus potentia nil cogitatur, imo ea negatur, & ſub callidis tegumentis redditur imperceptibilis; qua arte inexpugnabilia alioqui munimenta expugnari queant facillime. Refert (a) Bodinus, celeberrimus ICtus, inventos fuiſſe, qui cùm voce & ſcriptis contenderent omnia quæ de ſpiritibus rebuſque Diabolicis dicuntur, non eſſe niſi meras nænias, ipſimet interim & magi & Satanico pacto impliciti erant, quos inter nominat Doctorem quendam Theologiæ & Concionatorem Pictavienſem in Gallia, apud quem ſuo, aliorum, reique ipſius teſtimonio de ſortilegio

(a) Bodin. Dæmonomia in præfat. & Append. contra Wierum.

legio magico convictum, inventum ſit autographum pacti quod cum Satana inierat, his inter alias ſcriptis conditionibus, ut ſcilicet publice concionaretur, ea quæ de Diabolis & ſortilegiis dicuntur, meras eſſe fabulas, & impoſſibilia omnique fide indigna figmenta: ea acta in regeſtis Parlamenti Pictavienſis adhuc exſtare: Diaboli vero regnum iſtis artibus magna tunc ſumſiſſe incrementa. Sed hæc & ſimilia, nec non omnia quæcunque ab omni ævo & ubique locorum ab infinitis ſanarum imo & ſanctarum mentium hominibus, circa eas, quas experti ſunt, angelicas & dæmoniacas operationes aſſeverabuntur, pro nihilo facile ducet neſcio quis, præeuntibus impudentiſſimis Spinoza & Hobbeſio omnia audacter pernegantibus & deridiculo habentibus: quidni enim in gratiam audacis & amati erroris, ut Divinam, ſic humanam fidem enervent, tametſi Philoſophi pro indubitato habeant axiomate, *Ea facta quæ ſenſuum experimentis conſtant, quando aſſeverantur a quamplurimis hominibus, variorum temporum, nationum & locorum, qui velut ea experti de iiſdem teſtantur, quique non credi poſſunt in unum conſpiraſſe ut nos deciperent, tam firmiter credenda eſſe, ac ſi ea ipſimet fuiſſemus experti; quâ via etiam maxima pars cognitionum noſtrarum nobis acceſſit.*

XXVI. Tanguntur adhuc non nullæ oblo-

XXVI. Equidem divinam fidem negabunt hic ſe tollere, quin potius ſe, ut manus dent, Scripturarum teſtimonia clara optare; atque etiam experimenta propria, ſiqui-

cutiones & contradictiones in eodem opere: & concluditur.

quidem proprio experimento ſentiri debeat tanquam aliunde accedens ejuſmodi operatio cauſæ in nos agentis quæ a nobis diverſa nobiſque etiam inimica eſſet, veluti Diabolum dicunt tentationes & cogitationes peccaminoſas nobis inſpirare. Quibus ego, id demum fore affirmem, ſi mentes puræ, ſi lucidæ eſſent, ſi ſoli Deo adhærerent & ab omni ſpecie vel apparentia mali abhorrerent: tunc enim illico ſentirent & viderent, ſi quæ a Diabolis ſuggeſtiones ſibi fierent, eas & aliunde quam a ſe, & a principio a ſe diverſo procedere: at id debere ſic animadverti a mentibus turbulentis, tenebroſis, cœcis, ad ſpiritualia diſcernenda ineptis, Deo non adhærentibus, Dæmonis propenſioni non obluctantibus, ſed ei ſic intime unitis, ut una ſit mens, unus animus, id perquam abſurdum eſt exigere: nam quis ignorat, ea quæ ſic unita ſunt intime, non ſentiri poſſe ut a ſe invicem diſſociata atque diverſa? Quod autem Scripturarum teſtimonia certis terminis ad eorum palatum expreſſa exigere videantur ut a ſententia diſcedant, timendum eſt ne merus ſit fucus, quo ſpecioſe a pertinaciæ inſimulatione declinent: namque paratiſſimi videntur, quæcunque allegari poſſent, ea iiſdem artibus, quibus mille alia loca perverterunt, ſimiliter enervare; & confidenter aſſeri poſſit, nullum teſtimonium locumve adeo conceptis & ſelectis verbis poſſe contra ipſorum errorem deſiderari aut ſupponi, quin facile id ſuo methodo caſſum fieri vel etiam ad partes ſuas poſſit trahi.

Ratio cur credibile ſit eos nullis teſtimoniis, quanquam deſiderata darentur, paratos eſſe ut cedant, hæc eſt, quod ſibi imaginati ſint, impoſſibile eſſe & contra naturam ut Spiritus agant in corpora: cui principio revera totum ſyſtema (quicquid diſſimulent) innititur, & quidem ita palpabiliter, ut malint ſibi ſæpius contradicere, quam ab eo fundamento diſcedere. Etenim poſtquam, ne videantur aperte Scripturam impugnare, pro theſibus poſuerunt, Angelos quidem bonos hominibus fidelibus miniſtrare, eoſque protegere; malorum vero (ſeu Diaboli) miniſterio, hominem ſeductum fuiſſe; unde ſequitur evidenter, bonos quidem Angelos agere in mentes & corpora piorum; malos vero ſi non directe in hominis mentem, ſaltem in ejus ſenſus & corpus; id tamen nolunt agnoſcere, maluntque potius quam id agnoſcant dicere, ſe neſcire qui id fiat, hoc eſt, ſe nolle fateri verbis id quod conſcii ſunt contra ſuum præjudicium erroneum eſſe. Et hinc quando ad Scripturæ loca de his agentia ſe conferunt, cum deberent illa explicare eo modo qui cum theſibus dictis congrueret, eaſque confirmaret, ſtupendo ſibi re & actione ipſa contradicendi & in proprias theſes prævaricandi modo, omnia ita explicant, quin potiùs petulanter detorquent, ut ne unus quidem cum theſibus concordet easve ſtatuminet. Sed parum id eſſet, niſi etiam ſententiæ ſuæ gratia proferrent ea in medium; unde Chriſtus & Apoſtoli ſibi reapſe contradicentes

deprehenderentur. Nam quando ex una parte docent, Chriſtum, Evangeliſtas & Apoſtolos, de Diabolo & Dæmonibus locutos fuiſſe ſicut homines loquuntur & ſentiunt: ex altera vero, eis quæ homines de dæmonibus dicunt & ſentiunt, concuti poſſe Chriſtianiſmum; quid aliud hoc eſt quam dicere, Chriſtum & Apoſtolos, quorum ſcopus utique erat Chriſtianiſmum ſtabilire, ea tamen protuliſſe unde labefactaretur Chriſtianiſmus, hoc eſt, ſibi ſcopoque ſuo re ipſa contradixiſſe?

Sed hæc de iſta quidem materia hactenus ſufficiant, quæ currente calamo ſcribi oportuit, quia urgente prælo aliquantulum ſerius ſunt poſtulata, eo fine, ut bonæ mentes nullis inimici laqueis ſe implicari patiantur, aut ab iis ſeſe expediant qui ſincere veritatem quærent per ſolidas leges Methodi eam vere inveniendi. His, non autem aliis, hæc paucula ſufficere crediderim, in quibus ſi quædam aſſumpta principia deſiderarent deduci & probari ſpecialius, ea (a) alibi a me pluribus & ex profeſſo poterunt, ſi velint, videre expoſita. Faxit nunc Deus, ut intellectus noſtri corruptiſſimæ activitati, cujus & cauſas & exempla triſtia hactenus monſtravimus, non innitamur diutius: ſed ut amemus errores noſtros innumeros lumine ſuo nobis detegi; atque via Methodoque tutiore ad veritatem oſtenſa, ſuppeditet vires per eam gradiendi, quo ad Eruditionem Solidam tandem poſſimus pervenire; non detenti *ſuperficiaria*, non decepti

(a) In Oeconomia Divina paſſim.

decepti *falſa*, nec præpediti ſuperba ac pertinaci non recedendi ab erroribus aſſuetis præjudiciisque amatis voluntate, qua omne malum concluditur. Ad quæ omnia ut ſequentes de Eruditione Libri aliquid conferre poſſint, concedat ille Optimus Maximus, cujus Nomen ſit benedictum in ſecula!

Psalm. XIX.

Errata mentis quis meminit vagæ?
Quæ deprehendet vis Sapientiæ?
Ergo repurga quas refudit
Clam maculas ſinuoſus error.
Fac regna cordis ne ſibi vendicet
Vis impotentis dira Superbiæ.
Sic me malorum e maximorum
Compedibus facile explicabis.
Quæ lingua fundit verba, quod in ſinu
Secum volutat mens tacito, accipe
Placatus, o noſtræ Salutis
Ars, Dominus, Deus & Redemptor!

FINIS.

[illegible]

DE

ERUDITIONE

SOLIDA,

SUPERFICIARIA,

ET FALSA,

LIBRI TRES.

Digitized by Google

Digitized by Google

LIBRI PRIMI,

qui eſt

DE ERUDITIONE SOLIDA,

Pars Prima.

ERUDITIONE nil magis commendatum eſſe apud Deum & homines, liquido ſatis conſtat, quando ille gratiam ſuam atque Scripturarum oracula commendat (*a*) ab eruditione; hi vero, ubi ad altiora adſpirant, ſibi pro ſcopo proponunt eruditionem; quæ iſthoc pacto Dei hominumque communi ſuffragio veluti (*b*) *fons vitæ* denunciatur. Quanti igitur eſſet, ſi de nobiliſſima utiliſſimaque materia, ea poſſent proferri, quæ ei ſi non emolumento, ſaltem neque dedecori eſſent! Et hoc ipſum audeo aggredi, meæ quidem, gratificante Deo, conſcius tenuitatis; attamen & Numinis auxilio innixus, & bona erga quoſvis præditus voluntate: qua dum omnibus ſolida bona peropto, neque ignoro eruditionem dari ſuperficiariam, nec non & falſam, quibus a bonis, quæ ſola eruditione ſolida acquiruntur, fit receſſus; de tribus illis quædam in medium proferre inducor, quo, iſtis cognitis & non confuſis, omnes queant cupitis bonis non excidere, ſed potius eis tutius potiri. Faveat Deus propoſito!

(*a*) 2 Tim. 3: 16. Tit. 2: 12.

(*b*) Prov. 16: 22.

 I. Etſi

1. *Ab etymo vocis explicatur generalius, quid ſit* eruditio vera: *item, quid* ſuperficiaria; *quid* falſa.

I. Etſi, quæ ab etymo vocis communiter deſumitur rei explicatio, plerumque vulgarior nec ſatis ſolida habeatur; hic tamen loci vocabulum *Eruditio* tam apte generaliorem ejus ideam, qualem initio de re haberi neceſſe reor, exprimit, ut nil queat eſſe convenientius quam ab ejus etymi indicatione ordiri. Scilicet omnia ea, quæ operibus nonnullis conſtruendis deſtinata ſunt, puta, lapis ad ædificium, vel marmor ad ſtatuam effigiandam, cum ob inæqualitates, ruditatem, ſcabriciem, inconcinnam figuram, ad ſcopum ſuum adhuc inepta ſunt, adeo ut bene cohærere ſuiſque adaptari finibus recuſent, dicenda forent proprie *erudiri*, quando ſuperfluis ramentis ſuis atque inæqualibus prominentiis per malleum aliaque inſtrumenta liberantur, ſicque complanantur & lævigantur, ut ſine ruditate poſſint poſtea ſuis polite & congrue deſtinatis adaptari locis. At iſthæc, quæ in ſenſu hocce proprio non ſolet uſurpari nomenclatura, eadem metaphorica ſignificatione ad Mentes tranſlata eſt, quæ *erudiri* dicuntur, quando ea deponunt, quæ ſcopo ad quem conditæ ſunt & exiſtunt, eaſdem faciebant ineptas; & cum quaſi poliuntur, ſive formas aut habitus acquirunt faciles, quibus ad finem ſuum promte & decenter accommodentur.

Hæc eſt generalior & verior *Eruditionis ſolidæ* idea, per quam concidunt plura monſtra ad perniciem mortalium æternam ſub nomine Eruditionis temere efficta. Hac reſecantur tum *Eruditio Superficiaria*, quæ molem inordi-

inordinatam, ineptam & rudem, ſpecioſis coloribus ſuperficie tenus ſolummodo incruſtat; tum *Eruditio Falſa*, quæ moli ineptæ ineptiorem & contrariam ſuo ſcopo figuram conciliat. Quæ omnia ſpecialius ſunt commonſtranda.

II. Cum Mens humana, ad quam Eruditio, prout eam nunc conſiderare decrevi, proprie ſpectat, non ſit ens abſolutum, independens, ſcopus ſui ipſius; ſed ens ab alio, ad aliud, aliumque quam ſe pro ſcopo habens: ſequitur ejus Eruditionem non conſiſtere in illis, quæ ipſamet ſibi ad placitum fingere, ſtatuere, imaginari, amplecti ſatagit: qualia eruditionis falſæ & chimæricæ propria ſunt: ſed in his ſolum, quæ Origo ſumma, Plaſtes & Archetypus noſter, nobis ipſe proponit ad ſcopum ſibi placitum; qui, (quoniam a ſe ipſo Deus in condendis operibus diſſentire ſive diſcedere nequit,) alius eſſe non poteſt, quam, ut repræſentemus naturam & regimen Dei noſtri, prout is erga ſe, hominem & cæteras creaturas ſeſe gerit & repræſentat. Omnis igitur vera Eruditio in his conſtituenda eſt, quæ in mentibus noſtris eradunt, dejiciunt, & exterminant quæcunque illas minus Deo ſimiles, minuſque cum proximis ſuis in Deo concordes reddunt; nec non in eis quæ ſimilitudinem cum Deo intimam, concordiamque cum proximis divinæ æmulam, promovere & firmare apta ſunt. E quibus ſatis luculenter patet, Eruditionem veram Amore Dei & proximi abſolvi ac perfici, timore vero Dei inchoari; Scripturis ſæpiſſime

2.
Eruditionis eſſentiam fundari in relatione ad Deum, ut Mens ei evadat ſimilis, tum depoſitione contrariorum, cum adjuvantium acquiſitione. Eruditionis principium rectiſſime a Scripturis poni in timore Domini.

(a) Pſ. 111: 10. Prov. 1: 7. Eccleſ. 1. &c.

ſæpiſſime inculcantibus, (a) *timorem Domini initium eſſe omnis ſapientiæ* ſive Eruditionis veræ: nam ex timore ſincero, quo Mens erga Deum tangitur, timens ne ipſa Deo diſſimilis ſit, ei diſpliceat, neve in ſe habeat aut acquirat multa quæ non congruant cum ſimilitudine & mente Dei, fit, ut incipiat & decernat a ſe removere, repellere, diſjicere quicquid rude & Deo diſſimile, quicquid ei ingratum, in ſe ſuſpicari poteſt; quo ab iiſdem abſtineat, atque iis ſolum acquirendis incumbat, quæ divinam illam ſimilitudinem divinumque placitum decent ac referunt. Et hoc ipſum eſt vere erudiri, & ad veram tendere eruditionem; cujus initium, primumque punctum non potuit ordine magis exacto, ſevero atque, ut ita dicam, magis mathematico vel philoſophico proponi, quam in divinis Scripturis deſignatum eſt, dum pro ſaliente veræ Eruditionis puncto hoc nobis commendat, *Timor Domini, initium Sapientiæ.*

3. *De Deo Menteque nonnullas conſiderationes hic eſſe reſumendas.*

III. Hic oſtendendum foret, (quantum imbecillitas noſtra fert) quid ſit Deus, qui ſeſe gerat, quibus dotibus mentes humanas beaverit, ut illæ poſſint Deum ſuum imitari, cum illo congruere, & ruditates, ſi quæ illis inſint, deponere, ſicque per veram Eruditionem Deo, ejus converſationi, deliciis, inhabitationi, ipſæ fieri accommodatiſſimæ. Ad hoc autem non eſt neceſſe æterni Dei exiſtentiam & naturam, aut animæ naturam & immortalitatem, quæ (b) alibi ex profeſſo contra Scepticos dubitantes & Spinozianos Atheos demonſtravimus, de novo evincere: aut

(b) In Cogit. Ration. 2. Edit.

aut eorum regiminis libertatem & modos mutuos, quæ ibidem abunde deduximus, iterum depingere. Operæ pretium tamen eſt nonnulla generaliora tum de Deo, tum de mentis facultatibus, præ oculis præſentia habere, quæ alioqui, cum ſubjectum ipſum, de quo agimus, immediate concernant, plane non poſſent ſine ejus detrimento & confuſione prætermitti. Sequentia itaque haud oſcitanter ſunt expendenda.

& OEcon. Divin. de la Creation. nec non in Diſſertat. præcedente.

IV. Deum nempe infinite perfectam, incomprehenſibilem, atque æternam Mentem eſſe, hoc eſt, talem, quæ non modo initio & fine exiſtendi caret, ſed & quæ realitates infinitas unite totas ſemel actu velut in puncto indiſtincto ſimul poſſidet: Eundem quoque, cum diſtinctius & veluti aliquo modo extra æternitatis hujus indiſtinctæ conſiderationem punctumque indiviſum ſeſe reſpicit, in adorandum aliquod Trinum diſcerni, quod Deſiderio immenſo atque vividiſſimo erga ſe ſuaſque perfectiones, Luminoſa ſui intellectione atque Idea, Acquieſcentia denique & Amore ſeu Lætitia infinita, (ſive Patre, Filio, & Spiritu Sancto, Trinitate adorabili,) perficitur. In his autem, ut ita loquar, totam Dei naturam, ſolidam exiſtentiam, perfectionem, felicitatem, contineri, excluſis quibuſlibet aliis quarumcunque rerum ideis, & realitatibus, quæ coram illo non modo non res aut ideæ acceſſoriæ, ſed & purum nihil ſunt, quo beatum & perfectum Ens abſolute carere ad perfectionem & felicitatem poteſt.

4. *Dei unita æternitas, trinusque ſui in ſe ordo.*

Capacitates facultateſque Menti iſtis admittendis correſpondentes ineſſe.

Deum illum voluiſſe, (ut ſe qua talem vivide repræſentaret,) condere Mentes, quæ non tantum in ſempiternum duraturæ ſunt; ſed & quarum ſubſtantialiſſima atque eſſentialiſſima portio, vel dos, vel naturæ reconditiſſima radix & ſubſtantia, ſit fundus vel receſſus quidam immenſus, ſive intima nonnulla capacitas, & aptitudo quædam immenſa & infinita, quæ ipſam æternitatem, ſive Deum æternum modo unito, ſimultaneo & indiſtincto vivide & plane mirabiliter, ſine ulla ſucceſſionis & pluralitatis diſtinctione & duratione, admittere, percipere, poſſidere valet; (quæ ardua, alibi (*a*) a me expoſita, videat qui velit.) Hic eſt ille animæ *fundus* tantopere nonnullis celebratus, quem nulla creatura, nec vero ipſa creata Mens, non modo non replere, ſed nec quidem movere aut attingere poteſt: locus ideis vacuus, thronus Deo æterno ſacer, ejusque ſolius æternas impreſſiones ſuſcipere aptus. Obſervandum præterea iiſdem mentibus ineſſe quoque diſtinctiores facultates ſive capacitates ad idem Numen relatas: puta, *Deſiderium immenſum*, ſive facultatem deſiderandi Deum immenſe, divinique deſiderii infiniti impreſſiones & actus admittendi: *Intellectum immenſum*, ſive capacitatem immenſam recipiendi Intellectionem, ſive Lucem, ſive Verbum Imaginemque Dei luminoſam: denique *Acquieſcentiam*, ſeu facultatem atque capacitatem *immenſam* admittendi & poſſidendi divinam Acquieſcentiam, Dilectionem, Lætitiam, Spiritumque

(a) Cogit. Rat. Lib. 11 r. Cap. 16 & Oecon. div. Part. I. ch. 8. §. 23. &c.

que Dei adorabilem, cumque eo æternum deliciandi. Atque ita Mentes noſtras non modo conditas eſſe ad Imaginem & repræſentationem Immenſi & Æterni Dei, adorandique Myſterii Trinitatis, (Patris, Filii & Spiritus Sancti;) ſed & ad Ejuſdem admiſſionem, inhabitationem, immeationem, poſſeſſionem, commercium, æternaſque & incomprehenſibiles omnium in bonis & realitatibus Divinitatis perceptiones & voluptates: quam ob cauſam, his, quas diximus, ſubſtantialiſſimis & eſſentialiſſimis capacitatibus ſive facultatibus, ſunt a Plaſte potentiſſimo Optimoque donatæ.

V. Impenſe optarem hæc jam pro dignitate ſua diutius conſiderari, nec non memoriæ atque cordi alte vivideque imprimi. Hæc enim ſola ad mentes proprie ſpectant, ſola earum æternum duraturam perfectionem, felicitatem, ſolidam atque eſſentialem ſic conſtituunt, ut cætera omnia, omneſque de rebus aliis quibuſcunque creatis ideæ, perceptiones, ſenſationes, non modo mere externæ & acceſſoriæ ſint; ſed &, maxime in quo nunc ſunt ſtatu, ad interitum univerſæ pertineant. Hinc proinde in erudienda Mente filum Ariadneum eſt deſumendum. Nam ſi aliud quam facultates noſtras fundamentales, æternas & (capacitate) immenſas, quibus vere homines ſumus, Deique imagines vivæ, curaverimus; ſi his prætermiſſis ſuperficiarias, deceptorias & inſtabiles facultates Rationis, Imaginationis, aliaſque minuſculas parvulis inferioris ſortis obje-

5. Sola iſthæc (adeoque & Eruditionem de his) ſolida eſſe: cætera ſuperficiaria & peritura.

objectis occupaverimus & coluerimus, ad interitum tantum laboravimus, omnibus quidem olim evaneſcentibus, mente vero remanente in eo vacuitatis ſtatu, in quo a propria & inſanabili facultatum inanium fame immenſa, æternum cruciabitur. Sed redeamus ad propoſitum, & rerum conſiderandarum indicemus ſeriem.

6. Ex Dei placito arbitrario ludendi cum picturis ſui umbratilibus, natas eſſe in conceptu ſuo rerum ideas, eaſque omnis generis & varietatis. In his duo eſſe conſideranda, 1. repræſentationem Dei: 2. ipſaſmet ſui ipſarum formas.

Menti humanæ (cui ſuperiores facultates ad ſui eſſentialem perfectionem ſufficiebant;) datam eſſe ae-

VI. Scilicet Deum, qui ſe ſolo æterno & trino ſibi ſufficiebat, ex mera & indifferenti arbitrii libertate voluiſſe ad luſum gaudiumque arbitrarium depingi & repræſentari, non ſolum modo vivido, quam ob rem mentes, quales nunc diximus, effecit; verùm etiam modo umbratili, & (comparate ad veram vitam veraque interiora) veluti mortuo & ſuperficiario. Hinc in conceptu ejus natas eſſe ideas rerum, totiuſque univerſi, quarum unaquæque repræſentabat ſuo modo tum præcipuam aliquam Dei perfectionem, tum vero (quia perfectio nulla in Deo a cæteris ſeparatur,) indirecte & dilutius omnes cæteras: hinc nulla res eſt, nullave idea ſeu natura, quæ non aliarum rerum ſive idearum aliquid (unde rerum nexus & immeationes mirabiles) ſecum involvat; quia nempe perfectio divina quælibet, quam idea rei creabilis cujuſlibet repræſentat, aliquid, etſi indirectius, cæterarum divinarum perfectionum ſecum in conceptu involvit; quod rerum ideis & naturis ſimili modo decuit repræſentari.

Notari hic velim, Deum, cum ideas rerum, quas excogitavit, contemplatur, duo in

in illis conſpicere; primo, ſui ſuarumque perfectionum, puta potentiæ, activitatis, felicitatis, fœcunditatis, aliarumque, imagines ſive ideas nonnullas ſpeculativas, illis, quas ipſe a ſe & in ſe directe habet, dilutiores; ſecundo, ipſarum ideas rerum prout ad ipſas res terminantur. Quæ conſideratio magnæ & pernicioſæ in rebus eruditionis fallaciæ evitandæ anſam dabit, uti mox monebimus.

ceſſoriam facultatem Rationis, ſive, intellectus activi, ut horum eſſet imitatrix.

Quamvis autem Deus, Mentes ad ſui Imaginem condere volens, eis præter illam vividam Æternitatis Sanctæque ſuæ Trinitatis Imaginem nil largiri præterea potuiſſet, ipſæque hac ſola dotatæ perfectione, & felicitate eſſentialiſſima (hoc eſt, maxime intima, completa, plena & ſolidiſſima) præditæ & perfectiſſime ſatiatæ fuiſſent; placuit tamen Numini liberaliſſimo & acceſſorias, ſuperficiariaſque nonnullas capacitates ſive facultates Menti donare, quibus illarum Dei de rebus externis idearum, illorum Dei arbitrariorum ludorum, eſſet æmula & repræſentatrix. Unde orta eſt in mente facultas acceſſoria & ſuperficiaria *Rationis*, quæ aliàs *intellectus activus* dicitur, eſtque rerum ideis efformandis & continendis deſtinata.

VII. Hæc autem facultas nullam Æternitatis divinæ, nullam ſanctæ Trinitatis, divinorumque attributorum ideam vividam (prout facultates ſuperiores) admittit; ſed tantum eorundem umbras, ideas dilutas, ſteriles, mortuas, & veluti externas & ſuperficiarias, quales modo diximus & in rebus crea-

7. Facultatem Rationis, ſive intellectus activi, non admittere ideas Dei ejuſque luminis vi-

vidas ac ſolidas, ſed pictas & ſteriles & ſuperficiarias tantum.

Hæc tamen a Philoſophis pernicioſe confundi.

creabilibus ideas de Deo diviniſque poſſe conſpici. Quod diligentiſſime advertendum eſt: quoniam inde exitialis quidam error poteſt & debet maxime præcaveri. Quicunque enim ideas de Deo rebuſque divinis per Rationis ſuæ actus efformatas, confunderet cum lumine Dei vero, Ideiſque vividis, quæ in intellectu ſupremo per Lumen Verbumque Dei excitantur, nec non cum inſpirationibus luminoſiſque Spiritus Sancti motibus, quibus divina ſalutariter & ſolide explicantur, is erraret omnium exitialiſſimo errore; & pro Deo vivo, ſolidoque ejus Verbi ac Spiritus lumine & motu, ſimulacra inania, ſterilia, frigida Rationis ſuæ, facultatis ſuperficiariæ, amplecteretur; a quibus cum non poſſet perfici nec beari, vacuitas & miſeria æterna ei, (niſi reſipiſceret) certo certius ſupereſſent. Atque hoc morbo periculoſiſſimo Carteſiani quam plurimi hodie laborant, dum ideas ſteriles, ne dicam ſæpe ridiculas, Rationis ſuæ, pro divino lumine, pro Scripturarum ſive ſenſus Dei interpretamentis, pro Spiritus Dei actibus, notionibus, inſpirationibuſque (quales ad ſalutarem Scripturarum rerumque divinarum cognitionem requiri confitentur omnes,) nobis obtrudunt. Quæ pernicioſa confuſio inde orta eſt, quod Carteſius ipſe, eorum Anteſignanus, in Natura mentis cognoſcenda, qualem jam per fundum, capacitates facultateſve ejus pro Deo ſolido, vel pro ideis ejus rerumque acceſſoriis factas, explicuimus, plane cœcutierit. Sed nec eidem

malo

malo minus obnoxii ſunt & cæteri non-Carteſiani: quamvis enim divinum lumen divinumque actum, ab actibus Rationis diſtinctum, verbis profiteantur, nihilominus tamen de facto nil aliud plerique quam propriæ Rationis ſuæ actus amplectuntur, quos nomine actuum Spiritus S. fideique inſigniunt. Utinam omnes ab hoc errore reſipiſcerent, cujus pericula, & tandem emergentem inde Atheiſmum, (a) alibi pluribus oſtendi!

(a) Diſſert. præ-lim. Cog. Rat.

8\. VIII. Quia vero & Ratio ſuo modo, hoc eſt, dilute & per adumbrationem, Sanctæ Trinitatis gerit Imaginem, (quæ & in omnibus rebus atque ideis, nulla prorſus excepta, diverſis modis depingitur) hinc in illa deprehendere eſt, primo, *deſiderium* aliquod ſciendi, ſive ideas rerum detegendi, quod jam, poſt peccati dominium, *concupiſcentia oculorum* Johanni & Auguſtino dicitur, & *curioſitas* vulgo appellatur: ſecundo, *lumen rationis*, *ideæ* ipſæ, intellectiove ſuperficiaria, & activa ſuarum, quicquid alii dicant, idearum certis conditionibus effectrix; tertio, *acquieſcentia* quædam in idearum ejuſmodi contemplatione & combinatione; quæ acquieſcentia aliàs *affirmatio* dicitur. Et circa hæc quidem ſola *eruditionem veram* verſari vulgo produnt: ſed quam prave, quamque periculoſe id fiat, jam aliquatenus monuimus, monebimuſque deinceps diſtinctius, dum Rationis proprietates, uſum, abuſumque indicabimus obiter. *Diſcurſum* vel ratiocinationem ad activam vim rationis ideas

In Ratione eſſe, curioſitatem ſeu deſiderium; lumen ſeu ideas; affirmationem ſeu acquieſcentiam; & diſcurſum ex duobus his exurgentem. Eruditionem male ad hæc reſtringi.

ideas ſibi excitantis, atque ad acquieſcentiam referimus; quando nempe ideæ quædam primo intuitu vel obſcuriores, vel complicatiores ſunt quam ut mens poſſit eis acquieſcere, adeoque opus habet eas pluribus actibus, modis, reſpectibus, conjunctione aut ſejunctione cum & ab aliis intueri, ut ipſæ ei clariores appareant, quo tandem eis acquieſcere poſſit.

9. *Deum, qui præter ſe & ideas, extra ſe res effecit & poſſidet, dediſſe Menti humanæ, ut cum rebus haberet commercium, facultates imaginationis, ſenſuum, motus, & paſſionum, cum corpore.*

IX. Quemadmodum autem Deus ille, qui ſe ſolo æterno ſibi ſufficiebat plene, non tantum arbitraria voluntate acceſſorias rerum creabilium ideas ad ſui accidentariam (ut ſic loquar) delectationem contemplari voluit; ſed & ipſi placuit, ut illæ, hoc eſt, res ipſæ ideatæ, exiſterent, quas Deus de facto exiſtentes haberet, poſſideret, quaſque adeo ſingulari modo veluti præſentes ſibi ſtitit, imaginatus eſt, diſpoſuit, percepit, deque eis eſt lætatus; Ita etiam non ſatis ei fuit condere Mentes, quæ fundi & facultatum divinarum & eſſentialium donatione, ſolo Deo ſolide & complete beatæ eſſent; aut quæ Rationis acceſſu non-neceſſario, ideas rerum ad accidentariam delectationem intuerentur: ſed & voluit ut illæ cum rebus ipſis commercium haberent, eaſque perciperent, poſſiderent, regerent. Unde & mentibus donavit capacitates ſive facultates cum corpore certo, quibus hæc exequerentur, videlicet, *Imaginationem*, *Senſus*, *facultatem motricem*, (quæ loquelam includit) & *affectus* ſive paſſiones animæ; de quibus omnibus, etſi in Oeconomia fuſius egi, tamen in hoc argumento

gumento, de quo agimus, ea oculis ſubduci omnino non debent, ſiquidem permulti ſi non totam, maximam tamen eruditionis partem in illis nunc conſtituunt quæ ad imaginationem, ſenſus, motus & affectus pertinent.

10. *Hominis perfectio eſſentialis & acceſſoria.* *Homo creatus fuit ſapiens, non vero eruditus.*

X. Atque hæc ſunt omnia, quibus hominem perfici potuiſſe, cogitari poteſt: complete nempe perfectione ſolida & eſſentiali per divinas intimas & immenſas ſui fundi, deſiderii, intellectus, ſuæque acquieſcentiæ capacitates, Deo æterno & Triuno repletas; accidentarie vero per umbratiles, ſuperficiales, & limitatas facultates Rationis, imaginationis, ſenſuum, motuum, & paſſionum, objectis ſuis tenuiuſculis & limitatis, ideis videlicet, figuris, coloribus & ſonis, motibus & ſimilibus affectas, &, non repletas, ſed impulſas & tactas, in quibus tamen imagines potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis Dei ſui, magis quam ipſas ſenſationes ad ſe ſpectantes homo curabat. Hiſce omnibus is in creatione a Summo Rerum Auctore inſtructus antequam ad deteriora laberetur, omnibus erat numeris abſolutus, (quod ſingulatim (a) alibi expoſui,) hincque *Sapiens*, non vero *Eruditus* erat proprie dicendus: ſiquidem hæc ipſa non acquiſiverat per viam erudiendi & poliendi in ſe quæ antea incondita, rudia, aſpera & incompoſita fuerint; ſed per ſimplicem ſui cum divina Sapientia conjunctionem & familiaritatem.

(a) Oecon. creat. cap. 14 ad 27.

11. *Homo poſtquam facultates*

XI. Poſtquam autem homo æternam (ſenſu jam dicto) atque immenſam fundi ſui capacitatem, nec non divinas deſiderii infiniti, intel-

ſolidas a Deo ſejunxit, ſuperficiariis ut adhæreret, lapſus ita eſt, ut cæcus, craſſus & corruptus ſit etiam quoad rationem & ſuperficiaria.

intellectus & acquieſcentiæ facultates ab objecto æterno, divino, ſolo ſolido, Triuno Deo, revocare, ab ejus adhæſione & contemplatione continua ceſſare; facultates accidentarias & ſuperficiales præcipue exercere, ad exteriora ſeſe convertere, & ex proprio figmento ad arbitrium ſapere & beatus eſſe voluit; mox omni ex parte, intus & extus, factus eſt obſcurus, confuſus, miſer & ſtupidus, in quo omnia, fundus, diviniores facultates, ratio, imaginatio, cæteraque, cœca, rudia & aſpera; verbo, ipſe totus homo craſſus & rudis: qui niſi quoad omnes facultates penetrante lixivio lavetur, forti pumice fricetur, impigra dolabra lævigetur & erudiatur, manebit craſſus & rudis aſinus in omnem æternitatem.

Quod autem inferiores facultates, quales ratio & cæteræ jam nominatæ, integræ non potuerint permanére, poſtquam ſuperiores & ſolidæ a Deo defecerunt, patet ex eo, quod earum natura non modo ſuperiorum imitatrix & veluti ectypa erat, quodque etiam eæ ab illis & regebantur & lumen mutuabantur; ſed ex eo quoque & præcipue, quod Deus poſthabitus & contemtus non potuit contemtum ſui effuſa benedictione approbare; quin potius eum decuit neglectores & contemtores ſui negligere, & in ſenſum omnino reprobum tradere, uti Paulus loquitur & oſtendit, Rom. 1. Quam inordinationem, ejuſque neceſſariam ſeriem, cum alibi integro (a) libro tradiderim, illius commemoratione hic ſuperſedeo.

(a) Oeconomie du peché.

XII.

12. *Quænam in Mente lapſa ſint erudienda. Qui ea poſſit ſolide, ſuperficiarie, falſo erudiri comparatione oſtenditur generalius.*

XII. Quænam vero in homine erudienda ſint, e ſuperiori facultatum ſuarum enumeratione ſatis pateſcere puto. Verum ut ratio diſtinctionis, quam circa Eruditionem ſumus adhibituri, dum eam in ſolidam, ſuperficiariam & falſam dividimus, evidentius inſpici poſſit, eam per ſimilitudinem ſic elucidabo, ut facili negotio poſſit & comprehendi & retineri. Imaginemur ergo Mentem eſſe veluti Globum quendam cryſtallinum infinitæ amplitudinis, qui replendus ſit infinito lumine a centro in omnem capacitatem ejus ſeſe diffundente. Talis enim eſt Mens ejuſque fundus, tales ejus facultates ſeu capacitates reſpectu Dei, luminis æterni & infiniti: At vero globus iſte, qui in relatione ad Deum eſt capacitatis immenſæ, itidem, quatenus cum rebus ideiſve, quæ Deus non ſunt, commercium habere debet, quadam veluti ſuperficie (qua reſpectu divini commercii caret) præditus conſiderari debet. Superficiei huic tria, plurave accidere poſſunt; primo, ut in illa lineamentis & coloribus quibuſdam multa depingantur & delineëntur; ſecundo, ut ipſa ſuperficies figuram ſuam rebus applicitis accommodet, eamque multifariam immutet; tertio, ut de loco in locum tranſportetur; quarto, ut fortiter pulſetur ab illis quæ fortiter in eam irruunt: quorum omnium primum, Rationem & imaginationem; ſecundum, ſenſus; tertium, facultatem motricem; quartum, affectus ſive paſſiones deſignat. Quemadmodum autem hæc ante hominis lapſum ordinatiſſima erant; ita poſt eundem, lumen e fundo & e capaci-

tatibus

tatibus immenſis evanuit, ſuccedentibus tenebris aſperrimis & immanibus: Superficies vero coloribus atris, monſtroſis lineamentis atque figmentis, lutoque commaculata & incruſtata, ipſamet in monſtroſas, turpes aſperaſque formas effigiata, incompoſite tremula ubi quieſcere, vel ſtupide immota ubi moveri deberet, denique quibuſvis extraneis impulſibus obnoxia. Si jam ſupponamus, aliquem fundo & facultatibus intimis depurandis & diſponendis, (ad quas & externæ inordinationes aliquatenus (ſed non funditus) radices egerunt nonnullas,) vacare, id Eruditionis ſolidæ ſpeciem nobis exhibet, (quæ, ſicuti a bono facultatum internarum ſtatu, ſtatus ſuperficiariarum bonus eſt indivulſus; ita & hæc exteriora quoque complectitur:) ſi vero externæ ſuperficiei detergendæ, lævigandæ, ſedandæ, lineamentis, figuris, motibus ordinatis perficiendæ præcipue incumbat, id Eruditionem ſuperficialem ob oculos ponit: Eruditio autem falſa depingitur, ſi neglecto fundo cum facultatibus ſuis divinioribus, ſuperficies chimæris, nugis, inutilibus, noxiis, luto, & quibuſlibet quiſquiliis, incruſtetur & contaminetur. Quorum omnium ἀπόδειξιν; quia facilis eſt & clara, prætermittimus.

13. *Tria in unaquaque eruditione poſtmodum ſpectanda.*

XIII. Eruditionis generalioribus perſpectis, nec non ejuſdem ſpeciebus commemoratis, e re foret de unaquaque ſingulatim oſtendere quomodo acquiratur, quomodo poſſideatur, quomodo denique communicetur; ſive, quod eodem recidit, quomodo fiant, qui

qui affecti ſint, & quibus modis doceant ſive ſeſe propagent ſolidi, ſuperficiales & falſi eruditi; aut denique ſpectanda eſſet eruditio in acquiſitione, poſſeſſione, & communicatione ſui: quod brevibus ſubindicare potius quam tractare annitemur.

14. *Ante eruditionem quinque maxime notanda. De Eruditione acquirenda Axioma fundamentale.*

XIV. Initio, conſiderandum eſt ſerio, 1. hominem reſpectu durationis ſuæ futuræ, creaturam eſſe æternam, hujuſque æternæ durationis hanc præſentem vitam, quam hoc in ſtatu, hæc inter corporea vivimus, non partem, ſed vix punctulum & momentum evanidum eſſe, quo evaneſcente, omnia quæ inferiores & ſuperficiarias facultates, rationem, ſenſus, cæteraſque concernunt, qualia jam ſunt, æternùm quoque penitus evaneſcunt.

2. Obſervandum deinde, fugax hocce momentum ea nobis conditione conceſſum eſſe, ut a modo quo fuerimus eo uſi, idque impenderimus, pendeat tota ſequens æternitas, in plena fundi & facultatum omnium perfectione, illuſtratione & deliciis; aut in earundem imperfectione, tenebris & anxietatibus perpetuis ducenda, prout diverſis modis momentulum hocce fuerit tranſactum.

3. Notandum tertio, nobis hac in vita eam eſſe facultatum infirmitatem, ut pluribus ſimul vacare non poſſimus; ſed alia dimittenda eſſe, ſi aliis fuerit incumbendum.

4. Animadvertendum quarto, eam eſſe & facultatum, actuum objectorumque ſuorum naturam, ut ſeſe adjuvent & promoveant, ſi debito ordine exerceantur; ſe vero impediant & tollant, ſi ordine præpoſtero & perverſo per-

pertractentur. Debitus autem ordo is eſt, quem ſuperius in enumerandis facultatibus ſumus ſecuti; nimirum, primo, Fundus ſive capacitas mentis immenſa ad Deum æternum, nec non facultates diviniores deſiderii, intellectus & acquieſcentiæ ad eundem Deum Triunum, (ſeſe deſiderantem, contemplantem, in ſe acquieſcentem,) ejuſque ad attributa & perfectiones divinas conditæ: dein, Ratio, data ad ideas umbratiles tum Dei, ejuſque attributorum, (quæ immenſum a vividis facultatum ſuperiorum ideis ſive lumine differunt,) tum rerum a Deo creatarum: poſtremo, Imaginatio & reliquæ. A fundo enim ſuperioribuſque inferiora omnia veluti catenatim dependent, fluunt, & inde robur, lumen & decus mutuantur, cum ſint ejus, quod in centro eſt, ceu expanſio & explicatio atque repræſentatio dilutior. Unde qui rite incipit a centro, huic veluti ſine labore alio omnia cætera, ſaltem neceſſaria & debita, per ſe videntur advolare: qui vero interiora omittit ut inferiora curet, hic & divinioribus atque ſolidis ſeſe æternum privat, & quæ agit, non poteſt non perverſe agere: nam qui recte agat is, quem tenebræ & inordinationes infinitæ interius poſſident & obruunt?

5. Ex his autem obſervatis, illud eſt quinto concludendum, & alta mente, veluti immota veræ eruditionis Regula, recondendum, MENTEM SE SUASQUE HAC IN VITA FACULTATES DIVERSAS ERUDIENDO, DEBERE EUM MODUM EAMQUE PROPORTIONEM IN HIS TENERE,

TENERE, QUÆ EST INTER ÆTERNA SOLIDA ET MOMENTANEA PERITURA; vel inter punctulum tenue evaniduinque & lineam immenſam, vel potius ſolidum infinitum. Secus qui fecerit, ad interitum atque tenebrarum æternarum augmentum certo certius properat, & coram Deo ſolidaque veritate inſanus, ſtolidus, & (quibuſcunque præterea prærogativis gaudeat) ineruditus ſtipes habebitur. Et hæc eſt ratio, quod Scripturæ ſacræ tales mundi præpoſtere eruditos veluti fatuos, animales, & brutos paſſim proclament, quos Deus contemnat, rejiciat & abominationi habeat.

15. *Tres primæ fundi ad Eruditionem acquirendam diſpoſitiones ſeu conditiones requiſitæ, ſinceritas, humilitas, & a cæteris ad Deum defectio.*

XV. A fundo igitur atque intimis animi receſſibus eſt omnino inchoandum. Hic vero non parva occurrit difficultas. Fundus enim mentis divinioreſque facultates cum pro ſolo Deo æterno & immenſo ſint facta, homo induſtria ſua nil hic polire & erudire, nilque agere poſſe videtur, neque eo penetrare. Id quod omnium, dubio omni procul, eſt veriſſimum. Nihil enim præter ſolum Deum ejuſque actum, admittunt capacitates illæ, quæ pro Dei æterni admiſſione & inhabitatione ſunt conditæ: neque pro ullo alio potuit Mentis ſubſtantia facultateſque ejus ſubſtantialiores ſeu eſſentialiores creari; ſiquidem ſolus Deus tali ſcopo & loco ſit dignus. Igitur ſolus Deus interiorum animæ centralis eſt Eruditor & Doctor, teſtante quoque id ſæpius Divina Scriptura. Is ſolus Mentis centrum divinaſque facultates aptus eſt aperire, intrare, tangere, commovere,

vere, erudire. Is ſolus fundi noſtri clavem habet; eoque aperiente, claudere nemo; claudente, aperire nullus valet. Nihilominus tamen ut Deus in intimis agat & erudiat, homo, ex quo Deus illum prævenit & compellit, aliquid ad hoc contribuere & poteſt & debet: & quidem ex parte centri fundique ſui immenſi, omnium primo offerat neceſſe eſt centralem atque immenſam aliquam cordis *ſinceritatem* & εἰλικρίνειαν, quæ nullo

(a) Prov. 11:20. Sap. 1:4. Pſ. 32:2.

limite terminetur, nullaque conſcia fraudetur exceptione. (*a*) *Abominationi eſt Domino cor fraudulentum; neque inhabitabit ſapientia animam malevolam: beatus vero in cujus animo non eſt dolus.* Hic primus eſt ædificii Eruditionis veræ lapis, quem ponit TIMOR DOMINI: etenim coram Deo illo tremendo, qui renes ac corda ſcrutatur, quis fucate vel aſtute apparere non pertimeſcet ac verebitur? Lapis ſecundus eſt, centralis atque profundiſſima ſui abjectio & *humiliatio*, ex eo orta, quod conſcia ſit mens ſe non modo a ſe nil eſſe & nil poſſe; ſed & ſe e centro locoque ſuo Deum expuliſſe, ejus lumen atque inſpirationes extinxiſſe, adeoque veluti Deicidam eſſe abominandam. Qui huc non redit, is Deum, Eruditorem verum, cum

(b) 1 Pet. 5:5.

habeat adverſantem, perpetuo rudis & fatuus ſit neceſſe eſt: (*b*) *reſiſtit enim Deus ſuperbis, humilibus autem ſuam largitur gratiam.* Et hæ ſunt duæ, quas homo ex parte centri ſeu fundi tenetur offerre, conditiones. Tertia ex omnium facultatum parte eſt, tam internarum quam externarum: ea vero eſt, inferio-

riorum, quæ rationem & exteriora ſpectant, omnimoda (neceſſariis exceptis) *deſertio* atque ſeceſſus, & ſui totius Deum verſus *collectio* atque *converſio*. Diximus namque modo, id nobis infirmitatis ineſſe, ut facultates noſtræ omnes ſimul exerceri nequeant, & unam ab alia ſemper præpediri, videlicet ſuperiores ab inferioribus, ubi his præpoſtere adhæretur. Quapropter ne Mentis intima ab operatione, exercitatione & eruditione Dei impediantur & revocentur, ſileant & quieſcant inferiora, nexuſque cum ſuis objectis non neceſſarius rumpatur neceſſe eſt, ut ſolius divinæ eruditionis animus ſit auditor: ad hoc autem ſæpe requiritur, ut, qui ſerio ejus cupidus eſt, vim ſibi faciat, duriter aſpereque ſe limet tractetque, quò vinculum delectabile, quo cum externis vincitur, diſrumpat: Quod Deus plerumque adverſis rebus & calamitatibus acutis promovere ſolet, eo ſemper fine, ut impedimentis ſuis externis valedicat animus, quem cæteroquin tantis circumſonant ea rumoribus, ut ad Eruditoris interni vocem penitus obſurdeſcat. Quæ ratio eſt quod Jeſus Chriſtus, Deus ille noſter atque Eruditor & Doctor unicus, ipſaque Veritas & Lux, aſſeveret, (a) neminem qui non omnia ejuſmodi dimiſerit, ſuum eſſe poſſe diſcipulum.

(a) Luc. 14: 26. &c.

Ecce igitur tres primos lapides ad Eruditionis earum, quæ nobis maxime intimæ & eſſentiales ſunt, capacitatum ſolidum ædificium: qui in unum coagmentati & quaſi cœmentati, per *ſinceram & humilem Mentis ad*

Deum æternum converſionem exprimi poſſunt commode.

16. *Ex parte deſiderii ad eruditionem conditiones quatuor; ejus ardor, illimitatio, conſtantia, & confidentia.*

XVI. Pergamus porro ad enumerationem conditionum, quas ex parte facultatum ſuperiorum ab homine exigit Deus, ut divinæ & ſolidæ ejus eruditionis ſit capax. Quarta ordine, ſed prima ex parte deſiderii, eſt, *deſiderii* ad Deum converſi *ardor*, qui ſi ad cujuſvis rei adeptionem (etiam in naturalibus) perneceſſarius eſt, multo magis is in ſupernaturalibus requiritur: hic enim eſt punctum ſaliens, uti & locus, amoris Dei, omnis rei complementi. Altera eſt ejus ardoris indeterminata *generalitas*; hoc eſt, ut Mens non determinate a Deo optet hoc & illo loco, modo, tempore, hæc illave dona, haud inquam naturalia, ſed ne quidem ſpiritualia & quæ gratiam concernunt: ut enim non eſt ægri ignari & ſtupidi Medico ſapienti præſcribere, quid Medicus ei debeat injungere aut propinare; ita nec ineruditi & ægri hominis eſt a Deo hæc vel illa dona, has illaſve in ſpecie vias, lumina, virtutes, operationes, ex ſe poſtulare. Id equidem mali non eſt ominis, nec a Deo in peccatum imputatur: eſt tamen imprudentis, & operationi eruditionique divinæ moram injicientis; maxime ubi pertinacia quædam tenacior bono ejuſmodi deſiderio eſt immixta. Deſideranda eſt igitur indeterminate divina in nobis eruditio atque operatio, ut nempe Deus, quocunque modo velit, ruditates noſtras elimineт, & duritíes emolliat: erudiat & operetur quidem in nobis, ſed eo modo

dô eaque menſura prout ipſe e re eſſe ſapientiſſime judicabit, poſthabito ad particularia noſtra (quæ abnegationis ſunt materia) reſpectu. Tertia conditio erit, Deſiderii *conſtantia*; ut ut a Deo diu repulſam ferre videatur. Hoc enim Juſtitiæ Divinæ eſt, ut, qui ſæpe Deum vocantem audire recuſavit, & ipſe clamans non ſtatim ad lubitum ſeſe audiri ſentiat; ne dicam ardorem deſiderii ſic augeri, ejus ſinceritatem infucatam ſic probari, hominis abjectionem & humilitatem ſic promoveri, gratiam denique Dei, cum tandem obtenta eſt, eo majoris fieri, quo longiori mora, labore atque ardore acquiſita eſt. Quarta conditio, conſiſtit in eo, ut exſpectet & confidat Mens ſe a Dei benignitate ea ſuo tempore obtenturum, quæ judicabit Deus ipſi ad ſolidam & ſalutarem Eruditionem profutura. Atque hiſce quatuor perficiuntur veræ *preces*, quas veluti clavem unam ad omnis Sapientiæ & Eruditionis inquiſitionem & adeptionem ipſe Deus Eruditor nobis diligentiſſime in Scripturis commendat, dum vult, (*a*) nos quærere, petere, pulſare, precari aſſidue, poſtulare bonum Spiritum ſuum, qui Spiritus eſt ſapientiæ & eruditionis, quemque ſe aſſeverat daturum petentibus. (*b*) *Si cui deſit Sapientia*, inquit Apoſtolus, *petat illam a Deo, qui eam omnibus confert... Sed in fide eam petat, non autem in fluctuatione atque dubitatione.* Habemus hic præ oculis in exemplum admirabilem illum Davidis pſalmum, qui or-

(*a*) Matt. 7:7. Luc. 11: 9, &c.

(*b*) Jac. 1:5, 6.

dine 119 occurrit, quique expreſſe eo fine nobis a divina providentia relictus eſt, ut ſit deſideriorum noſtrorum noctu diuque excitamentum, & exercitatio. Hac via experimento probavit & proteſtatus eſt David ſe ſapientiorem, ſe eruditiorem factum eſſe ſuis inimicis, magiſtris, ſenibus denique atque prudentibus ipſis. Hac via ſapientiſſimus proceſſit Salomon: (*a*) *Ut ſcivi*, inquit, *quoniam non poſſem aliter eſſe continens* (& hoc ipſum vera eruditio eſt, a vanis & malis contineri,) *niſi Deus det... adii Dominum & deprecatus ſum illum, & dixi ex totis præcordiis meis; Deus patrum meorum, & Domine miſericordiæ, qui feciſti omnia verbo tuo, & ſapientia tua conſtituiſti hominem, ut dominaretur creaturæ, quæ a te facta eſt... tecum Sapientia tua, quæ novit opera tua, quæ & affuit tunc cum orbem terrarum faceres, & ſciebat quid eſſet placitum oculis tuis, & quid directum in præceptis tuis. Mitte illam de cœlis ſanctis tuis & a ſede magnitudinis tuæ, ut mecum ſit & mecum laboret, ut ſciam quid acceptum ſit apud te: ſcit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis ſobrie, & cuſtodiet me in ſua potentia. Et erunt accepta opera mea, & diſponam populum tuum*, (quiſque quæ ſui ſunt officii, .) *& ero dignus ſedium patris mei*, (recuperare ſedem gloriæ, a qua Adamus defecit, & cum Chriſto, Fratre noſtro, throno ejus inſidere; Apoc. 2.) *Quis enim hominum poterit ſcire conſilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? Cogitationes enim*

Pſ. 119. v. 98. 99. 100.

(*a*) Sap. 8:21. & cap. 9.

enim mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ. Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam; & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Et difficile æſtimamus quæ in terris ſunt; & quæ in proſpectu ſunt invenimus cum labore: quæ autem in cœlis ſunt quis inveſtigabit? Senſum autem tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam & miſeris Spiritum ſanctum tuum de altiſſimis, & correctæ (eruditæ) *ſint ſemitæ eorum qui ſunt in terris, & quæ tibi placent didicerint homines?* Hæc ex parte deſiderii.

XVII. Ex parte intellectus, duas tantum conditiones requiri autumo: Primam quidem, præteritorum evacuationem; alteram vero, ab activitate præſenti & futura, abſtinentiam, ſive quietem. Et primâ quidem, intellectus, quia variis rerum non modo naturalium & humanarum, ſed & ſpiritualium & divinarum imaginibus ſive ideis, vel etiam, ut plurimum, præjudiciis ſollicitatur; ea omnia, quatenus particularia ſunt, a ſe removeat, ut purius & verius a fonte luminis lumen recipiat vel exſpectet; vel, ſi non recipiat, vacuitate ſua contentus, Deo diviniſque rebus gloriam hanc adorabundus tribuat, quod incomprehenſibiles ſibi ſint: quæ quidem agnitio eminentiſſima quæpiam eruditionis ſolidioris pars eſt quam ſæpiſſime. Dixi autem eam rerum, notionumve, etiam divinarum, ab intellectu remotionem ad particulares debere reſtringi, non vero ad generales extendi: nam Deum eſſe, æternum, poten-

17. *Ex parte intellectus conditiones duæ, evacuatio, (cum ſua exceptione) & quies. quænam evacuanda, etſi claro & diſtincte concipi putentur. Clara & diſtincta perceptio, criterium veri, in applicatione fallit Philoſophos.*

tem, juſtum, veracem, ſapientem, bonum, incomprehenſibilem: eum in Scripturis (ſi cui notæ ſint) eſſe locutum vera, eum adeoque eſſe incomprehenſibiliter Triunum, ad noſtram ſalutem incarnatum, paſſum, & ſimilia quæ ſacræliteræ tradunt; hominem in rectitudine conditum eſſe; per peccatum vero cum poſteris ita depravatum, ut ſine ſpeciali atque intimo Dei auxilio, operatione, lumine, motu, ad ſtatum priorem per purificationem veram redire nequeat; hæc inquam generaliora, talia ſunt, ut ſincera mens, cujus fundus & deſiderium iis, quas jam enumeravimus, diſpoſitionibus, ſunt prædita, de iis dubitare non poſſit, neque ſe eis evacuare: ſecretius enim a Deo operante retinetur hoc ne committat, ad quod etiam, dum ſincera, humilis, pia & precibus bene dedita eſt, ipſa neutiquam eſt propenſa. At vero aliud eſt hæcce fovere & retinere, aliud ſcrutari, cogitare, decernere ſpecialius, quid ſit in Deo, quid ejus æternitas, quæ, quanta, quibus viis procedant ejus potentia, juſtitia, veracitas, ſapientia, bonitas? in quibus conſiſtat, quæ proprie contineat adorabilis Trinitas? qui incarnatio ſit facta, quidve determinatius de viis Redemtionis, actionum & paſſionum Chriſti, divinis myſteriis ſenſu Scripturarum determinatiore ſit ſtatuendum: quid corruptio hominis & quanta; quid & qualis Dei intima operatio, & infinita ejuſmodi; quæ omnia in homine corrupto iſta ante divini luminis adventum determinante, ſi non fundi-

tus

tus falſata, ad minimum confuſa, obſcura, chimæris & monſtris quam plurimis intermixta non poſſunt non eſſe: Et quamvis ad Scripturas provocet homo corruptus, & falſa literalique eruditione caput infarctum habeat, temere revera nugatur, & hæreſes tantum ex iis fabricari aptus eſt, quamdiu Spiritu Eruditionis divinæ, unde Scripturæ emanarunt, non eſt præditus. Ut ut etiam ſe clare & diſtincte res concipere ſibi prorſus atque aliis perſuadeat, fallitur tamen: nam in rebus divinis, quin etiam in naturalibus & humanis, quatenus earum radix & natura penitior & ſolida, non autem una atque altera ex quibuſdam minutiis requiritur, ſciri nequit quid clara, quid diſtincta ſit perceptio, quid verum lumen ſpiritale & naturale, antequam per viam ſolidæ Eruditionis perque conditiones, quas annotamus, progreſſus ſit factus: alioqui, quivis ignes fatui, quævis vanæ & per ſpiritus erroris calliditatem lucis ſpecie delibutæ fictiones, veluti claræ & diſtinctæ perceptiones a nobis habebuntur: quæ obſervatio totum fere Carteſianiſmum, ejuſque, quam ad divina etiam extendere non verentur, methodum, labefactat. Plura dicam. Ipſi etiam ſancti atque illuminati, poſtquam ea quæ de Deo diviniſque luminoſe percepere, verbis vel ſcriptis, quam exactiſſime potuere, expreſſerunt, profitentur tamen, ſe, ſi quæ dixerunt cum rerum ipſarum veritate & excellentiâ conferantur, potius divina deturpaſſe, quin blaſphemaſſe & falſa dixiſſe, quam ipſas

res prout ſunt, vive prodidiſſe, nedum conceptibus & verbis adæquaſſe. Quam importuni igitur, (ut id obiter moneam) imo quam abſurdi ſunt qui e falſorum eruditorum grege, alios, ipſis in divina eruditione ſæpe immenſum provectiores, ad formulas ſuas ſcholaſticas, ſæpe ineptas, ne dicam ad conceptus ſuos obſcuros, tenebroſos, ſæpiſſime chimæricos & monſtroſos, quibus ipſimet res, ſua confeſſione incomprehenſibiles, non vere deſcribi fatentur, adſtringere decernunt, eos alioqui veluti hæreticos vel blaſphemos traducturi & diffamaturi; quia poſtquam verbis & formulis, cogitatiſve etiam non-nullis Magiſtrorum iſtorum abſtinuerunt, de myſteriis divinis quædam novo modo novâve nomenclaturâ dixere, quæ ad divinum in homine amorem, pietatem, humilitatem, ſanctimoniam, juſtitiam, veracitatem, bonitatemque provehendam, & ad mala averruncanda conferunt, ipſis myſteriis divinis in adoranda incomprehenſibilitate ſua interim tectis manentibus, atque, ut quæ vere incomprehenſibilia, infinita & ineffabilia ſint, ex animo agnitis & declaratis? Hujus iniquitatis a mundo condito infinita exempla hîc prætermitto, qui recentioris notæ quam plurima producere poſſem, ſi res id poſtularet.

Ex dictis abunde pateſcit alterius, quam abſtinentiam vel *quietem* ab activitate dixi, diſpoſitionis neceſſitas: qua enim ratione præterita, uti diximus, abdicanda ſunt, eadem etiam a ſimilibus, quæ & nunc & in

poſte-

poſterum offerrentur, quieſcendum eſt eodem modo atque ſenſu: alioqui abdicata imperfectio, obſcuritas, tenebræ, falſa & figmenta, iterum aſſumerentur; quæ in proprium ſcopum prævaricatio eſt. Nil autem evidentius per ſe eſt, quam Deum, divinum lumen, & quæ ex eo vivide ſequuntur, ab intellectu creato produci non poſſe: ſed ſi quæ ab illo produci putentur, vel conamina ſunt inania, quæ tenebroſa figmenta & confuſa tantum efficiunt; vel ideæ ſunt ſuperficiariæ, umbratiles, ſteriles, quæ a Ratione humana, ſive ab intellectu activo, facultate ad res externas, vel potius ad ſuperfieiarias picturas data, proficiſcuntur, & ad eruditionem ſuperficialem pertinent: ipſum enim intellectum verum & diviniorem, qui ad vera ſolida, divina, Deumque ipſum factus eſt, non niſi mere paſſive ſe habere ad objectum ſuum divinum & immenſum, eum erudiens, illuminans & replens, omnium clariſſima eſt notio.

XVIII. Superſunt ex parte divinioris facultatis acquieſcentiæ, quæ ad ſolidam eruditionem prærequiruntur, conditiones itidem duæ: una, ut acquieſcentia indeterminate & abſolute ſe tradat Deo erudienti & operanti, ob aliud nec lætans, nec gaudens, nec acquieſcens, quam quod Deo placeat mentem in ſuam diſcipulam ſuſcipere, & in ea erudienda operari eis modis, tempore, & circumſtantiis, quæ Divinæ ejus Majeſtati placebit ad lubitum ſuum determinare, ita ut mentis acquieſcentia in ſolam Dei voluntatem, quamvis ei abſurda, repugnans, & 18.

Ex parte acquieſcentiæ ad eruditionem conditiones duæ, traditio abſoluta ſui Deo, & patientia.

 ſtulta

ſtulta appareret, reſolvatur. Altera requiſitio eſt, ut facultas ea parata ſit & dolori, & inopiæ, & ipſi coram mundo infamiæ atque condemnationi acquieſcere & ſubjici, hoc eſt, vera patientia indui. Namque (ne impios commemorem, qui ex oppoſita malitiæ indole, probos vexationibus perſequi conſueverunt,) ſolet Deus quos erudire vult, veraque donare ſapientia, prius variis modis, anxiis, tenebroſis, triſtibus, animæ carnique horrendis, ad probationem, firmitatem, ſexcentaque alia, ipſis tunc incognita emolumenta admirabilia, caſtigare & exercere ex omni parte, intus & extus, ut in Joſepho, Davide, aliiſque theodidactis videre eſt: quem procedendi modum egregie deſcribit Syracides (cap. 4. & 6.) *Diſtorte quidem & in tentatione ambulatura eſt* (Sapientia) *primùm cum eo,* (erudiendo.) *Timorem & metum & probationem adducet ſuper eum, & cruciabit illum in tribulatione doctrinæ ſuæ, donec tentet eum in cogitationibus ſuis & credat animæ illius. Sed rurſus firmabit illum, & itinere recto adibit illum, eumque lætificabit: & denudabit abſconſa ſua illi & theſaurizabit ſuper illum ſcientiam & intellectum juſtitiæ.*

19. *Ad eruditionem fundi & ſuperiorum facultatum, quid ex parte rationis & inferiorum facultatum requiri poſſit.*

XIX. Atque iſtæ ſunt fundi & divinarum facultatum, a quibus erudiendis incipiendum eſſe diximus, diſpoſitiones, quæ ex illarum parte requiruntur, ut earum actor ac Eruditor Deus, eas ſuſcipiat ſolide erudiendas. Hanc autem Eruditionem quia ad rationem infimaſque facultates corporeas non referimus primario & directe, ideo de harum facultatum ad illam requiſitis, præterea quæ jam

jam dictis implicita ſunt, non hic erimus ultra ſolliciti. Interim, cum ex nota tertia ſuperiore (artic. 14.) pluribus ſimul vacare non poſſimus, & exercitium indebitum unius facultatis alteram impediat, requiritur hîc indirecte ex parte rationis & aliarum inferiorum, ne ultra quam neceſſe eſt, agant: corporeæ quidem non pluſquam neceſſe ſit ad vitæ corporeæ conſervationem; ratio vero tum ad hoc ipſum, tum ad promotionem conditionum modo dictarum in facultatibus ſupremis: alioqui hæ impedirentur.

Deus prævenit mentes juvatque, ut illæ ei conditiones offerant debitas.

Quis ordo hoc in negotio obſervetur.

At vero, inquies, dictas haſce conditiones ſi offerant facultates ſupremæ prius quam agat Deus, nonne prius ipſæ eruditæ fuerint à eaſne etiam poſſe conditiones haſce ſine Deo præcedente dare cenſendum eſt? Abſit hoc ut ſtatuam. Prævenit omnes mentis diſpoſitiones Eruditor Deus impulſibus ſuis; ſed generalioribus, iiſque, qui mentibus vim dant, qua ſi bene, ſicuti diximus, uſæ fuerint, (id quod generalior nonnulla eruditio cenſeri poteſt) tum demum ad ſpecialiſſimam & proprie dictam, de qua nobis quæſtio eſt, Eruditionem a Deo ſuſcipiuntur & exercentur; aliter, remotæ ſi hæ ſint conditiones, non ſuſcipientur: quæ cauſa eſt cur diutius iis atque operis hujus brevitas poſtulare videbatur, indicandis inſtiterimus: ſed neque id inique: non enim per dies aliquot, ſed & per menſes, & per annos, forte & per luſtra in his fuerit ſerio & de facto Mens exercenda, antequam ſeſe in diſcipulam ſentiat aſſumi: Nonnunquam pulſandum diu & con-

ſtanter ut aperiatur: quamvis Deus tamen agere & erudire interim tacite & ſecretius incipiat.

Cæterum vix credo opus eſſe ut moneam, id quod lector per ſe ſatis animadvertet: me videlicet in acquiſitione eruditionis explicanda temporis ordinem non ſpectare, quaſi vellem ut ab hominis infantia perſequentes ætatis periodos hac ſerie procederetur. Ordinem rerum, ipſarumque naturæ & dignitatis, hîc & in ſequentibus propono, hominemque non infantem, ſed facultatum ſuarum ſuperiorum uſu vel utendi facilitate præditum; is enim, præviis conditionibus præcedaneis, operationum erudientis Dei capax eſt.

20. *Qui mens erudiatur ſolide quoad diſpoſitiones prævias.*

XX. Atque primo quidem ſolet æternus Deus, qui pro ſe ſolo, proque ſuis operationibus Mentis fundum facultateſque diviniores, (jam rudes, aſperas, & confuſas,) creavit, ita erudire mentes, ut quas illæ craſſiore minerva dedolatas obtulerint diſpoſitiones, is gradatim & perfectiores & immenſiores, & divinas prorſus atque puriſſimas efficiat, reddendo videlicet perfectas, immenſas, puriſſimaſque ſinceritatem, humilitatem, rerum cæterarum abjectionem, ad ſe unum converſionem, cupiditatem ſui ardentem, indefinitam, conſtantem, fidentem; intuitum intellectus nudatum, quietum, continentem, caſtum; acquieſcentiam illimitatam nec non quorumvis patientiſſimam: quæ omnia, quia longioris operis eſſent, non explico: continent enim inter alia ipſiſſimam, quam Theologi nonnulli nominant,

minant, Animæ paſſivam purificationem, uti quam activam vocant, iis quæ mox præcedunt involvitur.

XXI. Sic autem Deus Mentium noſtrarum dura, craſſa, rigida, rudia, incompoſita ramenta, aſperitates, aliaque mala, quæ peccatum intulerat, erudit & amputat. Nec vero tunc ſubſiſtit & ceſſat: ſed deinde, expulſis formis incompoſitis atque monſtroſis, ſuam Menti divinam atque æternam formam reddere, eam polire, ornare, perficere aggreditur: quæ divinæ, ſolidæ, & nunquam perituræ Eruditionis pars eſt præcipua. Id autem exequitur divinus ille Præceptor atque Eruditor, Luminumque Pater, dum capacitatem Mentis æternam, ſive fundum immenſum, ad æternitatem Dei factum, ſic ſua afficit æternitate, ut Mens revera elemento æterno immergi videatur, nil niſi æterna ſapiens & ambiens, cæteris quibuſcunque nauſeæ & horrori habitis, niſi quantum æterna referunt & promovent. 21.

Qui Mens, quà æterna in fundo erudiatur.

Qui ejuſdem facultates ſuperiores & immenſa, deſiderium, intellectus, & acquieſcentia, erudiantur divine.

Pariter & deſiderium, & intellectus, & acquieſcentia imbuuntur, penetrantur & quaſi condiuntur glorioſis & delicioſis Dei Patris, Filii & Spiritus adorandi potentiis atque virtutibus, juſtitia, luce veritateve, amore, lætitia, bonitate, ſapientia, prudentia, aliiſque infinitis, quas Anima deſiderio iiſdem vulnerato & transfixo amplectitur, oculo intellectus ſupernaturaliter evecto intuetur, acquieſcentia divinifata, ut ſic loquar, deguſtat, modis admirandis, unde ipſa redditur divinitus potens, dives atque

virtuoſa, juſta, verax, bona, læta, ſapiens, prudens, & verbo, ipſi ſimilis Deo, cujus vitâ vivit & animatur: hæc, inquam, omnia experitur modis, vel, (cùm modus vox abjecta ſit nimium,) realitatibus centraliſſimis & exaltatiſſimis, admirandis, ineffabilibus, immenſis, captum omnem, rationem, imaginationem, virtutem humanam omnem tanto magis ſuperantibus, quanto arenulæ granulum ab immenſitate totius univerſi ſuperatur: Clarius enim eſt luce, Deum ejuſque potentiarum vividos actus, tanto, & adhuc majori, humana ſuperare intervallo. Hinc eſt quod homines meri, quantumvis induſtria, eruditione humana (ſuperficiaria & falſa) polleant, ad hæc plane cœcutiant, eaque parum abeſt quin coram irrideant, & pro figmentis plurimi traducant, haud ſecus ac oculis capti ſi ſe ſolos conſulant, quæ de modo cognoſcendi per lumen & colores proferrentur, riſu exciperent miſeri.

22. *Hanc eruditionem ſolam eſſe ſolidam, permanentem, & homine dignam.*

Ex ea ſequi eruditionem, omne cum externis commercium ſpectantem, quæ ſine hac mere ſuperficiaria eſſet.

XXII. Hæc vero eſt Eruditionis veræ atque ſolidæ ſubſtantialis eſſentialiſque pars, theſaurus & cor. Hæc forma illa divina, immortalis, ſolida, nunquam peritura, ſubſtantiam intimam & facultates mentis æternas, principales, immenſas, concernens, implens, perficiens & beans: hæc Eruditio ſola homine (creaturâ æternâ) vere digna, ei neceſſaria, utilis, jucunda, ad quam proprie factus eſt, & quâ poſt ejus amiſſionem, debet iterum de novo muniri & erudiri, cæteris ex animo ei viloſcentibus: quia præter hoc quæcunque ſunt, nil ſunt niſi vanitas vanitatum,

&

& omnia vanitas, uti hominum ſapientiſſimus & eruditiſſimus expreſſis verbis declaravit.

Hac Eruditione politus & præparatus divinus ille & immortalis æterni ædificii lapis, Mens noſtra, ad divini palatii, quod Deus inhabitare vult, exſtructionem quam maxime conſentanee & ſummo cum decore atque ornatu adaptatur; & non ſolum cum divino Inhabitatore, ſed & cum cæteris totius domicilii lapidibus, nec non ornamentis, quam congruentiſſime convenit & intercedit. Hoc eſt, oratione ſimplici rem ut eloquar, non Dei ſolum rerumque divinarum reſpectu mens erudita eſt, cum illis ut congruat, habeat commercium lucis, uſus, diſpoſitionis, fruitioniſque aptiſſimæ; ſed & ut id ipſum, ſuo tamen gradu, cum quibuſvis aliis creaturis, ſeu ipſi æquales naturâ ſint, (uti mentes cæteræ,) ſive inferiores, (ut res corporeæ & naturales,) habeat, cum illis optime ex vera luce, ſive ex vera illarum cognitione, uſu, diſpoſitione & fruitione concordet, hac quidem in vita quantum neceſſe eſt; olim vero, pleniſſime & ſuper omne jucundum. Neque enim committere poteſt Sapientiſſimus Deus, ut quæ res ſecum concordat optime, ea a cæterarum ſuarum creaturarum harmonia, ordine, uſu & vinculo neceſſario atque a Dei ſtatuto, ſit diſcors; cum utrarumque una eademque ſit origo, unus omnium conditor & conformator, Deus, qui eo ipſo dum mentem divinitus erudit & ſibi aptat, ſeque adimplet, eo ipſo

quoque illi principia atque ſemina ſolida infundit eruditionis quæ res alias ſpectat & reſpicit, idque ſine Rationis humanæ laborioſa excuſſione & inveſtigatione, ac multo magis etiam ſine chartarum humanarum a ſeculi eruditis conſcribillatarum & commaculatarum tædioſa evolutione & devoratione. Etenim ab æternis & inviſibilibus rebus viſibiles & temporariæ proceſſerunt: unde eſt, ut qui ſolide illas inſpicit, novit, tenet, cumque iiſdem apte ſe gerere novit; has quoque, quæ ectypæ ſunt ab archetypis illis, noſcat, teneat, & cum iiſdem ſeſe optime gerat. Et quamvis iſtarum particulariores ideas & diſtinctiores in ſpecie nec haberet antequam ageret, imo nec poſtquam egit; Deus tamen ille, qui Mentem ejus ſibi erudiit eamque inhabitat & vivificat, ſecretiori ſuo impulſu & regimine ſic eum regeret, ut nil non aptiſſimum & decentiſſimum inter quæcunque verſaretur, committeret.

23. *Experimenta facti.*

Inter modos quatuor quibus eruditio ſolida contingit, primus iisque generalior, in mente, Deo ſe & ſua offerente: unde Deus ex

XXIII. Atque hæc fuit ſanctorum univerſalis Eruditio, diviniſſima ea, ſapientiſſimaque, quâ, ſine ullo idearum penu, de rebus quibuſvis, tunc cum tempus & circumſtantiæ præciſe id poſtularent, cogitabant & diſponebant ſapientiſſime, illarum extra uſus neceſſarii caſum, prorſus ignari vel obliti. Illorum immortales & æternæ Mentes, Deo ſuo, ad quem factæ, quemque culpâ ſuâ amiſerant, divina jam eruditione inventa, ſic gaudent, cæteris contemtis; ut ab illo ad cætera vana ſeſe diſtrahi neutiquam patiantur. Cum tamen animadvertant ſe nonnullum

lum cum eis habere nexum, eumque neceſſarium, primo quidem ſuſpirant gravati, ut cum (*a*) Paulo loquar; deinde vero ad Dominum ſuum animitus ſeſe convertentes, ex timore ne eum denuo ut olim amittant, eum "precantur ſupplices, Qui ſolus & tibi & "nobis ſufficis, Domine, quique conſpicis "miſeriam noſtram, quâ cogimur inviti de "aliis ac de te uno interdum cogitare & oc-"cupari; qui noſti, Te quidem (*b*) *homi-*"*nem creaſſe rectum, ipſum vero* diſtractione "externorum ac *inquiſitione* idearum & *ratio-*"*cinationum multarum* ſuarum, a tui poſſeſ-"ſione dejectum eſſe, eum (*c*) vanum diſ-"curſibus ſuis eſſe redditum; ejuſque cor, "ſapientia vacuum, eſſe obtenebratum, dein-"de in ſenſus reprobos traditum; itane nos "& eidem periculo expoſitos patieris? Ec-"ce in te omnium quæ nos concernunt, cu-"ram rejicimus; ſuſcipe tu eam; tu de rebus "internis, externiſque, de viis, de offi-"ciis, de actibus, de locis & temporibus, "de ſtatu & labore, de poſſidendis & relin-"quendis, de adhibendis & rejiciendis, de "ſciendis & ignorandis, de loquendis & ta-"cendis, de ſanitate & morbis, de vita & "morte, ubi & uti opus eſſe ſcis, mone, age, "diſpone, elige & rege ad placitum, ne "earum rerum adhæſione, amore, affectu, "inani gloriatione, voluptate, inimicique "ſub eis latentibus tricis & aſtutiis implici-"ti, a te ſeparemur iterum. Quam quidem mentis & viarum oblationem non modo nón rejicit Deus; ſed & ultra ſpem omnem atque

tempore illi ad omnia perſpicit & ſufficit.

(*a*) 2 Cor. 5: 4.

(*b*) Eccl. 7: 29.

(*c*) Rom. 1: 21, 22.

atque deſiderium adimplet. Hoc Sacri eruditi, hoc quotquot ſe Deo ſic tradiderunt, pleniſſime ſunt experti; hoc David, ne teſtimonio omni abſtineamus, calculo ſuo approbat: (a) *Revela Domino* (vel *rejice in Dominum*) *viam tuam*, & *ſpera in eo*; & *ipſe faciet*: hoc exemplo proprio confirmat: namque poſtquam ſæpius conſtantiuſque vias ſuas Deo commendaſſet, rogaſſetque eum ut ſe dirigeret, ſeque Spiritus ejus bonus in viam rectam duceret, ait poſtmodum confidentiſſime & lætiſſime, (b) *Dominus regit me, & nihil mihi deerit. In loco paſcuæ ibi me collocavit: ſuper aquam refectionis educavit me: animam meam convertit. Deduxit me ſuper ſemitas juſtitiæ propter nomen ſuum. Quin & ſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es: virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Paraſti in conſpectu meo menſam adverſus eos qui tribulant me: impinguaſti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quam præclarus eſt! Et miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ, ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum.* Similia exempla millena in omni re, virtute, regimine, notitia, praxi videre eſt abundantiſſime in divinis & ſolide eruditiſſimis illis ſolitariis, qui apud Palladium, Ruffinum, Caſſianum, Theodoretum, Eccleſiaſticoſque hiſtoricos Sozomenum, Socratem, Euagrium, alioſque occurrunt.

(a) Pſ. 37. 5.

(b) Pſ. 23.

24. *Secundus* XXIV. Verum quando Deo placitum eſt Mentem de rebus quibusvis particularius infor-

formare, deque earum ideis ſpecialioribus luminoſe & diſtinctiſſime erudire, hoc admirando juxtà & facili modo exequitur. Nam cum ille fundum mentis ſecretius inhabitet qui rerum omnium cauſa eſt & archetypus, qui fundamentum, baſis, radix, vis & ratio eſt univerſorum, (a) *omnia ferens verbo potenti ſuo*; quando omnipotens & immenſa illa Majeſtas, omnia ſecum portans, e fundo mentis evigilare aut exurgere vult, & ſeſe talem menti ſpectandam præbere, tunc ecce, (o admirandum ſpectaculum!) pervidet mens in nictu oculi cum immenſa illa Majeſtate totam univerſi molem, infernalem, cœleſtem, atque terreſtrem, cum omnibus creatis ad radices uſque primas ſuæ realitatis. Videt in Deo potentes, luminoſas, delicioſas proprietates numinis, quî eas infinitis modis combinaverit, cumque iis diverſimode luſerit divina Sapientia: quî ad illarum diverſas combinationes & ordinationes repræſentandas, rerum creabilium infinitas ideas effinxerit, quarum quæque ſuum divinum luſum divinarumque virtutum complexionem repræſentat; quî ex divinarum virtutum proprietatumve ſuarum, diverſimode complicatarum, per potens deſiderium ſuum imprægnatione, res omnigenæ natæ ſint & emanarint, quæ in ſe habent non perituras impreſſiones virtutum originantium atque archetyporum ſuorum. Videt præterea mens in eadem Majeſtatis glorioſa manifeſtatione, quî illa ſe gerat cum creaturis ſuis ſpiritualibus beatis, quî cum miſeris, quî

quidam modus adepta eruditionis ſolidæ divinitus infuſa, & ad omnia ſpeciatim ſe extendentis: cum exemplis facti.

(a) Heb. 1.

quî cum hominibus bonis, malis, infirmis. Ex quibus omnibus ſolida eruditio, & ad ultimos usque receſſus penetrata ſcientia *Metaphyſica*, *Phyſica* & *Ethica*, (ad quas ſcientiæ cæteræ omnes reduci poſſunt, uti & ex iiſdem pendent) in homine tali exurgit. Ita doctus eſt Salomon per ſtupendam illam Majeſtatis Sapientiæque divinæ poſſeſſionem & manifeſtationem, ex qua omnia ei abundavere: (a) *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius; & lætatus ſum in omnibus, quoniam antecedebat me iſta Sapientia; & ignorabam, quoniam horum omnium Mater eſt. . . Infinitus theſaurus eſt hominibus, quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei propter eruditionis dona commendati. Dedit mihi Deus dicere ex ſententia & præſumere ſigna horum quæ mihi dantur; quoniam ipſe ſapientiæ dux eſt & ſapientium emendator: in manu enim illius & nos & ſermones noſtri, & omnis ſapientia, & operum ſcientia ac diſciplina. Ipſe enim dedit mihi horum quæ ſunt ſcientiam veram, ut ſciam diſpoſitionem orbis terrarum & virtutes elementorum, initium & conſummationem & medietatem temporum, viciſſitudinum permutationes, morum mutationes & diviſiones temporum, anni curſus & ſtellarum diſpoſitiones, naturas animalium & iras beſtiarum, vim ventorum & cogitationes hominum, differentias virgultorum & virtutes radicum, & quæcunque ſunt abſconſa & improviſa didici: omnium enim Artifex docuit me Sapientia. Eſt enim in illa Spiritus intelligentiæ San-*

(a) Sap. 7: 11, &c.

Sanctus, unicus, multiplex, ſubtilis, diſertus, mobilis, incoinquinatus, certus, ſuavis, amans bonum, acutus, qui nil vetat bene facere, humanus, benignus, ſtabilis, certus, ſecurus, omnem habens virtutem, omnia proſpiciens, & qui capiat omnes ſpiritus intelligibiles, mundos, ſubtiles: Omnibus enim mobilibus mobilior eſt Sapientia, attingit autem ubique propter ſuam munditiam: vapor eſt enim virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis Dei omnipotentis ſincera, & ideo nihil inquinatum in eam incurrit: Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Majeſtatis Dei, & imago bonitatis illius. Et cum ſit una, omnia poteſt, & in ſe permanens omnia innovat, & per nationes in animas ſanctas ſe transfert, amicoſque Dei & Prophetas conſtituit. . . . Attingit a termino ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter. Hanc deſcriptionem, etſi longiorem, prætermittere nolui, quia & admirabilis eſt, & exemplum divinitus de rebus quibuſvis eruditi continet, quod etſi rarius, non tamen & alia exempla deſunt: hoc enim modo eruditus fuit olim quidem Joſephus, qui deinde & ipſis Ægypti Sapientibus erudiendis præfuit; neque poſterioribus etiam ſeculis ſimilia exempla defuere hic jam non recenſenda.

XXV. Solet & nonnunquam Deus de rebus externis & neceſſariis erudire ſuos tertio quodam modo, a duobus jam recenſitis diverſo; dum videlicet eis non actuales quaſdam pro tempore notitias aut motus; non univerſalem & in habitu durantem omnium ſcien- 25. *Tertius eruditionem habendi modus: & cur ejus experimenta pauci capiant.*

ſcientiam; ſed particularem quandam, durabilem tamen, certis de rebus quæ eo tempore ſunt neceſſariæ, ſcientiam infundit. Ita olim Noacho architectonicam, cum arca fabricanda eſſet, qua ab aquis diluvii ſervaretur cum omni animantium genere: ita Jacobo eam phyſicæ partem, quæ multiplicandis ejus gregibus inſerviebat: ita Berſaleëli, quotquot artes Tabernaculo Dei exſtruendo, vaſis ornandis, & veſtibus Sacerdotum conficiendis, conferre poterant, ſuggeſſit Sapientiſſimus. Hæc autem præſtat Deus erga illos qui ad æterna divinamque voluntatem ſolum anhelantes, de cæteris ſeſe ejus committunt providentiæ, quæ talibus nequit omnino deeſſe: pertinent enim iſta ad illa *cætera* de quibus promiſſum Chriſti,
(a) Matt. 6:33. (*a*) *Quærite primo Regnum Dei*: *& cætera adjicientur vobis*. Non autem hæc ultra neceſſaria debent extendi, eaque neceſſaria, quæ Deus ad æternitatem ſalutemque conducere novit. Equidem & in neceſſariis Deum hîc defuturum omnes fere ſuſpicantur; & revera ſi id experimento tentare vellent, falleret procul dubio plurimos eventus. Verum id non a Dei, ſed ab hominum defectu procedit, qui fide, qui reſignatione vera, qui conditionibus ſupra enumeratis omnino deſtituuntur. Si eis eſſent præditi, & tamen in erudiendo deeſſet Deus; tunc anſam & ſuſpicandi & conquerendi haberent: ſed quod iis conditionibus privati, imo contrariis, animo malo, elato, a Deo ad creaturas converſo, tepido, impuro

puro, inconſtanti, inſidenti deſiderio; intellectu turbulento & nugis perpleno, propria & impatienti acquieſcentia affecti, nil de divina hacce eruditione ſe experiri conquerantur, id abſurdiſſimum & inſanum eſt querelæ genus. Retrahunt nos a Deo non tantum hæc, quæ jam enumeravimus, mala; ſed & improvidæ & fallaces providentiæ noſtræ, ſtudiaque propria, ex Dei diffidentia, ex avaritia, cupiditate oculorum, honorum voluptatumve ſiti, oriunda, quæ nos prorſus divinæ curæ ſubtrahunt, ejuſque reddunt indignos providentia; cum huic minus fidatur quam miſeris mortalibus ab unoquoque fit quotidie: Nemo enim eſt, qui, etſi ſciat ſibi neceſſaria eſſe cibum & potum, veſtes & ædes, vaſa & inſtrumenta, tentet tamen omnes eas artes, quibus iſta parantur, ediſcere: de his unuſquiſque in hominum ſocietatem, in qua ſibi ſatis proſpectum iri confidit, totus recumbit, unam ſolummodo, cæteris prætermiſſis, artem amplectens. Eccur nos, ad Deum & æterna conditi, arte una Deum & æterna amplectendi, cæteris dimiſſis, non occupamur, confiſi, Deum de cæteris rerum notitiis atque peritiis, in quantum nobis vere neceſſariæ erunt, proſpecturum vel per ſe ipſum, vel per alios a ſe ad id impulſos vel oblatos? Etiamne hoc reſpectu neceſſe eſt id impleri verbum Chriſti; (*a*) *Filius hominis cum venerit, putatiſne eum in terris reperturum fidem?* (*a*) Luc. 18.

26. *Quartius*

XXVI. Dixi modo Deum de iſtiuſmodi eru-

veram eruditionem acquirendi modus, videlicet per aliorum tum ſcripta, tum voces.

Qui hic ſe gerendum.

Modi hujus cauſſa & neceſſitas.

Vocis vivæ præ ſcripta prærogativa.

In eis quæ rationem & infirmas facultates concernunt, quatenus cum his nectuntur, ſimili quodam modo procedi.

eruditione vel per ſe, vel etiam *per alios* proviſurum; quod nos quarti cujuſdam eruditionem adipiſcendi modi facit memores. Vult enim interdum Deus non ita, ut tribus primis, ſine mediis, ſed aliorum interventu homines erudire, idque & in mere ſpiritualibus atque divinis, & in iis quæ inferiorum ſunt facultatum atque rerum. Et quidem quoad ea quæ Deum diviniores ſque mentis facultates Deo diviniſque aptandas & replendas reſpiciunt, quoniam hominum pars maxima ita ſtupida, incraſſata & male diſpoſita eſt ut Deo, etſi interiùs vocanti, conditionibus requiſitis correſpondere, ſeque ei aptare non poſſint, imo vix ejus dictamina intelligant; hinc, procurante Numine, habent qui ipſos eò veluti manu, modoque craſſo & palpabili, eorum ruditati congruente, adducant.

Hiſce vero Ductoribus, ubi certo dignoſcuntur, (quod animis deſiderantibus & ſinceris facile efficit Deus: harmoniam enim eam inter veri eruditoris vocem, diſcipulique ſinceri ſenſum internum ſtatuit, ut ſe inde vere affici ſentiat eo modo de cujus veritate in conſcientia ſua certus eſt, quemque ab errore diſcernit, uti Paſtoris vocem diſcernunt, oves a voce latronis, illamque hac rejecta, ſequuntur,) talibus, inquam, ubi dignoſcuntur, ſeſe ob Deum ex animo ſubjicere, palmarium eſt, nec ſine ingenti utilitate, Deique benedictione poteſt fieri, ita ut interdum etiam emolumentum majus inde eveniat, quam ſi Deo ſoli immediate mens vel ſubjecta fuiſſet, vel ſubjici voluiſſet:

ſet : Nulla enim mens adeo ſuperba eſt, quin ſibi videatur ſe Deo vel ſubjectam eſſe, vel ſubjici velle, imo & ex-animo ſe coram Deo humilem, & ad ſua mandata obeunda paratam exiſtere: quæ fallacia & ſuperbia (impedimentum primum eruditionis ſolidæ divinæque) tolli non poteſt per ſubjectionem, quam mens quæque ipſi Deo immediate offerre parata eſt: quis enim vel e ſuperbiſſimis ab ipſo Deo immediate dirigi, juberi, eique ſic ſoli ſubeſſe recuſet, & non potius id gloriæ ducat, ſuperbiamque ſuam inde augeat, quæ quo major, eo magis ad Deum ſolum provocare geſtit? At vero propter Deum ſeſe ex animo aliis ſubjicere, non habito reſpectu ad ea quæ vel natura vel mundus in iis magni vel parvi æſtimat, ſive nempe nobiles ſeu ignobiles ſint, literati vel illiterati, celebres vel contemti, viri an mulierculæ, modo Deum poſſideant, ſintque ab eo eruditi; hoc cordis ſuperbiam frangit & eliminat; neque hic ſuperbo cordi dabitur ſubſiſtere. Vel enim ſeſe iis, quos mundus reputat viliſſimos, ſubjiciendo, humiliabitur; vel ejuſmodi viarum & humiliationis irriſor, ſuam prodet ac retinebit ſuperbiam, hac occaſione, (eo quod ad lapidem Lydium probata ac detecta fuerit,) eo improbiorem, furioſiorem, atque in probos magis indignabundam & calumniis perſecutionibuſque graſſantem: dum interim ſinceræ humileſque animæ ex utraque proficient parte: Nam ſuperborum mundanorumque convicia, calumnias, irriſiones, nec non perſecu-

ſecutiones tolerando, ſic magis magiſque humiliabuntur, nec non a creaturis & ab omnibus quæ reſpicit mundus, ſeparari diſcent: nec minus proficient ſeſe vel viliſſimis Dei inſtrumentis atque organis ſummittendo, & ad eorum vocem omittendo vel exequendo quæcunque ipſis indicabuntur. Atque hoc tum tutius eſt, ſiquidem cor noſtrum, cum de faciendis & omittendis, de veris & falſis, de divinis & moralibus illud interrogamus, ſæpe nos imbecilles fallat; id quod Mens a Deo erudita, & aliis erudiendis a Deo præfecta, facere non poteſt: tum etiam id ipſum eſt perfectius; plus enim eſt Deo & creaturis, quàm Deo ſoli velle ſubjici: quare id quoque benedictione divina fit cumulatius: namque vel uno ejuſmodi ſubjectionis actu, plus, proſperante Deo, proficit ſincera mens, quam infinitis aliis quos ex propria voluntate vel ipſi Deo exhiberet: ne dicam eos qui vere a Deo præficiuntur, nil revera aliud inculcare, nil pro ſcopo aliis commendare, quam ipſaſmet, quas diximus ad eruditionem ſolidam requiri ex parte hominis, conditiones, ſinceritatem videlicet ſimplicem, humilitatem, a creaturis defectionem & ad Deum converſionem, deſiderium Dei æternorumque ardens, illimitatum, ſtabile, fidens; intellectus puritatem & tranquillitatem; acquieſcentiæ continentiam & patientiam; in quibus nulla prorſus fraus, nullum periculum ſubeſſe poteſt: hæc enim fraudum & periculorum quorumvis ſunt ipſiſſima, omniumque potentiſ-

tentiſſima alexipharmaca; queis Deus nec novit potentiora, & vero illis uti, ut ſic dicam, cogitur ad hominum, maxime vero improborum literatorum fraudes, ſuperbiam, faſtum, edomanda. Iſta enim eſt ratio cur Deus voluerit literatos interdum vel illiteratis idiotis, ut Prophetis & Apoſtolis, vel ſimpliciſſimis mulierculis, veluti Deboræ, Huldæ, Magdalenæ, aliiſque ſexus ſequioris ſubjici; &, ubi corruptio ſuperbiaque invaluerint, ſimilibus quoque ſubjicere decreverit; quoniam videlicet virorum maxime doctorum, dolus, aſtutia, faſtus, adhæſio rebus mundi ſibique ipſis, deſiderium proprium ſeu propria voluntas, res inanes ſciendi cupiditas & curioſitas, inconſtantia, propria confidentia, propria ſapientia, rationis audacia atque activitas, ſui quæſitio, impatientia, loquacitas & docendi præſumtio, non aliter coërceri, impugnari & frangi, non aliter domari, ſupprimi & deleri poſſunt, quam per ea quæ illis ſunt maxime oppoſita, & veteris hominis ambitioſum fermentum reprimentia.

Hæc autem, quâ Deus utitur, homines erudiendi per alios via, eaque, quæ ipſi debetur ſubjectio, non tantum ad illos, eorumve ſcripta vel monita, qui dudum mortui ſunt, referendæ ſunt; ſed & maxime de his, qui quovis tempore in vivis ſunt, debent intelligi: Deus enim, qui ſe non priſtino tantùm, ſed & quovis tempore, mentibus puris aptiſque communicat, & eas per ſe erudit, quovis etiam tempore ad cæterarum eruditionem

eiſdem utitur. Ipſa præterea hominum erudiendorum & domandorum ſuperbia & pertinacia, non ita ſuperantur ſcriptis, & dudum mortuorum præceptis (queis ſine multa repugnantia, imo cum honorifico ſui incremento, cedunt,) quam vivorum exemplis atque voce. Accedit quod non-viventium ſcripta facile poſſint gloſſis & interpretamentis adulterinis ſine ſui reluctantia eludi & corrumpi: non ita viventium voces & opera; quippe qui ſe ipſos ad quamvis occaſionem explicant, a falſis interpretationibus vindicant, ſenſus ſuos multifariam inculcant, conſiliaque & documenta pro varia auditorum diſpoſitione, variant & diverſimode diſpenſant applicantque, dum interim ſemper ad interiora, internumque Eruditorem Deum remittunt, ſe nil niſi ad illum manuductores & monitores, neminem interius illuminantes & erudientes, humiliter profeſſi.

Quod ſi quis obtenderet, tum difficultatis nodum hîc eſſe, reperire nempe certo tales; tum periculoſum quoque eſſe alieno magis quam ſuo judicio niti; is vel elementa viarum Dei ſe neſcire ſic teſtaretur: hoc enim, quod ultimo prætendit, aut nullum eſt, aut evertit, quæcunque Deus olim per Sanctos egit. Nullum majus periculum quam a judicio proprio; nullum vere periculum illi, qui mente ſincera, deſiderio cæteriſque diſpoſitionibus bonis præditus, infucate quærit Dominum qui tunc ejus protector eſt, præſervans eum a lapſu; (a) *ſimplices* enim, ut ait Pſal-

(a) Pſ. 116:6.

Pſaltes, *cuſtodit Dominus*; tum etiam ejus eſt Ductor, eum ad vera ſui inſtrumenta adducens, atque etiam criterium luminis & acquieſcentiæ intimum largiens, quo ſciat ſe tales reperiſſe, in quibus Deum erudientem magis audire poſſit eique morem gerere, quam vel ſpectare creaturam, vel ei obtemperare.

Hæc vero de iis præcipue quæ diviniora ſunt, quæque diviniores facultates quoad æterna miniſterio hominum erudiendas primario reſpiciunt. Solet etiam Deus, ut diximus, quoad exteriora & quæ facultates rationis, ſenſuum, & ſi quæ inferiores ſpectant, humano miniſterio & medio uti ſæpius, idque ubi opus eſt. Sic, opus eſt arte nonnulla? opus eruditis qui eam doceant? opus deſiderio neceſſaria diſcendi? ſuppeditat peritos, mittit atque convertit eruditos, impellit erudiendos ad ea diſcenda & exercenda quæ eis neceſſaria ſunt & ad æternitatem proficua, relictis millenis nugis & inutilibus occupationibus, ad quas qui proprio impulſu feruntur & dictamine, præter inutilia onera, & noxia figmenta, nil colligunt. Hic nonnullarum regularum Rationis, quæ tunc exercetur, decet nos eſſe memores, Eam videlicet non niſi ex motivo ſive impulſu divino, nec niſi ad Deum recurrendo, & per intervalla, debere exerceri, ſervata proportione inter æterna ſolida atque temporaria & momentanea evanida.

LIBRI PRIMI

PARS ALTERA,

quæ eſt

DE VERÆ ERUDITIONIS POSSESSIONE.

ET hactenus quidem de Eruditione Solida reſpectu acquiſitionis conſiderata. Conſideranda nnuc eſt & in ſtatu poſſeſſionis; deinde in ſtatu communicationis: in quibus erimus breviores, quia quæ acquiſitionem ſpectant, quoniam primaria erant, & omnium origo, non debuerunt non copioſius perpendi.

27. *Veri Eruditi proprietates.* *Omnia bona præcedentia in eo firmari & augeri.* *Qui deſiderium, quod vacuitatem ſupponit, ſemper augeatur.*

XXVII. Ejus, qui Eruditionem Solidam eſt adeptus, quidam ſunt, reſpectu ſui, Dei, rerum æternarum & divinarum, rerum temporariarum, proximi denique ſui, characteres, quos obiter libet recenſere. Et primo quidem, omnes, quas habuit hactenus ad eruditionem veram adipiſcendam diſpoſitiones bonas, quaſque Deus illi inſuper infudit prærogativas, virtutes & dotes, non tolluntur; ſed econtra, magis magiſque augentur. Hæc quænam ſint, quoniam aliquoties ſupra memoravimus, hic loci non reſumam.

At quoniam inter haſce conditiones nonnullæ

nullæ vacuitatem veluti quandam denotant, & realitatis ſive boni, aut luminis per eruditionem acquirendi abſentiam; quæri poteſt, quomodo eruditione adepta, ejuſmodi diſpoſitiones, vacuitatem & abſentiam boni per eruditionem acquirendi includentes, augeri dicantur. Hoc vero ex admiranda boni æterni natura, quæ infinita & interminabilis eſt, nec non ex illimitata fundi & facultatum mentis capacitate fluit, quæ, maxime hoc in mundo, ita objecto æterno, immenſo, interminabili, incomprehenſibili affici, penetrari, ſatiari non poſſunt, quin objectum id habeat ſine termino in ſe nova quædam perpetua vel novas ſaltem ſuarum infinitarum proprietatum combinationes, quibus mentem ejuſque facultates novis ſemper modis afficiat: ipſaque Mens præterea cum ſuis facultatibus nunquam tam penetranter, tantiſque modis ab Omnipotente bono affecta eſt, quin poſſit ab eodem pluribus, in infinita variatione & complicatione facultatum ſuarum, nec non in gradibus percipiendi, affici. Terreſtria & temporalia, ubi facultatibus noſtris inferiores ſortis juncta ſunt, nauſeam parere, ab illiſque ſeparanda eſſe, ni inſanire & perire velimus, nemo eſt qui neſciat, nemo qui non experiatur: quod apertum eſt documentum, nos ad ea non eſſe factos, eſſeque adeo ſcopo ejuſmodi indignos. Æternorum & divinorum contraria eſt ratio, contrarius eventus. Non nauſeam, non defectum, non ſubjecti interitum pariunt eorum deſiderium, adeptio, fruitio: ſed de-

ſiderium majus, delicioſius, magis perficiens, magis vivificans, mentemque magis beans ſine termino afficiunt; admirandum & nulli alii rei aſſimilandum infinite perfecti & æterni Dei ſignum & monimentum. Hoc reſpexit Syracides cum Divinam Sapientiam ita de ſe verba facientem introducit: (a) *Qui edunt me, adhuc eſurient; & qui bibunt me, adhuc ſitient*: Quod theodidactus Bernhardus mellifluis ſuis rythmis de JESU CHRISTO, omnis veræ Eruditionis authore, objecto, via, theſauro, in quo quippe, Paulo ſi credamus, (b) *omnes ſcientiarum theſauri ſunt abſconditi*, ſic efferebat:

(a) Eccleſ. 24: 28.

(b) Col. 2: 3.

Tua, JESU, dilectio
Grata menti refectio;
Replens ſine faſtidio,
Dans famem deſiderio.

Qui te guſtant eſuriunt,
Qui bibunt adhuc ſitiunt,
Deſiderare neſciunt
Niſi Jeſum quem diligunt.

28. *Veri eruditi character primus, Pax, in intimis, in externis, & cum proximis. Vera pax, qua. Qui calumniantium & adverſantium impetus, ejus pacem non turbent. Alii characteres*

XXVIII. Inter omnes autem veri Eruditi characteres, primas tenet ſui, Dei, omniumque aliarum rerum reſpectu, PAX & lætitia, ſive animæ tranquillitas: per ſolidam namque eruditionem, ut vidimus, adeptæ ſunt (quantum hac in vita fieri poteſt,) fundamentales & immenſæ mentis ejus capacitates ſive facultates, (præcipua & tota ſui pars eſſentialis & ſolida,) ſuum, ad quod factæ erant, & cujus capaces erant, objectum, ſuam æternam formam ruditate & aſperitate quavis repugnante eliminata: adeoque habent quo ſolide ac funditus acquieſcant, carentque interno turbationis & repugnantiæ principio. Hinc quicquid ex tali mente ad quæcunque effluit, mera pax eſt & tran-

tranquillitas, modo ſubjecta pacis recipiendæ capacia ſeſe offerant. Hinc Eruditor ſummus diſcipulis ſuis: (*a*) *pacem relinquo vobis*; & diſcipuli ſibi ipſis, pacem, & lætitiam, & gratiam, ſalutandi more offerebant. Eruditi fundus in pace eſt, quoniam æternitas aliquatenus deguſtata, & plenius ſperata, ipſum tranquillat. Deſiderium in pace eſt: nam ad peritura quidem inconſtantia & torquentia non fertur: Deus vero & divina ad quæ fertur, eatenus id afficiunt, ut, etſi ſeſe ei plene nondum communicent, ei tamen plenam ſui mox communicandi ſpem faciant, quæ abunde eum lætificat & tranquillat: indicat enim erudito Divina, cui junctus eſt, Sapientia, ei, certis de cauſis, nondum completa danda vel oſtendenda, ſed reſervanda donec craſſamine corporis ſit ſolutus, ea bona ad quæ factus eſt: cui ſapientiſſimæ diſpenſationi acquieſcit ſapiens, nil particularius de Deo, deque æternis, nunc ſentire cupiens, niſi ipſa ea ſingularior cupiditas a Deo illi infundatur: quod ſit rarius. Unde patet ejus intellectum in plena tranquillitate eſſe quoque poſitum, & quidem ita, ut ipſi ſcire Deum cum divinis ſuis rebus incomprehenſibilem eſſe, ſufficiat, quando tamen de illis, multoque magis de rebus aliis, nullas ſpecialiores haberet notiones, quas revera, ex propria voluntate atque cupiditate adipiſci nollet, quanquam vel nictu oculi eas poſſet acquirere; ſatius nimirum ducens, intellectum ſuum ſub Dei lumine & regimine mere paſſivum eſſe, quam ſub proprio regimine

paci annexi, bonitas, juſtitia, patientia, ſilentium.

(*a*) Joh. 14: 27.

angelicam habere notitiam. Porro tanta pace ejus acquieſcentia perfunditur, ut, quicquid de eo fiat, turbari non poſſit: eſt enim veluti lapis divina manu politus, & ad loca ſua a Deo adaptatus, qui patitur ſe ab illa potenti & ſapienti manu ibi collocari, in eo loco & ſtatu teneri, ubi architecto ſapientiſſimo placet, ibidem ſeſe quam congruentiſſime componens, veluti qui ad hoc ipſum, in quo tunc eſt, poſitus ſit atque formatus.

De externis autem, ſive corpus ea, ſive bona, ſive elementaria ſint, quocunque modo illa ei eveniant, non habet quod tranquillitatis perturbationem extimeſcat, ſolidæ pacis fontem æternum in intimis poſſidens. Si namque cuncta ei arrideant, quando tamen ea ipſe intus non admittit, neque in iis pacem conſtituit, iis non diſtrahitur præſentibus, iiſdemque non fit inquietus abſentibus; ſed lætior magis & pacatior. Externa ſiquidem, ex quo peccatum eſt, miſeriarum & tenebrarum ſunt vincula, quin & pondera, mentes ab æternis bonis dividentia, removentia, & deprimentia: quapropter, quo magis iis ſolvitur vinculis, tenebris, miſeriis, pondere, eo purius majoris lætitiæ anſa gaudet tranquillior animus, a Deo eruditus, quem

Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ:

vel, ut Sanctioris Lyrici verbis utar, eo magis (a) *benedicit Domino conſulenti ei in noctibus* (adverſitatibus) *in quibus* ita *a renibus* (interioribus facultatibus a Deo affectis)

(a) Pſ. 16: 7.

ctis) *eruditur*, ut *non commoveatur*; ſed *lætetur cor*, & *exultet in ſpe*, (*a*) *Beatum* (a) Pſ. 94: 12.
prædicans *quem Dominus ſic erudierit*, *quietem ei præſtans in diebus malis*, *dum fovea paratur impio*; ipſi vero, *conſolationes* divinæ, *quæ ſecundum multitudinem dolorum cordis ſui, lætificant animam ejus.*

Nec minori gaudet tranquillitate cum proximis ſuis bonis maliſve, quos tolerat in rebus divini cultus, nemini vim inferens, ſuam cuique libertatem permittens, imo ea omnia probans & promovens, quibus ad Dei memoriam & amorem homines revocari poſſunt: in politicis autem & civilibus, ſeſe legibus & moribus per ſe non malis accommodans & ſubjiciens, omneſque officiis devincire allaborans, gaudet tranquillitate: politus namque a manu Domini ille ædificii divini lapis, aliis ita comiter ſeſe adaptat, ut eos etiam poliat & erupiat, nedum impetat, mordeat, rejiciat: quanquam ubi bruti lapides in eum protervius & petulantius irruunt, a firma ejus conſiſtentiæ ſoliditate vehementius nonnunquam repellantur, &, veluti tela in adamantinum impulſa ſcutum, cuſpide refracto reflectuntur & disjiciuntur, ſine interna interim animi perturbatione, vel potius, cum lætitiæ augmento & blando riſu, quando maxime calumniis & conviciis inconditis ab inſana nonnullorum idiotarum vel falſorum eruditorum caterva ſeſe videt impeti: tunc enim

Conſcia mens recti famæ mendacia ridet;

& commiſeratione potius quam ira erga

ejuſmodi detrectatores malevolos & inſulſos commovetur, queis tamen duriora interdum reſponſa fuerint tanquam ſalutaria contra morbum ipſorum alexipharmaca, & prodeſſe poſſint: ita namque falſa & mala vividius dedocentur, bona & vera (queis nullum beneficium majus) docentur, ſi modo inde emolumentum incomparabile deducere non recuſent maledicentium mentes ægræ nec plane inſanabiles, ſique inde cautiores in poſterum fieri curaverint. At cum probis, vel etiam cum eis qui non mordaces ſunt aggreſſores, vero erudito quid tranquillius & facilius?

Porro, idem quoque & omnibus *bonus* eſt, & erga univerſos beneficus: ſiquidem læta pax ſit ipſa boni fruitio; bonum autem omne ſe ex natura ſua quovis diffundere conetur: unde is intus quidem omnibus bona peroptat, extus vero factis & verbis, quantum res exigit & fert occaſio, ea exhibet, quæ ad æterna bona quoſvis impellant. Nec minus omnibus *juſtus*, quando bella & contentiones, a quibus tranquilla pax abhorret, ſoleant emanare ab injuſtitiæ fonte, quem idcirco amore juſtitiæ exſtinguit: proinde, nil in alios juris, quod in ſe ſumi nollet, uſurpat; imo ſibi quam aliis durior: in ſe enim quiſque hoc habet juris, ut ſe ipſum contemnat, condemnet, deprimat; in alios non item: erga omnes denique *patiens*, injurias & perſecutiones pacis amore & animi bonitate tolerans ab improbis, queis vel prodeſſe cupit eos alloquendo, vel quos etiam prætermiſerat tacendo:

cendo: habet enim & id proprii vera Eruditio, ut libentius retinendæ tranquillitatis ergo, *taceat*, & ſolitaria, a turba & tumultibus remota occultetur, quam ſeſe multo cum ſtrepitu foras prodat, & aliorum negotiis, mundique officiis ſeſe intermiſceat; etſi, quicquid agat, impiorum dentes evitare ſit impoſſibile, qui neque loquentes neque tacentes, nec publicos nec privatos, nec eos qui aperte degunt, nec qui ſecedere a mundo & ſolitarie vivere quærunt, poſſunt ſufferre; quia obliquum pertimeſcit ſui indicem, rectum.

XXIX. Paci, tranquillitatique, & huic annexis, quæ Eruditum quoad Deum, homines, resque cæteras, ornant, ſuccenturiatur quæ in eo Deum præcipue reſpicit, animi *gratitudo lauſque* divini Numinis, quod primum eſt officium creaturæ intelligentis, haud ſecus ac inter homines ſi quis generoſioris eſt indolis, accepitque vel a ſui ſimilibus (quanto magis ſi ab infinite ſuperioribus?) beneficia excellentis præſtantiæ, nil antiquius habet quam grato animo benefactorem ſemper recolere, venerari, præconiis extollere, facta deprædicare: ſine quo officio, turpis oblivio ingratitudoque, juſtiſſima fuerint cauſa cur benefactor ſua interrumpat beneficia, ingratumque animum propriæ ſuæ indigentiæ permittat; cum econtra, beneficiorum datorum grata agnitio ad plura excellentiora recipienda ſint gradus mediumque efficaciſſimum. Idem inter Deum eosque, de quibus nunc quæſtio

29. *Eruditi præcipuus quidam character,* gratitudo lauſque *erga Deum, quibus neglectis, tenebris & ſtoliditate percutiuntur eruditi.*

eſt, agitur. Illi cum a Deo receperint & ſe & facultates ſuas, Dei luminoſi delicioſique nec non & creaturarum percipiendarum capaces, cumque inſuper & lumen & fruitionem tranquillam omnium iſtorum ab eodem illa continue largiente & conſervante habeant; de hiſce illi homagium (ut ſic dicam) ſi præſtent, ſi ea cum laudibus perpetuis (quo nil æquius eſt) illi accepta referant, in ſuæ eruditionis ſapientiæque poſſeſſione ab eodem omnis boni Auctore, conſervantur. Quæ cauſa eſt cur qui voluerunt continue ſapere, ut Deo grati generoſique animi encomia canerent, fuerint ſolliciti quam maxime, eum ſolum Sapientem magnificientes, cui uni gloriam, honorem, gratiarumque actiones æternas reddi optaverint, uti ſæpe in ſacris voluminibus occurrit, in divinis præſertim divinitus eruditi Davidis canticis, ubi animam ſuam, cunctos homines, omnes creaturas, Deumque etiam ipſum ad divinorum operum magnificentiæque agnitionem & gaudium in eis provocat & invitat, atque ad laudem liberaliſſimæ admirandæque Sapientiæ Creatoris. Quin & ex Ethnicis ii qui rectam rationem non ejurarunt ſed audierunt, ſimili gratitudinis charactere ſuam eruditionem exornarunt. Epictetus: (*a*) *Si ſani eſſemus, quid aliud nobis agendum foret & publice & privatim quam Numen celebrandum & laudandum, & grates ei perſolvendæ? Nonne & inter fodiendum, & arandum, & edendum hymnus hic cantandus eſſet Deo: Magnus eſt Deus, qui nobis inſtrumenta præbuerit hæc;*

(a) Apud Arrian. lib. 1. cap. 16.

hæc, quibus terram excolamus; Magnus eſt Deus, qui manus dederit, qui deglutiendi vim, qui ventrem; qui ut latenter creſcamus, qui ut dormientes reſpiremus, effecerit? Hæc ſingulis in rebus cantanda erant; & hymnus maximus & diviniſſimus reſonandus, quod facultatem dederit harum rerum INTELLIGENTEM & UTENDI RATIONE *inſtructam. Quid igitur? ſiquidem vulgo excœcati ſitis, nonne ſaltem oportebat eſſe aliquem qui hoc munere fungeretur, & loco omnium hymnum Deo publicaret? Ecquid aliud poſſim ego, ſenex & claudus, niſi ita celebrare Deum? Luſcinia ſi eſſem, fungerer luſciniæ officio; ſi olor, oloris. Atqui intelligentia præditus ſum; mihi igitur Deus imcumbit celebrandus: munus meum iſtud eſt, iſto defungor, nec ſtationem hanc deſeram quoad licuerit; quin & vos omnes ad eandem mecum cantilenam exhortor.* At qui inter eos facere id recuſarunt, eruditionis ſuæ ſoliditate, ſi quam habuerunt, deſtituti ſunt, tenebris immerſi, & traditi in ſenſum reprobum: neque enim decuit Deum adminiſtrare impiis lucem quâ legitime & prout æquum erat, nolebant uti. Commemorat id egregie divus Paulus de iis gentium Philoſophis, Rom. 1: qui, *cùm cognoviſſent Deum, nec tamen eum* 21, &c. *uti Deum gloria affeciſſent, neque ei egiſſent gratias, evanuerunt in cogitationibus ſuis, tenebriſque & ſtoliditate cordis plexi ſunt: & putantes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, & a Deo traditi* impiis, tenebroſis, *impuris & enormibus ſuis concupiſcentiis, ut qui adhæſerint creaturis, deſerto Creatore benedicto in ſecula.*

cula. Ad quæ præcipitia faxit Deus ne proclives ruant ingratæ eruditorum ſeculi hujus mentes quam plurimæ, quæ eo uſque obbruteſcere cœperunt, ut nobiliſſimum Dei donorum, libertatem, omnis boni juſtique fundamentum, Dei ſufficientiam, perfectionesque, quin & exſiſtentiam cum Spinoza miſerisque ſuis diſcipulis ex animo jam delere cogitent. Sed redeamus ad bonos.

30. *Alii characteres.* Dependentia a *Deo*, *ſolida* humilitas *cum ejus effectis erga ſe, res, hominesque.* Amor *Dei & proximi.*

XXX. Hi agnito celebratoque Deo, ſic ſua omnia in eum refundunt, ut ab ipſo prorſus (character inſignis) in poſterum velint *pendere*, conſtituantque eum ſui Directorem ac Ductorem, ſcientes id jure ad ipſum pertinere, conſciique impotentiæ & fragilitatis ſuæ, qua non modo ſua bona non conſervantur, ſed & certo certius perdenda ſunt, ſuo ſi conſilio prudentiæque propriæ confidant. *Humilitatem* recenſui, cum dixi eruditionis acquirendæ quæ fuerant diſpoſitiones hic remanere & augeri: inter quas cum hæc præcipua eſſet, ea ex ſtatu deſiderii (in quo tunc ipſa erat) acquirit hic actualem ſubſiſtentiam per lumen quo ſolide convincitur verus eruditus de ſui ex ſeſe nihilo & impotentia, unde & minus quid cinere coram Deo, coram cæteris etiam ut omnium indigniſſimus ſibi apparet: errata libenter agnoſcit & fatetur, nec futiliter excuſare tentat, a quovis etiam puero quæ nondum novit diſcere paratus: rerum autem externarum, iis ſi careat, privationem ſibi debitam putat: ſi mediocriter adſint, gratiam Numinis reputans, non negligit eas, ſed curat, illiſ-

que

que utitur in neceſſariis cum omni temperantia & mediocritate: ſi vero abundent, timens ne iis a ſe ipſo, ab intimis, a dignioribus revocetur, animoque illis adhæreat & maculetur, fugit, eaſque quovis luto & ſtercore viliores reputat, niſi in quantum per eas aliis ſubvenire poteſt, extra quod, ſunt profecto contagioſæ, quando ad concupiſcentias proprias adimplendas ſtimulant & inſerviunt. Proximos quod concernit, eadem humilitate diſponitur eruditus ne ſe præferat ulli; ſed ex animo ſe quovis inferiorem judicet, certus ſe in lumina, quibus præ aliis abundare poteſt, prævaricando, etiam aliis culpabiliorem eſſe: neminemque irridet; ſed commiſeranti oculo aliornm errata, ſiquidem diſſimulari nequeant, intuetur, cane pejus & angue a charactere irriſoris abhorrens. Nam ſanum ægris irridere, iisque inſultandis aſſueſcere, malignam vecordiam eſſe nemo non videt. Superbiam & animi malignitatem, ne plura dicam, prodit irriſor, ob ea gaudens quorum cauſa dolendum ei eſſet: errantium autem commiſereri, hominis eſt fragilitatis propriæ humiliter conſcii, amoreque erga proximum, uti debet, præditi, exemplo Dei, in quo capitalis eſt virtus charitas, errantiumque commiſeratio & amplexatio. Quapropter qui Deum, omnis boni virtutisque Archetypum, amat, is eum quoque in amore erga eos, qui in tenebris ſunt ægritudineque mentis, imitatur, quod evidentiſſimum ſignum eſt, eum vere, imo a Deo ipſo, eſſe eruditum;

tum;

tum: Neque enim Deus lumen ſuum eis denegat qui ejus *Charitatem* cupiunt exprimere; & ſi ejus Apoſtoli verbis fidem habeamus, (a) *qui amat Deum, is eruditus eſt; ſive cognitor factus eſt ab illo*, quod idem eſt ac ſi dicat, eum qui amorem Dei, a quo amor proximi eſt indivulſus, poſſidet, eſſe vera divinaque eruditione præditum.

(a) 1 Cor. 8: 3.

31. *Cum amore ſive charitate, omnes ſolide eruditi charactere includi, dici & recenſeri, oſtenditur.*

XXXI. Et ſane ſi paucis omnes aut præcipui veri eruditi characteres recenſendi vel reſumendi eſſent, diceremus eos *charitate* ſive *amore* Dei & proximi contineri & abſolvi, enumeraremque charitatis notas characteriſticas, quales ei aſſignat Paulus, cum dicit, (b) *Charitas patiens eſt, benigna eſt: Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet, nec unquam excidit*: quæ omnia, cum vere eruditus, ut dictum eſt, charitate ſeu amore præditus ſit, ei tribuerem, ſiquidem patet ea fluere ex amore: namque amor, maxime vero is qui prævenit, nutritur ſpe; adeoque amans eſt *patiens* ſive longanimis, ea quæ ad perfectionem deſideratam ipſi deſunt, non inquiete citoque expoſtulans, ſed cum mora & tranquillitate exſpectans; eademque ratione, quos deſiderat modos in proximi erga ſe regimine, eorum defectum etiam ſufferens. Præterea cum quærat amor benefaciendi anſas, diſſimuletque illas quibus a benefaciendo revocari poſ-

(b) 1 Cor. 13:4. &c.

poſſet, ideo inſuper *benignus eſt*, defectûs proximi miſerans, & quantum fieri poteſt excuſans, illumque verbis & actibus gratis diſponens ad boni, quod ei communicare peroptat, receptionem. Porro cum verus amor ſit ſui circa alium occupatio, adeoque ſui ipſius prætermiſſio, & fere oblivio, ſequitur eruditum amore præditum, non eſſe *æmulum*, *nec agere perperam*, *nec inflari*, *neque eſſe ambitioſum*, *nec quæ ſua ſunt quærere.* Non eſt *æmulus* atque invidus: ſi quos videat ſe præſtantiores eſſe vel haberi, oculosque nec non æſtimationem omnium a ſe ad alios converti; ſe dimitti, alios recipi: non fert id ægre, neque quicquam facit quo ſe aliis anteponat; ſed gaudet ab aliis ſuperari, contentus ſorte vel ultima, quam Auctor ſuus ei aſſignavit, paratusque vel quæ habet dona omnia in alterius gratiam dimittere, ſi quidem Auctoris ſui placito & gloriæ melius ſatisfieri poſſet iis in alium tranſlatis. *Non agit perperam*, nec quo ſui eminentiam præ aliis tueatur alios verbis factisve deprimit; neque perverſos amoris proprii naturæque corruptæ impulſus adimplet. *Non inflatur* donis quæ poſſidet; non reſpicit ea tanquam ſui naturæque ſuæ partem debitam, ita ut, ſe cum conſiderare vult, ea involvat in idea ſui quaſi ejus partem conſtituentia; ſicque eis inflatus magnus ſibi appareat. Scit ſe vas natura ſua vacuum, tenebris ſolis anxietateque plenum; quæ intus ſunt, dona mera Auctoris ſui eſſe, quæ ad vaſis natu-

naturam non pertineant, ſed ad Datoris magnificentiam manifeſtandam: veluti lumen ad corporis illuminati naturam non pertinet, ſed ejus aliunde donum & ornamentum eſt, quod ſingulis momentis continue ab alio dependens, gratis communicari debeat, poſſitque tolli, remanente poſtmodum in tenebris corpore prius illuminato. *Non eſt ambitioſus* itaque, vel immodeſtus, nec, ſibi cum nihil ſit, vult aut agit aut loquitur ut ab aliis magnifiat, vel aliquid reputetur, aut in amore, exiſtimatione laudandique facultate aliorum, teneat locum ſoli omnium bonorum fonti debitum. *Non quærit quæ ſua ſunt*, deteſtabilem illum Amoris proprii naturæque corruptæ impulſum, quo ſe quiſque veluti centrum conſiderat, ad quod omnia ſpiritualia corporeaque attrahat & referat, non ſequitur. Facula eſt ardens & lucens, ad factoris ſui magnalia illuſtranda hominesque illuminandos cum ſui diſpendio, nullo ad ſe reſpectu habito, ſeſe conſumens: canalis eſt, aquarum fluenta ſibi a ſcaturigine adminiſtrata, ſibi non retinens; ſed quibusvis nullo pretio communicans. Et quia amor ſolidus non datur niſi fuerit probatus, probatio vero nil aliud eſt quam ictus & adverſæ oppoſitiones Dei & hominum, quibus amans ſuccumbere non debet, patet inde eum *non irritari*, neque cogitare malum. *Non irritatur*, quando nempe Dei hominumve tangitur ictibus; non adverſus illum murmurat ad querimonias, non adverſus hos indignabundus ad acerbam malevolentiam aut beni-

gnitatis

gnitatis in illos ſuſpenſionem commovetur. *Nec cogitat malum* reddere pro malo, neque ad vindictam factis aut ad verbales reſponſationes provolat eo animo, opere, verbis, ut ei adverſantes veluti aculeis perciti itaque commoti & irritati, fiant inde mali aut pejores quam prius fuerint: quod inter ſigna eruditionis ſive ſapientiæ diabolicæ Jacobus annumerat. Præterea cum Deus ſit Deus juſtitiæ & veritatis, non poteſt ejus amans delectari injuſtitia, dum veritati ubique favet; adeoque *non gaudet ſuper iniquitate* ſive injuſtitia: cumque videt ab hominibus, etiam ab inimicis, peccari & inique agi, non lætatur quod inde habeat anſam ſua eis iniqua exprobrandi, propalandique eum inſultatione, triumpho, ironicisque ſarcaſmis; ſed econtra *congaudet veritati*, lætaturque cum ea quæ in falſum malumque ſenſum torqueri potuiſſent a malevolis, videt in boni verique partem capi poſſe, veritati gratulans, quod ea ibi inveniatur unde putabatur abeſſe: lætatur etiam veritatem a quocunque dici & promoveri: maximum vero gaudium capit, cum ipſemet a veritate arguitur, & erroris nævorumque convincitur, ſiquidem nævos agnoſcere viro probo, ſe corrigere erudireque volenti, inter maxima bona annumeretur. Tandem quoniam amor imitatur amatum, videlicet Deum, qui ſic egit erga homines ut ab illis omnia toleraverit, rigide omnia non exegerit, bona ſibi de ipſis quævis promiſerit, obſtacula bonitati ſuæ inhibendæ ab eis oblata vicerit, nec

a

a charitate erga nos excident; eiſdem etiam dotibus præditus eſt qui amore præditus eſt eruditus: Ergo *omnia* quoque *ſuffert* ab omnibus, etſi illi non ſe modis dictis erga eum gerant uti is erga illos. *Omnia credit* ex quibus ſe proximosque diſponi poſſe videt ut ad Deum æternaque amplectenda ferantur, probioresque fiant, poſthabita inani moroſaque externarum nullius momenti quiſquiliarum criſi. *Omnia ſperat* quæ ſincero bonoque animo geſta ſunt, a Deo Optimo Maximo complementum bonumque finem adeptura; ſpesque ejus, dum perituris, quæ nil ſunt, non inhiat, ſolis æternis intenta, omnia hoc ipſo complectitur: eaque de cauſa *ſuſtinet* magno animo *omnia* quæ ad ſperatorum adeptionem tendenti obſtacula, pericula probaminaque objiciuntur; *nec* ab incepta *excidit* via virtuteque, ſed perſeveranter ad finem in iis permanet uſque dum perficiatur.

32. *Eruditum verum non eſſe ſollicite curioſum de futuris; nec habere in promtu repertorium idearum & demonſtrationum ad quoſvis caſus poſſibiles paratarum. Sed*

XXXII. Inter veri eruditi characteres, & hic recenſendus eſt, quod de contingentibus futuris, maxime vero inutilibus, haud adeo ſit ſollicitus. Solent plerique de eruditione judicantes, vel ad eam adſpirantes, credere ſolide eruditos melius de futuris proſpicere quam cæteros; & ad omnes caſus excipiendos, ſeque recte in illis gerendum, habere continuo in promtu paratas de omnibus demonſtrationes, veluti paratiſſima agmina, quorum ſingula ſingulis opponere poſſint caſibus, quando evenient: quin etiam ea penetraſſe, ſolviſſe & deciſiſſe, quæ ab ingenio huma-

humano poſſent eis, etſi nunquam eventura mereque ſpeculativa & inania, proponi: adeoque ſecuritatem pacemque Eruditæ mentis fundari in poſſeſſione actuali & penu idearum, principiorum, concluſionumque, quæ vel ei præſentes ſint, vel ſaltem ei præſentes eſſe poſſint ex memoria & habitu quo illis contemplandis & decidendis ſeſe non ſemel applicuerit: quæ inſignis ſane eſt hallucinatio. Exonerat ſe tædioſis illis næniis libera veri Eruditi mens, ad quem non magis ſpectat de omnibus caſibus objectiſve cogitare vel cogitaſſe, deque illis principia quibusque ſua, ſolutiones demonſtrationesque proprias habere, quam ad hominem viſu luceque gaudentem, ut vere id ſit, pertineat omnia objecta quæ luce oculisque detegi poſſent, jam detexiſſe, atque ad unumquodque eorum ſuum ſingulare lumen habere. Cui oculus mentis eruditus beneque diſpoſitus eſt, cuique cum lumine luminumque Auctore bene convenit, is ſcit ſe habere fundum cui acquieſcat, ſufficientemque ex tempore & quovis momento ad ea quæ ſeſe offerunt, & ex neceſſariis utilibusve ſunt, percipienda, & cum fructu debiteque digerenda atque tractanda; modò tamen illum eo quo acquiſivit modo, nec non grato erga boni omnis Auctorem Conſervatoremque animo ipſe, quantum poteſt, conſervare non negligat.

Principium ſolidum quo gaudet, illi ſufficere ad omnia ex tempore.

Prolixior hîc non ero, poſtquam modo monui diſpoſitiones omnes bonas, quas in acquirenda eruditione quiſque habuit, do-

teſque

teſque quas ſuo labore Deique dono inſuper adeptus eſt, huc etiam ſpectare, ſive erutionis poſſeſſori manere, quin & augeri & perfici, idque ejus inter notas eſſe. Pergamus ad ſtatum in quo eum eruditionis ſuæ communicatorem conſiderabimus.

LIBRI PRIMI

PARS TERTIA,

quæ eſt

DE VERÆ ERUDITIONIS COMMUNICATIONE.

33. *Vere eruditos eruditione communicandâ, ſive docendi officio, libentius abſtinere, quàm eo onerari, etſi Deo vocante: Vocationis veræ criteria præcipua.*

XXXIII. QUandoquidem vere eruditus clare perſpicit & ſe & omnia ſua eſſe a placito meraque liberalitate Dei, ſolius idcirco requirendi & laudandi; ſuæque tenuitatis fragilitatisque conſcius eſt; tum alios ſibi ratione cognitionis, maxime vero fidelitatis quâ cognita exſequuntur, præferre ſolet; idcirco timens, ne cæteri, ſi quos doceret, magis ipſi quam Deo adhærere quærerent, ne laudum Deo debitarum furro ipſius ad faſtum ſollicitent proclivitatem, neve ejus commoda (amori proprio aut corrupto grata) nimis in ſuam mollitiem promoveant, vel etiam (quia veritas odium parit) ne is eos, ſui perſequendi occaſione ſuggeſtâ pejores & cul-

culpæ magis obnoxios pejores reddat; ſimulque ne converſione ſui ad exteros ſe ipſum diſtrahat aut negligat, ea quoque verbis inculcet, quæ ipſe in ſe necdum ſatis radicata, nec ſatis ſeſe factis exprimere conſcit, aut quæ alii forte jam ſciant nec faciant tamen, horum proinde inculcatione reatui majori obnoxii futuri; his, aliiſque de cauſis, libentius ſibi ſoli intendit, nec non apud ſe manetque tacetque, quam foras prodeat locuturus, haud immemor pretioſi apud Epictetum verbi; *Magni periculi eſt ſtatim evomere quod non concoxeris. Quod ſi quis dixerit te nihil ſcire, Tuque commotus non fueris, tum ſcito rem eſſe inchoatam. Nam & oves non fœnum afferunt opilionibus ac demonſtrant quantum comederint: ſed paſtu intra ſe concocto, extra ferunt lanam & lac. Et tu igitur ne verba celeriter oſtendas imperitis; ſed opera, quæ verborum coctionem ſequuntur.*

Interim tamen accidit interdum eruditis ſua ut cum aliis teneantur communicare: quod oneris Socrates ſibi a Deo impoſitum eſſe teſtabatur; quodque in aliis verum legitimumque ut ſit, ipſi, ſine ſui adulatione, in interioribus ſuis viderint utrum, non dicam a ſordida lucri cupiditate; verum annon a ſuperba titillatione prurituve ſe ſuaque coram producendi, famam, rumuſculos laudeculasque homuncionum emendicandi, prodeant, ſed a Deo O. M. ad id diſponantur & trahantur: cujus erunt certa criteria, ſi ipſi plus quam pro ſe ſufficit veri bonique dotibus abundent: tum ſi ex luminoſa hujuſmodi abun-

abundantia nec ſibi delectationem ullam capiant, nec aliis meliores ſibi eſſe videantur. O rem difficilem & gravem humanis creaturis, quæ annexæ carnis vinculo, unde per dæmonis inſtinctus incitatur proprius amor, ut vel de gratiſſimis veluti cibis oblatis aliquantulum ſibi deguſtet, abſtinere tamen debent, ni divino furto, dæmoniſque lapſu reæ velint effici! Non mirum ſane ſi quos Deus ipſe ad præfecturam & doctrinam aliorum vocabat, ipſi aliquoties eam refugerint ſtationem, ubi & tentatio ad ſibi ipſi placendum datur periculoſa, nec tamen, niſi ſub criminis reatu, licet in divitiis cibiſque divinis proximo communicandis delectari ſibi; ſed contra, ubi magis quam prius requritur, rem ſuam, famam, commoda, placita odiſſe, ut puriſſime res Dei in proximo modis appoſitis promovenda, infucate & unice quæratur. Alio modo diſpoſitos, Deo probari non poſſe, per ſe cuivis patet cenſcientiam debite inſpicienti.

34. *Eos primo factis docere: quæ omnium efficaciſſimo via.*

XXXIV. Ex ea, qua illi gaudent intus, luminis bonique abundantia, fit ut prius tacentes (quod ſemper malint eſſe,) ſimulque agentes doceant erudiantque, quam loquentes: Exemplis namque plus quam verbis attenditur a pleriſque, ſaltem ab iis qui ſapere debite cupiunt; ſiquidem exempla viva & doctrinam, & doctrinæ implendæ poſſibilitatem, & fructum ejus (tranquillitatem pacemque agentis,) denique & alacritatem ad imitandum in ſpectatore exhibeant ingenerentque: neque enim hi (per-

(perverſe maligni ni fuerint) continua ſpecimina veræ eruditionis, contemtûs ſcilicet & prætermiſſionis rerum evanidarum, amplexationis ſolidarum, intimarum, duraturarum; uſûs moderati externarum & ad tempus neceſſariarum, regiminis denique debiti erga Deum, ſe & alios, coram oculis habere queunt, quin inde meliores, regulariores eruditioreſque ab ejusmodi inſtructoribus quanquam vel ſilentibus diſcedant.

XXXV. Factis ſuperaddunt haud raro verba, tum ſcriptis, tum viva voce, ii queis ſua aliis eruditio probato principio communicanda incumbit. Verum ſiquidem Deo neutiquam gratum eſſe queat, ſuæ ut opes diviniores cœleſtesque theſauri proculcandi, dilapidandi, irridendi exponantur; cumque inter eos qui eruditionis acquirendæ deſiderium præ ſe ferunt, haud pauci ſint qui veram ſolidamque (quia ſeverior eſt, corruptis praviſque ſuis affectibus acerba & adverſa) parati ſint vel irridere, vel etiam odiſſe & impugnare, ſuis ut minutiis, ſterilibusque ac frigidis quiſquiliis, quibus non arguitur nec dedolatur prava mentis ſuæ diſpoſitio, ſed fovetur potius & demulcetur, ſecuriùs obdormiſcant; hinc fit ut quantum fieri poteſt, quantumque eos cognoſcere datur, ab ejuſmodi irriſoribus, luminisque purioris hoſtibus prohibenda ſint ſapientiæ verba, etſi ea ſe peroptare ſimularent, aut etiam ſcriptis provocaſſent veritatem, de ea imaginarios acturi triumphos ſi taceatur. Id exigit

35. *Nec irriſoribus, nec opinioſis, nec rixoſis, neque calumniantibus communicanda eſt ſolida veritas; neque ſemper contra adverſarios verbis tuenda eſt.*

 ſoli-

cula. Ad quæ præcipitia faxit Deus ne proclives ruant ingratæ eruditorum ſeculi hujus mentes quam plurimæ, quæ eo uſque obbruteſcere cœperunt, ut nobiliſſimum Dei donorum, libertatem, omnis boni juſtique fundamentum, Dei ſufficientiam, perfectionesque, quin & exſiſtentiam cum Spinoza miſerisque ſuis diſcipulis ex animo jam delere cogitent. Sed redeamus ad bonos.

30. *Alii characteres*, Dependentia *a Deo*, *ſolida* humilitas *cum ejus effectis erga ſe, res, hominesque*. Amor *Dei & proximi*.

XXX. Hi agnito celebratoque Deo, ſic ſua omnia in eum refundunt, ut ab ipſo prorſus (character inſignis) in poſterum velint *pendere*, conſtituantque eum ſui Directorem ac Ductorem, ſcientes id jure ad ipſum pertinere, conſciique impotentiæ & fragilitatis ſuæ, qua non modo ſua bona non conſervantur, ſed & certo certius perdenda ſunt, ſuo ſi conſilio prudentiæque propriæ confidant. *Humilitatem* recenſui, cum dixi eruditionis acquirendæ quæ fuerant diſpoſitiones hic remanere & augeri: inter quas cum hæc præcipua eſſet, ea ex ſtatu deſiderii (in quo tunc ipſa erat) acquirit hic actualem ſubſiſtentiam per lumen quo ſolide convincitur verus eruditus de ſui ex ſeſe nihilo & impotentia, unde & minus quid cinere coram Deo, coram cæteris etiam ut omnium indigniſſimus ſibi apparet: errata libenter agnoſcit & fatetur, nec futiliter excuſare tentat, a quovis etiam puero quæ nondum novit diſcere paratus: rerum autem externarum, iis ſi careat, privationem ſibi debitam putat: ſi mediocriter adſint, gratiam Numinis reputans, non negligit eas, ſed curat, illiſque

que utitur in neceſſariis cum omni temperantia & mediocritate: ſi vero abundent, timens ne iis a ſe ipſo, ab intimis, a dignioribus revocetur, animoque illis adhæreat & maculetur, fugit, easque quovis luto & ſtercore viliores reputat, niſi in quantum per eas aliis ſubvenire poteſt, extra quod, ſunt profecto contagioſæ, quando ad concupiſcentias proprias adimplendas ſtimulant & inſerviunt. Proximos quod concernit, eadem humilitate diſponitur eruditus ne ſe præferat ulli; ſed ex animo ſe quovis inferiorem judicet, certus ſe in lumina, quibus præ aliis abundare poteſt, prævaricando, etiam aliis culpabiliorem eſſe: neminemque irridet; ſed commiſeranti oculo aliorum errata, ſiquidem diſſimulari nequeant, intuetur, cane pejus & angue a charactere irriſoris abhorrens. Nam ſanum ægris irridere, iisque inſultandis aſſueſcere, malignam vecordiam eſſe nemo non videt. Superbiam & animi malignitatem, ne plura dicam, prodit irriſor, ob ea gaudens quorum cauſa dolendum ei eſſet: errantium autem commiſereri, hominis eſt fragilitatis propriæ humiliter conſcii, amoreque erga proximum, uti debet, præditi, exemplo Dei, in quo capitalis eſt virtus charitas, errantiumque commiſeratio & amplexatio. Quapropter qui Deum, omnis boni virtutisque Archetypum, amat, is eum quoque in amore erga eos, qui in tenebris ſunt ægritudineque mentis, imitatur, quod evidentiſſimum ſignum eſt, eum vere, imo a Deo ipſo, eſſe eruditum;

tum: Neque enim Deus lumen ſuum eis denegat qui ejus *Charitatem* cupiunt exprimere; & ſi ejus Apoſtoli verbis fidem habeamus, (a) *qui amat Deum, is eruditus eſt; ſive cognitor factus eſt ab illo*, quod idem eſt ac ſi dicat, eum qui amorem Dei, a quo amor proximi eſt indivulſus, poſſidet, eſſe vera divinaque eruditione præditum.

(a) 1 Cor. 8: 3.

31. *Cum amore ſive charitate, omnes ſolide eruditi charactères includi, dici & recenſeri, oſtenditur.*

XXXI. Et ſane ſi paucis omnes aut præcipui veri eruditi characteres recenſendi vel reſumendi eſſent, diceremus eos *charitate* ſive *amore* Dei & proximi contineri & abſolvi, enumeraremque charitatis notas characteriſticas, quales ei aſſignat Paulus, cum dicit, (b) *Charitas patiens eſt, benigna eſt: Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet, nec unquam excidit*: quæ omnia, cum vere eruditus, ut dictum eſt, charitate ſeu amore præditus ſit, ei tribuerem, ſiquidem patet ea fluere ex amore: namque amor, maxime vero is qui prævenit, nutritur ſpe; adeoque amans eſt *patiens* ſive longanimis, ea quæ ad perfectionem deſideratam ipſi deſunt, non inquiete citoque expoſtulans, ſed cum mora & tranquillitate exſpectans; eademque ratione, quos deſiderat modos in proximi erga ſe regimine, eorum defectum etiam ſufferens. Præterea cum quærat amor benefaciendi anſas, diſſimuletque illas quibus a benefaciendo revocari poſ-

(b) 1 Cor. 13:4. &c.

poſſet, ideo inſuper *benignus eſt*, defectûs proximi miſerans, & quantum fieri poteſt excuſans, illumque verbis & actibus gratis diſponens ad boni, quod ei communicare peroptat, receptionem. Porro cum verus amor ſit ſui circa alium occupatio, adeoque ſui ipſius prætermiſſio, & fere oblivio, ſequitur eruditum amore præditum, non eſſe *æmulum, nec agere perperam, nec inflari, neque eſſe ambitioſum, nec quæ ſua ſunt quærere.* Non eſt *æmulus* atque invidus: ſi quos videat ſe præſtantiores eſſe vel haberi, oculoſque nec non æſtimationem omnium a ſe ad alios converti; ſe dimitti, alios recipi: non fert id ægre, neque quicquam facit quo ſe aliis anteponat; ſed gaudet ab aliis ſuperari, contentus ſorte vel ultima, quam Auctor ſuus ei aſſignavit, paratusque vel quæ habet dona omnia in alterius gratiam dimittere, ſi quidem Auctoris ſui placito & gloriæ melius ſatisfieri poſſet iis in alium tranſlatis. *Non agit perperam*, nec quo ſui eminentiam præ aliis tueatur alios verbis factisve deprimit; neque perverſos amoris proprii naturæque corruptæ impulſus adimplet. *Non inflatur* donis quæ poſſidet; non reſpicit ea tanquam ſui naturæque ſuæ partem debitam, ita ut, ſe cum conſiderare vult, ea involvat in idea ſui quaſi ejus partem conſtituentia; ſicque eis inflatus magnus ſibi appareat. Scit ſe vas natura ſua vacuum, tenebris ſolis anxietateque plenum; quæ intus ſunt, dona mera Auctoris ſui eſſe, quæ ad vaſis natu-

naturam non pertineant, ſed ad Datoris magnificentiam manifeſtandam: veluti lumen ad corporis illuminati naturam non pertinet, ſed ejus aliunde donum & ornamentum eſt, quod ſingulis momentis continue ab alio dependens, gratis communicari debeat, poſſitque tolli, remanente poſtmodum in tenebris corpore prius illuminato. *Non eſt ambitioſus* itaque, vel immodeſtus, nec, ſibi cum nihil ſit, vult aut agit aut loquitur ut ab aliis magnifiat, vel aliquid reputetur, aut in amore, exiſtimatione laudandique facultate aliorum, teneat locum ſoli omnium bonorum fonti debitum. *Non quærit quæ ſua ſunt*, deteſtabilem illum Amoris proprii naturæque corruptæ impulſum, quo ſe quiſque veluti centrum conſiderat, ad quod omnia ſpiritualia corporeaque attrahat & referat, non ſequitur. Facula eſt ardens & lucens, ad factoris ſui magnalia illuſtranda hominesque illuminandos cum ſui diſpendio, nullo ad ſe reſpectu habito, ſeſe conſumens: canalis eſt, aquarum fluenta ſibi a ſcaturigine adminiſtrata, ſibi non retinens; ſed quibusvis nullo pretio communicans. Et quia amor ſolidus non datur niſi fuerit probatus, probatio vero nil aliud eſt quam ictus & adverſæ oppoſitiones Dei & hominum, quibus amans ſuccumbere non debet, patet inde eum *non irritari*, neque cogitare malum. *Non irritatur*, quando nempe Dei hominumve tangitur ictibus; non adverſus illum murmurat ad querimonias, non adverſus hos indignabundus ad acerbam malevolentiam aut benignitatis

gnitatis in illos ſuſpenſionem commovetur. *Nec cogitat malum* reddere pro malo, neque ad vindictam factis aut ad verbales reſponſationes provolat eo animo, opere, verbis, ut ei adverſantes veluti aculeis perciti iraque commoti & irritati, fiant inde mali aut pejores quam prius fuerint: quod inter ſigna eruditionis ſive ſapientiæ diabolicæ Jacobus annumerat. Præterea cum Deus ſit Deus juſtitiæ & veritatis, non poteſt ejus amans delectari injuſtitia, dum veritati ubique favet; adeoque *non gaudet ſuper iniquitate* ſive injuſtitia: cumque videt ab hominibus, etiam ab inimicis, peccari & inique agi, non lætatur quod inde habeat anſam ſua eis iniqua exprobrandi, propalandique eum inſultatione, triumpho, ironicisque ſarcaſmis; ſed econtra *congaudet veritati*, lætaturque cum ea quæ in falſum malumque ſenſum torqueri potuiſſent a malevolis, videt in boni verique partem capi poſſe, veritati gratulans, quod ea ibi inveniatur unde putabatur abeſſe: lætatur etiam veritatem a quocunque dici & promoveri: maximum vero gaudium capit, cum ipſemet a veritate arguitur, & erroris nævorumque convincitur, ſiquidem nævos agnoſcere viro probo, ſe corrigere erudireque volenti, inter maxima bona annumeretur. Tandem quoniam amor imitatur amatum, videlicet Deum, qui ſic egit erga homines ut ab illis omnia toleraverit, rigide omnia non exegerit, bona ſibi de ipſis quævis promiſerit, obſtacula bonitati ſuæ inhibendæ ab eis oblata vicerit, nec

a

a charitate erga nos excident; eiſdem etiam dotibus prædirus eſt qui amore prædiτus eſt eruditus: Ergo *omnia* quoque *ſuffert* ab omnibus, etſi illi non ſe modis dictis erga eum gerant uti is erga illos. *Omnia credit* ex quibus ſe proximosque diſponi poſſe videt ut ad Deum æternaque amplectenda ferantur, probioresque fiant, poſthabita inani moroſaque externarum nullius momenti quiſquiliarum criſi. *Omnia ſperat* quæ ſincero bonoque animo geſta ſunt, a Deo Optimo Maximo complementum bonumque finem adeptura; ſpesque ejus, dum perituris, quæ nil ſunt, non inhiat, ſolis æternis intenta, omnia hoc ipſo complectitur: eaque de cauſa *ſuſtinet* magno animo *omnia* quæ ad ſperatorum adeptionem tendenti obſtacula, pericula probaminaque objiciuntur; *nec* ab incepta *excidit* via virtutequ[illegible]; ſed perſeveranter ad finem in iis permanet uſque dum perficiatur.

32. *Eruditum verum non eſſe ſollicite curioſum de futuris; nec habere in promtu repertorium idearum & demonſtrationum ad quoſvis caſus poſſibiles paratarum. Sed*

XXXII. Inter veri eruditi characteres, & hic recenſendus eſt, quod de contingentibus futuris, maxime vero inutilibus, haud adeo ſit ſollicitus. Solent plerique de eruditione judicantes, vel ad eam adſpirantes, credere ſolide eruditos melius de futuris proſpicere quam cæteros; & ad omnes caſus excipiendos, ſeque recte in illis gerendum, habere continuo in promtu paratas de omnibus demonſtrationes, veluti paratiſſima agmina, quorum ſingula ſingulis opponere poſſint caſibus, quando evenient: quin etiam ea penetraſſe, ſolviſſe & deciſiſſe, quæ ab ingenio huma-

humano poſſent eis, etſi nunquam eventura mereque ſpeculativa & inania, proponi: adeoque ſecuritatem pacemque Eruditæ mentis fundari in poſſeſſione actuali & penu idearum, principiorum, concluſionumque, quæ vel ei præſentes ſint, vel ſaltem ei præſentes eſſe poſſint ex memoria & habitu quo illis contemplandis & decidendis ſeſe non ſemel applicuerit: quæ inſignis ſane eſt hallucinatio. Exonerat ſe tædioſis illis næniis libera veri Eruditi mens, ad quem non magis ſpectat de omnibus caſibus objectiſve cogitare vel cogitaſſe, deque illis principia quibusque ſua, ſolutiones demonſtrationesque proprias habere, quam ad hominem viſu luceque gaudentem, ut vere id ſit, pertineat omnia objecta quæ luce oculiſque detegi poſſent, jam detexiſſe, atque ad unumquodque eorum ſuum ſingulare lumen habere. Cui oculus mentis eruditus beneque diſpoſitus eſt, cuique cum lumine luminumque Auctore bene convenit, is ſcit ſe habere fundum cui acquieſcat, ſufficientemque ex tempore & quovis momento ad ea quæ ſeſe offerunt, & ex neceſſariis utilibusve ſunt, percipienda, & cum fructu debiteque digerenda atque tractanda; modò tamen illum eo quo acquiſivit modo, nec non grato erga boni omnis Auctorem Conſervatoremque animo ipſe, quantum poteſt, conſervare non negligat.

principium ſolidum quo gaudet, illi ſuſſicere ad omnia ex tempore.

Prolixior hic non ero; poſtquam modo monui diſpoſitiones omnes bonas, quas in acquirenda eruditione quiſque habuit, do-

tesque

teſque quas ſuo labore Deique dono inſuper adeptus eſt, huc etiam ſpectare, ſive erutionis poſſeſſori manere, quin & augeri & perfici, idque ejus inter notas eſſe. Pergamus ad ſtatum in quo eum eruditionis ſuæ communicatorem conſiderabimus.

LIBRI PRIMI

PARS TERTIA,

quæ eſt

DE VERÆ ERUDITIONIS COMMUNICATIONE.

33. *Vere eruditos eruditione communicandâ, ſive docendi officio, libentius abſtinere, quàm eo onerari, etſi Deo vocante: Vocationis veræ criteria præcipua.*

XXXIII. Quandoquidem vere eruditus clare perſpicit & ſe & omnia ſua eſſe a placito meraque liberalitate Dei, ſolius idcirco requirendi & laudandi; ſuæque tenuitatis fragilitatisque conſcius eſt; tum alios ſibi ratione cognitionis, maxime vero fidelitatis quâ cognita exſequuntur, præferre ſolet; idcirco timens, ne cæteri, ſi quos doceret, magis ipſi quam Deo adhærere quærerent, ne laudum Deo debitarum furro ipſius ad faſtum ſollicitent proclivitatem, neve ejus commoda (amori proprio aut corrupto grata) nimis in ſuam mollitiem promoveant, vel etiam (quia veritas odium parit) ne is eos, ſui perſequendi occaſione ſuggeſtâ pejores & cul-

culpæ magis obnoxios pejores reddat; ſimulque ne converſione ſui ad exteros ſe ipſum diſtrahat aut negligat, ea quoque verbis inculcet, quæ ipſe in ſe necdum ſatis radicata, nec ſatis ſeſe factis exprimere conſcit, aut quæ alii forte jam ſciant nec faciant tamen, horum proinde inculcatione reatui majori obnoxii futuri; his, aliiſque de cauſis, libentius ſibi ſoli intendit, nec non apud ſe manetque tacetque, quam foras prodeat locuturus, haud immemor pretioſi apud Epictetum verbi; *Magni periculi eſt ſtatim evomere quod non concoxeris. Quod ſi quis dixerit te nihil ſcire, Tuque commotus non fueris, tum ſcito rem eſſe inchoatam. Nam & oves non fœnum afferunt opilionibus ac demonſtrant quantum comederint: ſed paſtu intra ſe concocto, extra ferunt lanam & lac. Et tu igitur ne verba celeriter oſtendas imperitis; ſed opera, quæ verborum coctionem ſequuntur.*

Interim tamen accidit interdum eruditis ſua ut cum aliis teneantur communicare: quod oneris Socrates ſibi a Deo impoſitum eſſe teſtabatur; quodque in aliis verum legitimumque ut ſit, ipſi, ſine ſui adulatione, in interioribus ſuis viderint utrum, non dicam a ſordida lucri cupiditate; verum annon a ſuperba titillatione pruritu ve ſe ſuaque coram producendi, famam, rumuſculos laudeculasque homuncionum emendicandi, prodeant, ſed a Deo O. M. ad id diſponantur & trahantur: cujus erunt certa criteria, ſi ipſi plus quam pro ſe ſufficit veri bonique dotibus abundent: tum ſi ex luminoſa hujuſmodi

abun-

abundantia nec ſibi delectationem ullam capiant, nec aliis meliores ſibi eſſe videantur. O rem difficilem & gravem humanis creaturis, quæ annexæ carnis vinculo, unde per dæmonis inſtinctus incitatur proprius amor, ut vel de gratiſſimis veluti cibis oblatis aliquantulum ſibi deguſtet, abſtinere tamen debent, ni divino furto, dæmoniſque lapſu reæ velint effici! Non mirum ſane ſi quos Deus ipſe ad præfecturam & doctrinam aliorum vocabat, ipſi aliquoties eam refugerint ſtationem, ubi & tentatio ad ſibi ipſi placendum datur periculoſa, nec tamen, niſi ſub criminis reatu, licet in divitiis cibisque divinis proximo communicandis delectari ſibi; ſed contra, ubi magis quam prius requritur, rem ſuam, famam, commoda, placita odiſſe, ut puriſſime res Dei in proximo modis appoſitis promovenda, infucate & unice quæratur. Alio modo diſpoſitos, Deo probari non poſſe, per ſe cuivis patet conſcientiam debite inſpicienti.

34. *Eos primo factis docere: quæ omnium efficaciſſimo via.* XXXIV. Ex ea, qua illi gaudent intus, luminis bonique abundantia, fit ut prius tacentes (quod ſemper malint eſſe,) ſimulque agentes doceant erudiantque, quam loquentes: Exemplis namque plus quam verbis attenditur a plerisque, ſaltem ab iis qui ſapere debite cupiunt; ſiquidem exempla viva & doctrinam, & doctrinæ implendæ poſſibilitatem, & fructum ejus (tranquillitatem pacemque agentis,) denique & alacritatem ad imitandum in ſpectatore exhibeant ingenerentque: neque enim hi

(per-

(perverſe maligni ni fuerint) continua ſpecimina veræ eruditionis, contemtûs ſcilicet & prætermiſſionis rerum evanidarum, amplexationis ſolidarum, intimarum, duraturarum; uſûs moderati externarum & ad tempus neceſſariarum, regiminis denique debiti erga Deum, ſe & alios, coram oculis habere queunt, quin inde meliores, regulariores eruditioreſque ab ejusmodi inſtructoribus quanquam vel ſilentibus diſcedant.

35. Nec irriſoribus, nec opinioſis, nec rixoſis, neque calumniantibus communicanda eſt ſolida veritas; neque ſemper contra adverſarios verbis tuenda eſt.

XXXV. Factis ſuperaddunt haud raro verba, tum ſcriptis, tum viva voce, ii queis ſua aliis eruditio probato principio communicanda incumbit. Verum ſiquidem Deo neutiquam gratum eſſe queat, ſuæ ut opes diviniores cœleſteſque theſauri proculcandi, dilapidandi, irridendi exponantur; cumque inter eos qui eruditionis acquirendæ deſiderium præ ſe ferunt, haud pauci ſint qui veram ſolidamque (quia ſeverior eſt, corruptis praviſque ſuis affectibus acerba & adverſa) parati ſint vel irridere, vel etiam odiſſe & impugnare, ſuis ut minutiis, ſterilibusque ac frigidis quiſquiliis, quibus non arguitur nec dedolatur prava mentis ſuæ diſpoſitio, ſed fovetur potius & demulcetur, ſecuriùs obdormiſcant; hinc fit ut quantum fieri poteſt, quantumque eos cognoſcere datur, ab ejuſmodi irriſoribus, luminiſque purioris hoſtibus prohibenda ſint ſapientiæ verba, etſi ea ſe peroptare ſimularent, aut etiam ſcriptis provocaſſent veritatem, de ea imaginarios acturi triumphos ſi taceatur. Id exigit

ſolidæ Veritatis honos, ut ne iis proſtituatur qui non reverenter eam ambiunt, ſed procaciter illi quidem dedecus, ſibi vero ipſis hîc majus nequitiæ augmentum, olim autem caſtigationis Divinæ cōpioſiorem menſuram conciliare volunt. Coram Judæis inſtantibus, judiceque inepto, tacuit olim ſumma veritatis ſapientiæque organum, ſuos; ne canibus ſancta, ne ſuibus margaritas objicerent, inſtruens. Sed nec etiam invitis, nec præjudicio pertinaciter libenterque conſtrictis obtrudenda eſt veritas: his quia fruſtra erit, illis quia nullius libertas (quam ne Deus quidem velit cogere) violanda eſt, nauſeam ſiquidem cum odio parit, non amorem, quicquid ingeritur non appetentibus. Quapropter cum diſputationes inſtantes rixoſæque vim aliorum cogitationibus inferre videantur, ab illis abſtinebit omnino ſolide eruditus, qui impoſſibilia non captans, neque ſibi arrogabit jus poteſtatemque aliorum libera judicia flectendi vel immutandi, caſſo conamine, temporis jacturâ, nullo niſi odiorum apud alios fructu, apud ſe culpâ amiſſæ tranquillitatis ſuæ. Quod tamen, ſi interdum Apologiâ veritatis verè ſit opus, & tempus id poſtulet, patietur ſuam exceptionem, quando videlicet, illâ per malevolorum calumnias deformatâ maleque expoſitâ, alii qui inde alioqui adjuvari & proficere poſſent ſi eam adirent, aufugiunt ab illa, nil de calumniantium fraudibus ſuſpicantes: quod tamen locum non habet, ubi malignitas, affectus, aut ignorantia adver-
ſan-

ſantium nimis ſunt in propatulo. Ea cæteroquin eſt veritatis αὐτάρκεια, ut aliunde applauſus non quærat; namque ei (uti ajebat ille) auditores ſufficiunt duo, ſufficit unus, ſufficit nullus: dignior quam ut homuncionum ſuffragia debeat emendicare; digniſſima quæ ab omnibus quæratur, nec tamen ſtatim & promiſcue quibuſvis ejus cupidis communicetur.

XXXVI. Sunt namque inter eos qui erudiri cuperent nonnulli interdum animo vitiis aut deſidia aut inconſtantia ita fracto, habitibuſque corruptis ſic capto, ut verendum ſit eos, ubi noviſſimæ curioſitatis primus fervor refriguerit, mox terga verſuros, cum veritatis eamque communicantis deſpectu: quare & ab iſtiuſmodi hominum genere caute cavetur. Notabile apud Senecam (Epiſt. 112.) cujuſdam exemplum eſt, de quo is inter alia: *Hic de quo ſcribis & mandas, non habet vires. Indulſit vitiis, ſimul & emarcuit & induruit. Non poteſt recipere rationem, non poteſt nutrire. At cupit ipſe. Noli credere. Non dico illum mentiri tibi. Putat ſe cupere. Stomachum illi fecit luxuria: cito tamen redibit in gratiam. Sed dicit ſe offendi vita ſua. Non negaverim: quis enim non offenditur? Homines vitam ſuam & amant ſimul & oderunt.* Illuſtrius exemplum præbet Servator in plurimis qui ipſum avide audituri ſequebantur ad admirationem uſque, deinde vero deſerebant continuo. Quapropter de Chriſto dicit Joannes, quòd etſi *multi credebant in illum, ipſe tamen, quia eos, &* *quid*

36. *Neque etiam eadem omnibus ejus cupidis exponenda; ſed, quantum fieri poteſt, ſolis fidis, cautelâ adhibitâ.*

Joh. 2:23.

quid in homine eſſet, dignoſcebat, non fidebat iis. Ita ſane agendum, etſi alioqui nullum aliud ſequeretur incommodum, quam quòd qui ſe cum ejuſmodi hominibus docendis exercere vellet, proprium tempus vitamque totam inutiliter tranſigendi, inque lapidoſum & ſterile ſolum ſemina nil profutura diſpergendi occaſionem poſſet nanciſci ampliſſimam. At cum inter eos qui eruditioni admittendæ ſunt accommodatiores, ſic intermixti ſint & male diſpoſiti, ut vel non ſatis diſcerni, vel non tuto ſeparari poſſint, quo ſolis dignis communicetur veritas, accidit ut ea ſæpe ſit promiſcue propalanda omnibus, ne ſi reticenda eſſet ob imparatos, & boni, qui interſunt, eâ privarentur: quod tamen non habet locum niſi in ſumme neceſſariis, ubi veritatis reticentia probis foret damnoſa atque exitialis. Quando vero abuſus, cujus eruditionis veræ incapaces ex veritate percepta ſeſe reos facere poſſent, inſignis eſſet, hac cautela utuntur Erudientes, ut vel obſcuriùs vel ænigmaticè ſua enuncient, clariori expoſitione ſeorſim diſcipulis fidis reſervata; vel communia palam dicant, ſecretiora pro ſuis recondentes: quod in ſacro volumine legimus a Chriſto factum eſſe fidis diſcipulis, quibus omnia allegorica explicabat, inquiente, (*a*) *Vobis quidem datum eſt Regni Dei myſteria noſſe: cum cæteris vero non niſi per parabolas agitur*: quodque Philoſophis ipſis anſam dedit ea quæ docerent vel ſcriptis conſignarent, diſtinguendi in *exoterica*, omnibus exponenda, & *acroamatica*, qui-

(*a*) Luc. 8:20.

quibus artis præcipua & intima continerentur, ſolis auditoribus fidis concredenda.

XXXVII. Soli namque ii qui apti ſunt, 37.
materia vera ſunt, quam docens erudiendam & formandam ſuſcipiat, niſi artifice quovis imprudentior ineptam inducendæ formæ materiam aſſumens, operam velit ludere. Aptos appello illos, qui qualitatibus a me ſuprà, dum de ſubjecto eruditionem acquiſituro agerem, recenſitis præditi ſunt, quas, quia verbo reperi poſſunt, repetitione nomino, fundi ſinceritatem, humilitatem, ſerium a cæteris ad Deum recurſum; deſiderii ardorem, flexibilitatem, conſtantiam, ſpem; intellectûs vacuitatem & quietem; acquieſcentiæ traditionem fortitudinemque: quarum prima protinus actu adſit, neceſſe eſt; utile cæteræ ſi adſint quoque actu ipſo; alioqui ſufficiat initiò, ſi ſincerus illarum amor, ad illaſque adſpiratio cupida reperiatur: infirmis namque bonæ voluntatis non præcludenda ad eruditionem via eſt; ſed potius læviganda, maxime initiò, ubi docentis animum ad diſcentis mediocritatem debilitatemque ſeſe accommodare & συγκαταβαίνειν uti neceſſe eſt; non modo quia omnem diſcipulum principiò eſſe debilem per ſe patet; ſed & quod momenta accidant quibus bonarum etiam quas poſſidet qualitatum veluti eclipſin patiatur, quod & ipſis eruditioribus, juxta diverbium, neminem omnibus horis ſapere, contingere poteſt. Tunc igitur prudentis eſt inſtitutoris, vel omnino ad tempus ceſſare, ne tempore paroxyſmi præceptis in-

Quinam ii ſint qui veritatis participandæ ſint capaces: eos infirmitatibus, præjudiciis, praviſque affectibus, maxime amore proprio, non carere initio; queis tamen ſe accommodet eruditor neceſſe ſit; & quomodo.

 tem-

tempeſtivis irritet morbum alioqui ſanabilem, & morâ nonnullâ diſſipabilem, neve reddat vim veritatis fruſtraneam, caſſam & odioſam; (unde temporis obſervatio, ut quis eruditionem diſpenſet tum cùm illa a ſubjecto diſpoſito recipi eique proficere poteſt, inter primarias veri Eruditoris regulas eſt;) vel, ſi diſcentis ſtatus incommodus ferat tamen nonnullam diſciplinam, verbis actisque ea illi ſunt proponenda, eoque modo, ut cum ejus imbecillitate proportionem ſervent: alioqui communicationis medium erit nullum, ſi altero jacente, ad ſublimia alter velit evolare. Sermo igitur exemplaque, & quæ exhibentur agenda, temperari opus eſt, omniaque modis proponi pinguioribus, craſſis ac materiatis, quin & præjudiciorum diſcentis falſitati accommodatis; ipſiſque interdum præjudiciis quaſi fundamentis & veritatibus utendum eſt ad promotionem ſcopi præcipui & neceſſarii; veluti, ſi, exempli causâ, ſinceritatis, innocentiæ, patientiæ, ſimiliumque virtutum incrementa nonnullis maxime neceſſe ſit inculcare; id ut fiat efficacius, cum illis (ſi in hoc ſint præjudicio) ſtatui poteſt & debet, virtutes haſce eisve analogas, in brutis ovibus aut columbis reperiri, inde ut pudere poſſit eos ſi a brutis ſe ſuperari, iisque deteriores ſe eſſe patiantur. Ita animi gratitudinem erga Auctorem omnis boni, ejuſque obſequium impriment facilius, ſi canes ipſos id ſuis dominis præſtare inculcetur. Similiter de cæteris. Verorum eruditorum docendi modi
(quos

(quos ſuperius appoſitos eſſe volui) iſtis abundant exemplis, quorum idcirco ſcripta moroſiores Critici cùm ſeverius & exactitudinis externæ omnium circumſtantiarum ratione habita examinant tractantque, abſurde admodum ludunt operam. Non autem ſolorum præjudiciorum reſpectu ſe ſuis accommodat ſolide eruditus, verum etiam quoad paſſiones (ut ſic loquar) affectusve, etiam pravos, quibus non utique caret primùm erudiendus, præſertim Amore proprio: qui & præcipuus & omnium, morbus, ita dextre ſanandus, & exterminandus eſt, ut initiò ſe demulceri & foveri potius ſentiat, quàm impeti; fugeret alioqui & medicum & ſanitatem æger. Caute igitur inceptanda & agenda hujus mali curatio, evitatis potiſſimum duobus, quibus amor proprius potiſſimum efferatur, irriſione & dura ſeveritate; quorum utrumque, proximum maxime, exhibet diſcentibus eam ſui Erudientis ideam, in qua amoris exiſtimationiſque erga ſe extinctionem videant, id quod ipſi facile diffidentiâ, diſpoſitionis ſuæ ſtatusque occultatione, odio fugaque compenſare poſſent. Sed nec periculum eſt ne vere eruditus irriſioni indulgeat, ſiquidem eâ ad acquirendam & fovendam eruditionem ipſe carere debuerit, ut ſuperius obſervatum eſt; periculum majus, ne ſeveritatem, qua ipſe erga ſe debuit uti, ad alios intempeſtive extendat, quorum amor proprius eſt potius alliciendus: quod tamen ut fiat ſine periculo, id eſt, ne proprius amor inde magis creſcat & corroboretur

tur, quam decreſcat, ſine numine divinaque prudentia, precibus a Deo impetranda, fieri neutiquam poteſt. Ipſe Deus populum olim per ejusmodi συγκαταβάσεις (condeſcendentias, ſi liceret, dicerem) innumeras ad veram eruditionem allicuit Iſraëliticum, quibus cùm plurimi prius ad ſcopum verum perveniſſent, poſtremo tandem ab eo omnes deſcivere.

Tantæ molis erat ſapientem condere gentem.

38. *De medio communicandæ eruditioni ſolidæ: id nec voces eſſe, nec ſcripta; ſed docentis & diſcentis internas diſpoſitiones; accedente Dei actu. Clavis Scripturæ quæ. Obſcuritatis in incipientibus cauſſa. qui hinc fides ab illis requiratur. Irriſorum criticorum iniqua abſurditas.*

XXXVIII. Poſtquam eousque cum erudiendis condeſcendit Eruditor (venia ſit verbis,) jam quærendum eſt medium communicationis, quo ea quæ in mente docentis ſunt, in diſcipulorum mentem ingredi & transfundi queant. Id vulgò verbis abſolvi putant. Verborum interceſſionem fateor ordinariè neceſſariam; at eam non ſufficere, tot ſectarum de divinis humanisque diſputantium & altercantium diſcrimina, quæ tamen omnes Præceptoris unius alicujus verba ſcriptave pro principio admittunt, ſatis ſuperque oſtendunt. Naturalium ſcientiarum ſcrutatores de ſenſu verborum Auctoris alicujus ſui, quem omnes pariter audiunt, inter ſe diſputant. Chriſtianos iisdem verbis omnes alloquitur divinum Volumen, tametſi alii aliorum cogitata factaque tam majoris quam minoris momenti, quæ ex Scripturæ verbis pariter utrobique auditis ſe haurire profitentur, falſitatis arguant. Quid hîc agas? Non certe in verbis, ſed in eorum qui verbis utuntur diſpoſitione clavem veram ſenſuum latere, hinc ſatis pateſcit; idque divinis,

vinis, exempli cauſa, (quia in illis evidentius negotium capietur,) libet hîc applicare. Conſtat a Dei actu pendere lumen veri, quo erudiendorum mentes illuſtrandæ ſunt. Hujus Dei in mentibus actûs, verba docentis non poſſunt eſſe cauſa niſi occaſionalis, eaque non neceſſaria, ſed a libera Dei voluntate pendens: hoc eſt, quando docens loquitur, & diſcens audit, non ideo tenetur Deus ex verborum auditorum occaſione lumen ſuum in mente auditoris excitare: ſed id faciet cum ipſi lubebit: lubebit autem id facere quando docens & diſcens ipſi Deo ſunt grati, ſive, quando ſincera mente ut divinæ voluntati pareant, dant operam: Deus enim eorum qui ipſum amant & reverentur, voluntatem implet atque deſideria. Ergo quando docens ſincere ardenterque deſiderat & precatur ut verbis quæ profert jungat Deus gratioſam luminis ſui in mente auditorum operationem; quando etiam auditores ſinceri ſunt, humiles, ad Deum converſi, gratioſum ejus luminis virtutisque actum in ſe optantes & deprecantes, iisque conditionibus præditi, quas ad acquiſitionem veritatis ſolidæ requiri aliquoties diximus; tunc Deus, amator & fautor amatorum ſuorum, eorum voluntatibus obſecundans ob bonas mentis ipſorum diſpoſitiones, lumen ſuum in illis excitat, quandoque ſine verborum occaſione, ordinarie tamen ex occaſione eorundem; quæ verba alioqui, Dei actu bonaque mentium conſtitutione abſen-

tibus, verba ſunt mortua, & *litera mortis*, ut
(a) 2 Cor. 3:6, 7. Paulus (*a*) Scripturas ipſas nominat, dum & miniſtros literæ ibidem diſtinguit a miniſtris Spiritus, qui hi ipſi ſunt quos modo deſcripſimus. Atque hæc vera eſt Scripturæ, divinique ſenſus ejus clavis, non autem millena nugamenta de critica, de linguis originalibus, de legibus interpretationum, quibus inſtructiſſimi Judæi circa vetus Organum, illum qui promiſſus & depictus ibi erat, non modo non agnoverunt, ſed & eum crucifixerunt; Chriſtiani vero illum charitatis & Dei Spiritum, qui librorum fœderis novi ſcopus & finis eſt, non modo neſciunt, ſed & in Scripturis ſpiritum odii & diſcordiarum atque Antichriſtianiſmi videntur deprehendiſſe cum ſuis egregiis interpretationum legibus; quarum tamen nonnullæ, ubi prædictis, quæ præcipua ſunt, adhæretur, ſuum, ſed eum acceſſorium & minuſculum uſum habere queant. De naturalibus ſimilia fere dixeris. Eorum eſſentiæ proprietatumque ſolida & radicalis cognitio, temperatus bonuſque uſus, cùm ſine Deo haberi non poſſint, (uti dictum eſt ubi de acquiſitione,) ſine eodem etiam, nec non ſine docentium ac diſcentium debita habitudine, nequeunt communicari. Atque hæc omnia eo magis ſunt obſervanda, quo plura ſunt in natura & in gratia ad quæ homines cœci ſunt, ex quo impuri naſcuntur & depravati. Et revera qui hoc ex tenebroſo cœcoque ſtatu emerſerunt alios docturi, ſe ad illos in plerisque habent

veluti

veluti videntes ad cœcos, quos de lumine, de coloribus, de objectis viſus, deque modo ea per oculos percipiendi alloquuntur; aut veluti ſi quis ultra quinque ſenſus naturales nobis communes, alios quinque aut plures inſuper haberet, quibus res nobis imperceptibiles & incognitas perciperet, is, ſi nos de hiſce quibus præpolleret vellet alloqui, fruſtra ſane funderet verba, niſi medium ſciret aliud quo ſenſus in nobis deſiderati vel ſopiti aut emortui, reviviſcerent; niſi etiam ad hæc media, quibus ex parte ſua quicquid poſſet conferret, eos ablegaret, qui illi primò fidem habentes, eis uterentur, ac demum ſenſus iſtos reciperent. Crediderim, hominem, cum integer eſſet, habuiſſe ad divina, nec non ad naturalia in origine ſua, quæ divina eſt, cognoſcenda, vel plus centum percipiendi facultates, quibus nunc deſtituimur, aut quæ in nobis ſopitæ & veluti emortuæ ſunt. Et certe hoc teſtantur Deus & experti, dum ajunt, nos ad iſta cœcos, ſurdos, mortuos eſſe, affirmantque (a) *homines naturales non poſſe percipere ea quæ ſunt Spiritus Dei: haberi ea ab ipſis pro ſtultitia &* fabulis; donec principia ſpiritualia, per quæ poſſint ea percipi, receperint: proindeque & nos hortantur, & precibus ſua ex parte juvant, ut (eis ſi primùm in cœcitate noſtra crediderimus) media aliquoties dicta, quæ in eruditione acquirenda admiſerunt eam adepti, adhibeamus; quibus mediis percipiendi facultates conſecuti, eas res

(a) 1 Cor. 2: 14.

res ipſimet cognoſcamus, quas primum incognitas, ex relatione & ſine ideis diſtinctis credebamus; ſicque capiamus deinceps ſenſa verborum, quibus iſta nobis particularius explicare voluerunt aut volent in poſterum.

Hinc patet nil mirandum eſſe quod veri eruditi, de rebus divinis nec non naturalibus ſolidius loquentes, non capiantur a vulgo, neque a falſis ſuperficiariiſve eruditis, nec quidem ab incipientibus bona voluntate præditis. Nec mirum igitur ſi ab irriſoribus criticis irrideantur, & in ludibrium coram ignaris vertantur ea, quæ cæteroquin revera omnium diviniſſima, ſolidiſſima, præſtantiſſimaque ſunt. Faciunt id quod cœci, ſi qui totam aliquam regionem incolerent, qui nunquam corpora niſi tactu palpandique facultate percepiſſent, quoſque accederet oculatus qui eos de corporibus per oculos percipiendis alloqueretur: hunc, ſermoneſque ejus non intellectos, cachinnis procul dubio exciperent, ipſi miſerrimi, riſuque & commiſeratione digniſſimi.

39. *In modo docendi a ſimpliciſſimis maximeque neceſſariis inchoandum: tum (quod ſummi beneficii loco eſt, diſcen-*

XXXIX. Hiſce præmiſſis, quam materiæ aptæ formam ſuperinducendam allaborat, ea eſt, qua ipſemet eſt eruditus: quæ quoniam plura complectitur, a maxime neceſſariis, quæ ut plurimum & ſimpliciſſima ſunt, exordium capit, ſemotis tantiſper omnibus cæteris, iis tamen non repulſis quæ neceſſariorum veluti vehicula ſunt & adminicula. Rudis & incompoſita mens,

cum

cum ſit inſtar lapidis ædificio deſtinati, ſic erudienda eſt & lævigenda, ut cum cæteris lapidibus, angulari quidem & fundamentali, Deo; collateralibus vero, hominibus reliquis, cæterisque rebus creatis, bene conveniat, ædificiumque unum ornate componat; ſic tractanda adaptandaque, ut ſi contingeret, quod quovis momento contingere poteſt, eam quocunque tempore ſua mortalitate exui, diſpoſitiones haberet, quæ beatæ æternitatis domicilio eam non ſiſterent ineptam, incapacemque quæ ad divinam hanc ſtructuram concurreret. Et quamvis primæ hujusmodi operationes, quoniam corrupto & bruto mentium inſtituendarum ſtatui adverſæ ſunt, eumque deſtruere annituntur, ſint iis quam maxime acerbæ; nihilominus poſtquam ſatis hactenus præparandis alliciendisque animis operam navavit docens, diſcentiumque animi diſpoſitionibus præviis fortiores viriliores que facti ſunt, tandem frangenda glacies eſt; & elementis primis diu ſatis tritis, ſurrogandi cibi ſolidiores, iique non tantum in genere veri aut agendorum, ſed & in modis quo erudiens erga ſuos utitur. Hoc eſt, cum tempus eſt, veritates ſuorum præjudiciis, iiſque gratiſſimis maxime oppoſitas, præcepta amori proprio propenſionibuſque intimis & perverſis quam plurimum adverſantia ſic eum proponere neceſſe eſt, ut ſi pertinacius inolita conſuetudo prava recalcitret, huic oppoſita durioribus verbis modiſque imperentur, erudiendique de pertinaci

tis præjudicia navique invadenda, etſi is inde vivide commoveatur. Sine ſenſu anxio & adverſante eruditionem nec communicari nec acquiri poſſe.

reſiſtentia corripiantur : & id quidem rarius, atque appoſite; ſed tamen quandoque. Neceſſe enim eſt falſa, præjudicia, pravum ſui ipſius amorem, ſibimet ipſi deſideriisque vanis adhærentiam, & cætera quæ ſolide & æternum ſubſiſtere non poſſunt, ſemel frangi & deleri, ſi animus ab ineruditione ruditateque ſua ſit liberandus, & ſolido atque æterno ædificio initiandus. Et quamvis ineruditi, & quorum oculi tenebris adhuc obducuntur, ejuſmodi duriorem agendi rationem odii ſignum eſſe exiſtiment, ex doloris ſenſu inde enato rem penſitantes; ea nihilominus majoris eſt quam dici poſſit amoris argumentum: ſiquidem nil melius ſit quam tenebris & malo carere; quod ingens beneficium ſummæ charitatis eſt non vereri procurare eo modo, qui & reprehendentem odii alicujus periculo exponat, & ipſummet cum illo quem amat, ingenti afficiat doloris ſenſu. Namque quo vividiores ſunt eruditi docentis facultates præ facultatibus diſcipulorum adhuc ſemiſopitis, & quo teneriori amore verum bonumque is proſequitur, eo quoque vehementiori dolore afficitur ob offenſas in bonum verumque pertinaciter ab iis commiſſas & defenſas, idemque etiam magis eorum anxias pœnas perſentiſcit quam ipſimet; cùm is illos magis quam ii ſemetipſos vero amplexetur amore. Nil autem abſurdius ſibi promittere poſſunt ii qui in tenebris, erroribus, præjudiciis, corruptisque ac vanis moribus indolis perverſæ nati ſunt & educati, quam quod ſine ſenſu anxio & repugnante

gnante in viam veritatis virtutisque credant ſe poſſe reduci. Faciliusomnia corporis alicujus membra luxata, inque luxatione diu indurata, ſine adverſo ſenſu in locum reducenda expectares. Inimica eſt ſolida veritas diſpoſitionibus in quibus induruimus; & qui non ſperat & optat ejus in ſe oppoſitos ictus, ſanabitur nunquam; ſed tanquam rejectaneus lapis, examen & operam non patiens, projicietur foras, iturus, ſi lubet, eos ad Doctores, qui quoniam nihil niſi propria emolumenta quærunt, illum in placitis erroribus & nævis quieſcere ſinent, non niſi quæ auribus & propenſionibus ejus grata erunt, ipſi præcipientes atque laudantes, donec emendationis tempus præterierit. Aliis ſe erudiri optet doctoribus & modis, qui ſui emendationem quærit, dicatque potius cum vate regio: (a) *Percutiat me juſtus, beneficii loco ducam: caſtiget me, id mihi pro præſtantiſſimo erit unguento: neque ſolùm caput mihi non lædet; verùm etiam in ejus incommodis pro eo precabor.* (a) Pſalm. 141.

Tanti momenti hic eſt articulus; (eo quod ibi lateat cauſa, cur quam plurimi bonæ voluntatis animi a via ſolidæ eruditionis incepta diſceſſerint perierintque) ut non pigeat omnia hæc Mentis cujuſdam divinius eruditæ teſtimonio, etſi longiuſculo, illuſtrare, quæ ſic de iſtiuſmodi Erudientibus, de quibus agimus: *Non poſſunt illi erga ſuorum diſcipulorum nævos, ſiquidem id conducere videant, ulla ſimulatione aut diſſimulatione uti; neque eorum recordari, quin ipſis eos indicent, ſiquidem* S. Ter.

dem ipſos virtutibus diteſcere peroptent quam vehementiſſime. Ad hoc nil fere intactum & non tentatum relinquunt, etſi alioquin creatarum rerum fere ſint obliti. Nil illi agunt aliud, neque ſe impenſo illo amoris impulſu liberare valent. Et quia erga ſuos nec adulationes nec diſſimulationem adhibent, hi neceſſario aut emendabuntur, aut diſſolvetur mutua amicitia; ſiquidem hic agendi modus niſi cum emendatione excipiatur, intolerabilis eſt, bellumque reciprocum & continuum. Equidem cæteros mundanos non curant (ejuſmodi ſolide Erudientes,) *nec advertunt an cæteri Deo pareant nec ne, ſibi quippe ſolis invigilantes: at id cum familiaribus erudiendis neutiquam queunt obſervare, nec ipſos quicquam celare. In eis tam acutum cernunt, ut vel atomi viſum eorum non effugiant: quod ipſis ſane immenſæ crucis magnique laboris eſt carpere, felicitatis autem ingentis omnibus qui iſto pacto a talibus amantur: Fortunatam dicant diem qua ad eorum pervenerunt notitiam. Quis det mihi, bone Deus, ut me multi tali amore proſequantur! Id ardentiori deſiderio peroptem, ô Deus, quam ab omnibus ſeculi Regibus & Magnatibus amari: & merito ſane; ſiquidem nil illi molimine omni agunt quam ut toti mundo dominari poſſimus, omniaque nobis ſubjiciantur. Itaque ſi ejusmodi* (Ductores) *repereritis cum ipſis agite, & laxis eos habenis amate: perrari enim ſunt. Nulla via ad Deum tutior quam cum ejus amicis agere. Semper ex hoc profectus manat ingens. Id experientia me docuit; & dicere auſim, me, ſi perditionem*

tionem evitavero, id, præmiſſa Dei commiſeratione, iſtiuſmodi hominibus tributum debere. In rebus aliis ſequioris momenti nil efficacius eſſe quam in tempore ſubjectum meritum cum ſale nonnullo corripere, omnium artium diſciplinarumque periti atque Magiſtri unanimi conſenſu verbo & opere profitentur.

40. *Neceſſaria, cæteris ſemotis, aliquoties eſſe inculcanda.*

Cur nonnulli ab hujuſmodi repetitione averſi ſint.

Ejus ſumma neceſſitas & ingentia emolumenta.

XL. Dixi modò obiter, erudientem a neceſſariis in eruditione aliis communicanda exordium capere, cæteris tantiſper ſemotis: qua in re permultum intereſt, etſi ignari id neſciant, vel etiam nauſeabundo animo intueantur nonnullarum materiarum, quæ admodum ſiccæ & ſteriles iſtis videntur, inculcationem, eamque ſemel iterumque, imo multoties repetitam fieri. Multos ex benevolis etiam, ſed animo leviore, præcipitantiore, impatientiore præditis, a ſolidæ eruditionis communicatione impediit iſthæc eruditionem communicandi ratio. Geſtit animus illico videre flores & fructus bene coloratos & odoriferos; palatia aulæque bene ornata atque picta: terram autem invertere, ſemina illi immittere, primordia radicis curare diu & inſpicere; foveam fundamento ædificii locando neceſſariam repetitis ejectionibus effodere, lapides ſimpliciores haud ita elegantes nec pigmentatos cum ſudore & labore non jucundo ibidem diu defodere, aut ſaltem hæc inſpicere; non adeo gratum eſt mentibus mollioris & parum maſculæ indolis. Sed ob ejuſmodi abſurdam ignoviam non interver-

tet

tet in eruditione communicanda naturæ ordinem ſolide eruditus, qui primum ſuos præjudiciis falſis malisque rejiciendis, dein principiis fundamentiſque locandis, hoc eſt, terræ lutoſæ vertendæ & effodiendæ, ſeminibus radicibusque ſiccis & deformibus, lapidibus inelegantibus defodiendis occupabit diu: idque eo magis, quod eruditio menti communicanda ſeſe habeat quam maxime inſtar lucis a Sole emanantis, ad quam recipiendam omnis præparatio, & tantum non acquiſitio, conſiſtit in remotione obſtaculorum, quæ illam ab oculis prohibebant. Et quoniam illa obſtacula plura ſunt, amata ſunt, recurrunt ſæpiſſime; ideo non ſemel, ſed iteratis ſæpe vicibus eorum rejectio eſt inculcanda, nec non fundamentalium principiorum poſitio repetenda, maxime quando res concurrunt quæ quotidie in praxin reduci debent; contra quas corrupta indoles oblivione, diſtractione, averſione ſeſe opponit, confuſione etiam, miſcendo & turbando neceſſaria & principalia cum acceſſoriis & minus præcipuis: cui pernicioſæ permiſtioni non aliter obviam itur quam variata reiteratione, quæ non patitur ſumme neceſſaria ignorari, oblivione obduci, cum accidentariis confundi, quæque etiam animorum faſtidioſum guſtum, proprium placitum, activiores & indebitos motus ſupprimit & domat; nec non, ſi bonus ſit mentis fundus, intimius amorem inculcatorum implantat. Ipſa ſane natura in operum perfectorum neceſſariorumque negotio repetitione & revolutio-

volutione continua agit: ſola monſtra, quæ morbidam nonnullorum curioſitatem titillant, repetitione crebra non profert. Nec pudet doctos quacunque in arte, fundamentaliora ſua plus ſemel inculcare, ſicut Mathematici in qualibet propoſitione præcedentium repetitionem recolunt. Carteſius fundamenta ſuæ metaphyſicæ, quæ alicujus pretii eſſe putavit, vel decies in operibus ſuis repoſuit: Eruditi vero ſacri (quorum gratia hæc potiſſimum profero) nec minùs ſæpe ingerunt ea quæ tanquam capitalia commendant; uti luculenter videre eſt in divinis Scripturis, preces, abnegationem noſtri, amorem atque charitatem ſic ingerentibus, ut omnia cætera, etiam diviniſſima & ſublimiſſima removeant, imo fere interdum videantur tollere & negare (quod nempe ad tempus eorum cognitio & occupatio menti neganda ſit.) quo hiſce ſolis detur opera, quamdiu hic vivitur. Nempe inflant cætera: his vero ſolidius fundatis tutius & magnificentius ſuperædificabuntur ſuo tempore illa ipſa quæ tantiſper ſepoſuerimus,etiam ſi *tantiſper* illud totius vitæ ſpatio menſurandum eſſet, quod revera præ æternitate volucre momentum eſt, eo tamen conceſſum, ut pro ejus circa neceſſaria occupatione, æterna æternùm diſtribuenda ſint. Prudentiſſime ergo agunt qui hæc ſæpius inculcant, licet & ingrata ſint, & rudimenta ſint diſcipulorum; quia ſumme tuta & proficua: alia vero, licet ſublimia & angelica, differunt; quia periculoſa.

Ep. ad Trall.

ſa. *Nonne* (inquiebat divinus ille martyr Ignatius Antiochenus) *poſſim vobis ſupercœleſtia ſcribere? Sed timeo ne parvulis vobis ita damnum inferam, neve, (parcite,) iſtorum incapaces, ſuffocemini: neque etiam ſecundum hoc ligatus ſum. Verum cum ſcire poſſim cœleſtia, & diſpoſitiones angelicas, & conſtitutiones principatuum, viſibiliaque & inviſibilia; his prætermiſſis malim & adhuc eſſe diſcipulus: multa enim adhuc nobis deſunt ne ipſi deſimus Deo.*

41.

A ſolide erudientibus negligi ut plurimum ſtyli methodique rigidioris artes, ſolidis de cauſſis: etſi iiſdem ob nonnullorum molliores diſpoſitiones quandoque utantur: quandoque in his, aliiſve ſuam fateantur ignorantiam, vel etiam hallucinationem.

XLI. Illud etiam omittendum non eſt, ne alioqui ſolidioris eruditionis ſcriptores ob defectus frivolos prætermittantur aut contemnantur; eos videlicet ut plurimum in verbis eloquentiam, in tractandi ordine methodum rigidiorem negligere: quod multis contingere poteſt de cauſis. Namque primò, ex ratione diſpoſitionis ſuæ, animus excellentiâ intimâ rerum occupatus, earumque fructu ſolido ſeſe paſcens, non ſuſtinet ad cortices fucandos, aut arboris foliola certo ordine diſponenda revocari; neque methodici ſunt cordis animique ſinceri motus, niſi ſimul & languidi fuerint & frigidi. Deinde res ipſæ ex ſe tanti ſunt pretii vivique luminis, ut malint propria præſtantia nativæque pulcritudinis decore, quam aliunde conquiſito fuco commendari. Eorum eſt, quæ nullius per ſe ſunt pretii, aſcititiis aliunde phaleris ſpecioſiſque pompis ad ſui commendationem indigere, quod in ſe nil commendabile habeant. Tertiò, ipſa verborum artiſque conquiſitior affectatio ejus eſt indolis,

lis, ut tum audientes ſive legentes pervertat, qui lenociniis ejusmodi decepti captique in vero bonoque proficere ſe putant, dum potius eorum tenebræ, amor corruptus ſuarum titillationis aurium, vitia augentur; tum docentium oſtentationi ambitioſæque vanitati inſerviat: quæ ſane mala ſunt præcavenda quam maxime. Denique ipſe Deus ab ejuſmodi ambitioſis & exquiſitis ornamentis non parum abhorret: nihil enim coram ipſo magis inviſum quam idea homuncionum veritates divinas, quæ ad noſtri humiliationem nobis communicatæ ſunt, ſic torquentium & amicire adnitentium, ut in aliis ſui exiſtimationem excitent: a quo crimine cùm Deus ſit maximè alienus, non poteſt verbis eorum, ut ut de rebus diviniſſimis, ſuam adjungere operationem; atque adeo ſic evacuatur & effectu caret verbum veritatis, quod Paulus in re Euangelii prædicanda verbis politis, appellabat (a) *evacuare crucem Chriſti*. Inde eſt quod in ſpiritualibus ſolidiſſimi quique Inſtitutores omnium ſint ſimpliciſſimi & minime fucati, uti ex Scriptis ſacris antiquioribus, nec non ex recentioribus, (inter quos Kempiſius unus loco omnium ſit,) perſpicere datur: tametſi nihilominus nec eloquentia, nec arte, nec ſimilibus ſeculi ſcientiis detrectent uti, quando conducit uſus. Accidit ſcilicet non raro, ut illi queis eruditio eſt communicanda, ea ſint mentis imbecillitate, quæ nil niſi ad formulas artis compoſitum, diſpoſitum oblatumque admittere, nec quidem audire velit.

(a) 1 Cor. 1:17.

lit. His ſi ſalutare eſſe poteſt ut pro eorum palato præparentur & proponantur ſolidæ veritates, eos ſanaturæ & eruditure, faciunt id illas communicaturi, ſiquidem & eloquentiam & artis methodum ipſi ſciant: namque eis ſi deſtituantur, licèt facili opera brevique mora eas poſſent addiſcere, prætermittent tamen, rem veritatis totam genuinæ ſuæ ſinceritati ſimplicitatique commiſſuri, quod & in modo agendi cum adverſantibus humana edoctis obſervabunt, qui artes callebunt adverſariorum ſtrophas ſophiſmataque detegendi, ne per ea ſimpliciores aut minus cauti a ſolida veritate abſterreantur, agent optime ſi ſua ad hoc utentur peritia; quam, qui ea carebunt, diſputandi aut cavillatorum argutias diſcutiendi gratiâ, non curabunt comparare; quandoquidem veritatis lux, ubi ſolide poſſidetur, ſola præſentia ſua quarumvis nebularum tenebras diſpellere aptanata ſit. Nec diffitebuntur ex diſcentibus, qui ſaniore guſtu erga ſolida pollent. (aliis enim id nec perſuaderi nec explicari poteſt) ſe nuda ſimplicique veritate magis affici, quam eâdem quando multis illecebris (quæ ſemper aliud quid quam veritatem ſapiunt) eſt implicita.

Cæterum, non ſolum non pudet vere eruditos fateri ſuam de iſtiuſmodi verbalibus artibus, quando eas non tenent, ignorantiam, ſed & ingenue profitentur de rebus ipſis multa ſe neſcire, quæ vel ab infantulo vel meliercula, ubi opus eſſet, diſcere parati ſint: imo quod plus eſt, cum ſolus Deus

ſit

ſit infallibilis, non modo ſe falli poſſe agnoſcunt; ſed & quando Deus ad humilitatem conſervandam eos permiſit falli, aut quando eos ex naturæ noſtræ imbecillis conditione falli contigit, ſe lapſos eſſe aperte & candide declarant, idque (quod Auguſtinus ſcripto retractationum exſecutus eſt) retractare ex animo non verentur.

42. *Erudientes ſolidos per impoſturas, irriſiones, perſecutioneſque vexari ſuperficiariorum & falſorum eruditorum ſupellectilis ſuæ ruinam per veritatis ſolidæ communicationem metuentum.*

XLII. Quamvis autem nullis noxia, omnibus bona procurare animo atque opere omni conentur; non eſt tamen quod ſperent alios erga ſe eodem deſiderio animari. Sunt namque perplures falſa ſuperficiariaque eruditione delibuti, qui artium ſuarum futilitatem, adeoque & quæ inde captant, famam, lucrum, commoda, in fumum abire ex ſolidæ eruditionis admiſſione metuentes, omni molimine eos opprimere machinantur. Hi cùm plebem habeant facilem, itemque fallaciarum ſuarum multos diſcipulos, qui omnes a vera propenſione ad ſapientiam & alieni ſunt, & ejus irriſores, vitiiſque & moribus indulgent quibus vera eruditio eſt maxime inimica; facile eos in illos commovent: & cum hanc ſeditionis ſuæ veram cauſam prætendere & profiteri non auſint (cederet enim id ipſis quidem in vituperium, adverſariis vero in laudem,) fingunt cauſſas alias, imponunt, mentiuntur, innocue dictis factiſve mille ſenſus ſcopoſve perverſos aſſignant; clamant omne bonum, verum, honeſtum periclitari, potentiores ad triſtiora compellunt, denique nil non tentatum relinquunt contra eos, quorum

rum fruitione & convictu nec mundus dignus eſt. Quibus artibus optimi quique olim apud Judæos, Gentiles, Chriſtianos, vel e medio ſublati, vel ejecti ſunt, vel ſaltem coloribus atris ita deformati, & omnibus ſuſpecti redditi, ut ab eis eorumve ſcriptis veluti ab angue abſtinuerint & ipſæ ſimpliciores bonæque mentes, quæ alioqui per hæc ſervari potuiſſent. Iſtis malis ſubinde apologias opponebant, quandoque vehementiores, interdum leniores; plerumque cùm per has nil fieret, furorque magis inde exacerbaretur, ſilentium, patientiam, ipſamque beneficentiam in inimicos: quorum exempla nonnulla inter Ethnicos viſa, apud Chriſtianos veros verum locum invenerunt ex præceptis Divini ſui Præceptoris, genuinorumque ejus ſucceſſorum, quos inter mediis in vinculis perſecutioneque durante divinus ille Ignatius rem ſuis ſic commendat: *Permittite eis* (adverſantibus) *ut ſi pote ex operibus a vobis erudiantur. Ad iras ipſorum eſte vos mites; ad magniloquia vos humilia ſapientes; ad blaſphemias eorum vos orantes; ad errores eorum vos in fide firmi; ad eorum feritatem vos manſueti; nec feſtinetis imitari ipſos, ſed agite ea manſuetudine, qua fratres ipſis ſiamus; imitatoresque Domini eſſe contendamus; quis plus patiatur injuſtum, quis fraudes, quiſque contemtum magis perferat:* Quid vero vel nunc, vel in poſterum, cum ſimiles quæpiam malorum technæ reviviſcent, eruditis veris ſit agendum, verbisne an ſilentio utendum, ipſi lumine, quo pollent, viderint: ego

Ignat. ad Epheſ.

ego non determinem, qui neque hæc, nec quæ præceſſerunt ea animi arrogantia ſcripſi ut eis præcepta darem; ſed tantum ut ſi qui ex iis, qui eruditione nondum inſtructi ad illam adſpirant, adeo felices ſint ut in ſolidioris eruditionis formatores incidant, non patiantur ſe ab illis eorumve ſcriptis abduci propter ea quæ diximus præjudicia, offendicula, maledicta; neque etiam credulitate adeo ſtolida duci, ut de eorum dogmatibus atque ſenſu ex relationibus ſcripturisve adverſantium aggreſſorum criticorumque ut ut criſtatorum, dijudicent: qui me modus juvit non mediocriter in eis detegendis atque inveniendis, etiam in ſexu ſequiori. Optem omnibus, ut nullis obſtaculis à conſecutione ejus quod ſemper eos tranquillitate lumine beare poteſt, diſcludantur.

Prov. II. 6.

Dominus dat ſapientiam; & ex ore ejus prudentia & ſcientia.

LIBER SECUNDUS

qui eſt

De

ERUDITIONE

SUPERFICIARIA.

1\. *Libri hujus materia, ſcopus, modusque tractandæ rei.*

I. QUæcunque hactenus de Eruditione Solida dicta ſunt, cùm præcipuam dicendorum, materiæque tractandæ partem contineant, ſufficiantque cuivis ingenuæ & ſinceræ Menti ad oſtendendam viam quâ ad ſolidiora vera bonaque pervenitur, (quod pro ſcopo maxime mihi in ſcribendo aſſumſi,) non erit cur in ſequentibus tam exacte, copioſe, methodiceque occuper circa ea quæ Superficiariam atque Falſam Eruditionem concernunt. Non proponam mihi earum diviſiones parteſque omnes, ordinem, vias acquirendi, notas & proprietates tum poſſidentis tum communicantis ſic exponere, ut veluti conſpectum atque aream regionis iſtius ſuperficiariæ lutoſæque univerſam in aſpectum protraham, quod aliis nil inde utilitatis, mihi vero etiam bonarum horarum jacturam, falſis autem eruditis irritationem pro fructu fore videam. Ea ſolum de iſtis hic ſubjungere animus eſt, quæ quibusvis ingenua & candida indole præditis cautelæ loco eſſe poſſint,

ſint, cui attenti (ſi ſolida peroptent) ab iis quæ ſolummodo ſuperficiem habent, etſi decoram, at perituram tamen; aut ab iis quæ omnimode etiam corrupta ſunt, cavere & abſtinere queant. Vanis aut malevolis animis ſi non ſatisfecero, neque id mihi pro ſcopo duxi, qui nolim unquam credi ſcripſiſſe niſi pro iis, qui ad ſolida & permanentia mente ſincera adſpirant. Tales nec ullos alios opto & requiro Lectores. Cæteri abſtineant, ni tædeat eos crepundia ac nugamenta ſua videre de ponte dejici. Jam ad rem accedamus.

2. Cavetur ne multi ex eruditis offendantur, dum eruditioni ſuperficiariæ plura annumerari videbunt.

II. Principio, ne qui ſine ratione offendantur ſi in ſequentibus quam plurima ad Superficiaria revocavero, concipiant velim me de iis ſic profiteri, eam nempe cognitionem, vel ſcientiam, ſeu virtutem, aut generalius eruditionem, quam ſuperficiariam nominabo, non ideo nullam aut nullius pretii a me dici; habet utique pretium ſibi debitum, uſum quoque neceſſarium, interdumque talem, ut ad ſolida debeat evehi, atque ad ſolidè Eruditum referri, ut ut in ſe ſuperficiaria ſit; quemadmodum & ad falſa eadem erit referenda ob principia, vel uſum, vel ſcopum minus legitima. Similitudine res clara fiet. Homo ſanus non internis tantum viſceribus membriſque ſolidis conſtat, ſed & ſuperficie & cute. Hanc ſi curet, mundet & ornet; ſuperficiaria cura eſt, non modo non contemnenda, ſed & neceſſaria. At ſi quis ſic cutis haberet curam, ut ejus bonum ſtatum non ab in-

terna corporis diſpoſitione, ſed ab externis tantùm adſciſceret; imo corpus ſolidis ſalubribusque cibis & exercitiis deſtitutum relinqueret, ut cuticulæ ſaltem lotionibus & frictionibus illuſtrandæ eſſet intentus; falſa ſane & inanis hæc cura ejus eſſet: uti contrà, ad ſolidam id ipſum pertineret curam, ſi corpore bene intus cibis aut medicaminibus munito, lavandæ aut unguendæ incumberet ſuperficiei, quo ſuppoſita membra vel roboraret, vel incommodo aliquo levaret. Idem de re Eruditionis quam ſuperficiariam dicemus, eſt judicandum. Alphabetum, v. g. diſcere aut docere, (ſimile quid in omnibus ſcientiis reperies,) ſuperficiarium ſane eſt: & dum quis per totam vitam nil aliud quam hoc intenderet, cæteris internis aliiſque poſthabitis, id ridendæ fallaciſſimæque occupationis & eruditionis genus eſſet. at ſi quis internis ſuis cum Deo & æternitate benè curatis, ex amore ſolido quo erga puerum quempiam ferretur, cujus ſaluti per lectiones bonas procurandæ vellet proſpectum, doceret eum alphabetum & legendi methodum, jam ſane, etſi illa cura in ſe ſuperficiaria eſſet, inter ſolida tamen ob principium & ſcopum mereretur annumerari, virque docens, non ſuperficiarius, ſed (ob interna ex quibus hoc flueret) ſolide eruditus vere habendus eſſet. Denominatio enim a potiori, non a minus præcipuo, facienda eſt. Adeoque non habent quod ſibi injuriam fieri putent eruditi, ſeque credant inter ſuperficiarios eruditos connumerari, ex

eo

eo quòd ſcientiæ nonnullæ quas poſſident, vel etiam quas ſpeciatim profitentur, ſuperficiariæ ſint in poſterum dicendæ: tunc enim demum ejuſmodi denominatio in eos reſiliret, cum hi ſolidioribus æterniſque neglectis, & oblivioni vel deſpectui traditis, tempus, vires eruditionemque totam in iſtis ſolummodo collocarent: quod neminem de ſe ſuaque eruditione putem dicturum; neque adeo conqueſturum ſe per hæc noſtra eruditionis ſolidæ titulo ſpoliari, niſi hoc ipſo profiteatur atque agnoſcat ſe ſolidis æterniſque valedixiſſe, quo evanidis ſpeculationibus ſuis unice adhæreat, easque dignas reputet quæ totum hominem occupent. Quo in caſu, nedum juſta ſit cauſa conquerendi veluti de injuria, quod ejuſmodi eruditio inter ſuperficiarias ſit deſignata, gratuletur potius ſibi ſi in claſſe falſi non conſtituatur, ut ut materialia vera in ſe contineat. Nummus argenteus, qui pro aureo ducato ſubſtitueretur & commendaretur, falſus nummus eſſet dicendus etſi ex bono argento conflatus. Quæ ſcientiæ ſupra locum & valorem ſuum extolluntur, quæque, cum infimæ eſſe deberent, & velut acceſſoriæ, paululum temporis atque exiſtimationis apud nos habere, econtra nos totos veluti ſummæ & præcipuæ occupant, eæ falſis procul dubio accenſeri merentur.

III. Quemadmodum eruditionis ſolidæ fundamentum eſt *Deus* in centro & facultatibus animæ ſinceræ beneque diſpoſitæ operans, prout ſuperius indicatum eſt; *3. Fundamentum eruditionis ſuperficiariæ, quid ſit.*

eſt; ita eruditionis ſuperficiariæ fundamentum eſt *ratio humana*, ſive intellectus activus, cujus naturam & proprietates, nævosque etſi alibi (*a*) explicui aliquoties, quoniam tamen res non ita acta eſt quin adhuc multa de iſthoc argumento momentoſa dici poſſint, non modò ſi ex profeſſo eſſet tractandum, ſed & ex occaſione certarum materiarum particularium, veluti hæc eſt de eruditione ſuperficiaria; neceſſe erit ut hic de eodem ſubjecto aliquid penitius proponam; idque eo libentius, quod res ſit, licet maximæ conſequentiæ & conſiderationis, tamen, omnibus fere neglecta & incognita.

(*a*) In Diſc. præſim. Cogit. rat. Oecon. de la Creation. Ch. 20, 21; & de la Cooperation. chap. 3.

4. *Ad majorem diſtinctionem, quadam de Mentis facultatibus reſumuntur brevius; & primo quidem de facultatibus, realioribus quæ pro objectis realibus factæ ſunt, & equarum debito ſtatu eruditio ſolida exurgit.*

IV. Mentem humanam condidit Deus O. M. ut poſſet omni bono & reali objecto, cujus eſt capax, eam implere vel munerare. Objectorum genera duo ſunt, unum ſpirituale, intimum, perfectum, immenſum, quod nil aliud eſt quam ipſemet Deus, qui ſeſe mentibus vult tradere & inſinuare; alterum corporeum, externum, imperfectum, atque limitatum, qui mundus corporeus eſt. Ut hiſce realitatibus, tum divinis atque intimis, tum externis & corporeis, frui poſſet anima, dedit illi Deus duo facultatum genera, quæ quaſi vaſa eſſent, hiſce realitatibus (ſic, ſi placet, loquemur) aut his realibus objectis recipiendis idonea. Nempe pro realitatibus divinis, intimis & immenſis, quæ in Deo ſunt, Menti dedit facultates divinas, intimas & immenſas, deſiderii, intellectus paſſivi, & acquieſcentiæ, cum fundo æternitatis deguſtandæ capaci: pro realitatibus autem, ſive

ſive pro objectis realibus corporeis, externis, limitatis, dedit cum corpore facultates ſenſuum qui corporei appellantur. De quibus omnibus notandum eſt, 1. Iſta objecta eſſe & realiſſima & realiſſimè a mente poſſidenda; ipſomet ſiquidem Deo poſſit & debeat frui, ipſoque etiam mundo & rebus creatis. 2. Mentem, ut iſtis fruatur, non poſſe illa ſibi efficere; clarum enim eſt per ſe, & experientia evidens, Mentem non poſſe ſibi Deum, divinum lumen, divinas delicias, ſive Deum ſecum deliciantem, efficere; ut neque etiam creare corpora, eorumque, quibus per corpus proprium gaudere debet, vires, virtutes, proprietates, puta lumen, ſapores, odores & omnia cætera. 3. Adeoque Mentem reſpectu realitatum omnium recipiendarum, cum divinarum & internarum, tum corporearum & externarum, ſe habere mere paſſive, niſi quod activam habeat libertatem, non quidem quæ efficiat realitates quibus frui velit; ſed quæ facultates ſuas diverſimode & pro placito vertat ad objecta realia, hæc illave, ex qua facultatum ad objecta converſione & applicatione libera, ipſa objecta ſeſe menti realiſſime communicant, afficiuntque eam modis realibus, vivis, efficacibus, per ſe certis, luminoſis, ſatiantibus, deliciantibus, ſolidis (unumquodque pro ſuarum realitatum ſive perfectionum dignitate atque proportione) quique modi a mente ipſa non cauſantur; ſed quos aliunde quam a ſe ipſa paſſive recipit.

Si Mens libertate ſua in facultatum ſuarum regimine ita debitè utitur, ut eas applicet realibus ſuis objectis juxta regulam proportionis quæ inter objecta eſt, nempe ſi objectis divinis, quæ primaria ſunt, & origo & ſcopus omnium, & infinita, & æterna, & intima, applicet facultates ſuas intimas, totas, primariò, intenſiſſime abſolutiſſimeque; ſi vero objectis corporeis, quæ veluti acceſſoria ſunt, non per ſe nec ob ſe ſunt, nec infinita, nec (in quo ſtatu jam ſunt) permanentia, applicet facultates ſuas externas ſive ſenſuum ſecundariò, nec ſemper, nec terminative, ſed quandoque, cùm neceſſe eſt, referendo hæc ad ſcopum divinum & ultimum: ſique in hujuſmodi uſu facultatum ſuperiorum & inferiorum cum ſuis objectis ita ſeſe ſponte & ex libertate exercuerit, ut inde habitum ejuſmodi uſûs ſit adepta, tunc dicenda vere eſt & virtute & eruditione gaudere ſolida, de qua ſuperius egimus, & ad quam facultatum inferiorum uſum, neceſſariamque artium praxin reduximus: eſt enim ſolidum & reale quid facultates ejuſmodi & ſenſus exercere debitè cum objectis ſuis realibus ad vitam ſuam ſecundum Dei placitum & ad ejus honorem tranſigendam. Et ſane tales eruditi, etſi artifices, otioſis atque ignavis multis doctoribus, ſpeculatoribuſque chimæricis anteponendi ſunt.

5. *Eſſe in mente facultatem*

V. Verùm (ne alias Rationis humanæ cauſas, alibi expreſſas tangam) quandoquidem facultates noſtras ſimul omnes exercere non

non poſſumus, neque omnibus ſimul objectis realibus frui; eſtque neceſſe ut modò ex facultatibus unam ad objectum hoc applicemus, modò aliam ad aliud tunc abſens, idque ordine & modis debitis; non poſſet ſane pro libertate noſtra, neque ordinatim & facile iſta facultatum & objectorum commutatio ſive ſucceſſio fieri, niſi facultatem quandam novi generis haberet Mens, quæ objecta abſentia, eaque ſimul multa, ei depingeret, ut ex illa picturæ ſubſtitutione, objectorum realium vices agente, memor eſſet ſeſe ad realia objecta abſentia, ſed repræſentata, convertendi; & de illis ſimul repræſentatis in mente, idealiter diſponendi, quæ poſtea facultatum realium objectis veris communicatione exſequeretur. Hæc facultas depingendi nobis in mente objecta, quando tamen eorum realis præſentia a ſuis cuique propriis facultatibus abeſt, ea eſt quæ *Ratio humana* ſive *intellectus activus* dicitur, ſeque extendit ad pingenda quævis tum ſpiritualia, tum corporea, Deum videlicet, ejus attributa, reſque creatas cæteras, quarum picturæ vel icones *ideæ* jam vulgo dicuntur, harumque idearum complexus, comparatio, ſeparatio, aliarum idearum ex prioribus deductio, *ratiocinia* vel ratiocinationes appellantur. Horum primum, Ratio videlicet, cùm ſit eruditionis ſuperficiariæ efficiens cauſa, idea vero ejus materia; ratiocinatio autem ejuſdem tum ampliandi tum communicandi inſtrumentum; eorum proprietates affectionesve non

vel ut pictuariam & umbratilem, quæ eſt Ratio, *eruditionis ſuperficiariæ fundamentum & cauſa; uti ejuſdem* ideæ *atque* ratiocinia, *illius ſunt materia & inſtrumentum.*

ſunt hic ſilentio prætermittendæ, ut ex iis eruditionis ſuperficiariæ genium dignoſcamus.

6. *Idearum proprietates octo, ſimilitudine illuſtratæ, unde conſicitur, eruditionem in eis fundatam, eſſe prorſus ſuperficiariam.*

VI. Ab *ideis* ut incipiamus, ſiquidem patet eas non eſſe res ipſas, ſed in mente ſubſtitui tanquam picturas vel tabulas loco ac vice rerum & objectorum realium, ſequitur inde, eas habere & naturam & proprietates ab objectis realibus eorumque affectionibus prorſus diverſas; atque adeo quemadmodum objecta affectionesque quas in mente, quæ earum particeps eſt, excitant, ſunt realia, viva, efficacia, per ſe certa, luminoſa, ſatiantia, delicioſe afficientia, atque ſolida; ſequitur econtra ideas non eſſe ejuſmodi realia entia neque res mentem afficientes modis realibus, vivis, efficacibus, per ſe certis, bene luminoſis, ſatiantibus, reficientibus, ſolidis; ſed eſſe quaſdam umbras mortuas, ſteriles, dubiis plenas, valde obſcuras, non reficientes, prurientes potius quam tranquillantes, & evanidas. Quæ omnia utinam ab ideiſtis eruditis bene caperentur, eiſque bene cordi eſſent! non ita cum ideis ſuis turpius quam infantuli cum pupis luderent, iis ſeſe totos occupantes, eaſque veluti Deas omnibus, ſolidis neglectis, præponentes in exitium proprium. Differentias datas facilius concipiemus ex ſimilitudine.

Eamus, ſi placet, ad Solem, facultatemque quam habemus videndi oculis, ei exponamus. Ecce, eo inſpecto percipis rem veram, ſolem ipſum ejuſque in te ſenſationes & affectiones reales; ſic vividas, ut inde vi-

vigor vitæ tuæ accedat; ſic efficaces, ut vim radiorum vel caloris ferre vix poſſis; ſic certas, ut nullo ratiocinio nullaque alia probatione egeas qua perſuadearis te frui lumine; ſic luminoſas, ut & ſua luce ipſum ſolem videas & cætera alia objecta; ſic ſatiantes, ut plus luminis non ſoleas deſiderare; ſic lætificantes, ut inde totus cum tota natura reficiaris & reviviſcas; denique ſic ſolidas, ut effectus inde reales, non imaginarios in te & extra te diu permanentes deprehendas. At vero recedamus a Sole in locum obſcurum, & ibi excitemus in mente noſtra imaginem ſive ideam Solis & omnium quas ab illo experti ſumus ſenſationum, quid ibi, quæſo, non umbraticum? an ex iſta mortua imagine vividus ſenſus nobis accedet? an ex tali efficacem calorem percipiemus? an inde certum quid de Solis diametro v. g. aut de objectis Soli expoſitis concludemus? an imaginariæ iſtius de luce imaginis ope illuſtrabimur ad objecta extra nos perſpicienda? an deſiderium noſtrum videndi inde ſatiabitur? an ab iſto lumine ficto vigorem ac lætitiam reportabimus? Nil minus certe. Ita prorſus res ſe habet cum ideis noſtris, (ſive eæ divina ſive corporea repræſentent,) earumque in mente effectis, ſi cum facultatibus objectisque realibus ac ſolidis, horumque effectis comparentur. 1. Nil illæ reale ſunt ejus quod repræſentant. Dæmon & eruditus impius ideas habent Dei: rem tamen, Deum, neutiquam poſſident. 2. Non vivæ ſunt, ſed mortuæ, cum homo

perditæ vitæ virtutum omnium ideas habere poſſit, dum interim ex iis non imbuitur virtute viva, neque calefit ab iſtiuſmodi ſole picto. 3. Inefficaces ſunt; ſiquidem cum animus molis terreſtris tentamine ad inferiora totus allicitur, ex frigidis quas habet omnium rerum divinarum & cœleſtium ideis vim haurit nullam qua pravis reſiſtat propenſionibus, ſeque divinis imbuat. 4. Incertæ ſunt; ſiquidem qui vel doctiſſimi habentur, de eo quod in iſtis ideis continetur vel ex iis excluditur, imo an dentur nec ne, diſputant & dubitant. Facultates paſſivæ quando objectis ſuis realibus applicitæ ſunt, eas affectiones & impreſſiones ab illis habent quæ ita certæ ſunt, ut omnes de iis ſine controverſia in idem conſentiant; nemo enim unquam negavit, Solem objecta ſua lumine perfundere, illa detegere, calore afficere, & infinita alia, de quibus in nullius ſani ſyncipitis mentem unquam dubitatio irrepſit: at de ideis humanæ rationis, etiam quæ ſimpliciſſimæ eſſent dicendæ, dubitatur: v. g. an in idea Dei includatur ſufficientia? an libertas? an prævisio & decreta contingentium? an in idea libertatis indifferentia involvatur, nec ne? an detur idea animæ? idea motûs per attractum? idea lineæ rectæ æqualis circulari, & infinitæ aliæ, de quibus inter ſe ſic digladiantur eruditi, ut quot capita, tot ſenſus ſint. Quæ oſtendunt nil fere eſſe ideis incertius: namque omnes omnino in quibuſcunque ſcientiis controverſiæ, quæ tantum non infi-
nitæ

nitæ ſunt, huc redeant neceſſe eſt, an ideæ rerum de quibus quæritur, habeant aut habere poſſint eas affectiones aut proprietates de quibus agitur. 5. Adeoque patet eas eſſe etiam parum luminoſas, vel multum obſcuras, ut ut tanquam ſimplices jactitentur; lumenque puſillum, ſi quod habent, nullum fere eſt comparatum cum lumine quod objecta realia divina atque creata, in facultates ſibi deſtinatas infundunt. 6, 7, 8. Porro animam nec ſatiant, nec ſolida ac læta quiète implent; etenim cum picturæ tantum atque umbræ ſint, neceſſe eſt animam, quæ facultatem cupiendi res ſolidas applicat ad ideas, ſe ipſam fruſtrari, atque famelica inde anxietate, nec non nauſeabunda tandem omnium iſtarum vacuarum ampullarum rejectione torqueri, ita ut plurimi ex iis qui ſe maxime iſtis devoverunt, exercuerunt & impleverunt, in Pyrrhoniſmum, vel etiam in Atheïſmum ſeſe tandem projiciant, vel, ſi meliores, circa vitæ finem vocibus lamentabilibus ſuam deplorent vacuitatem, vanumque cum ideis ſuis ſtudium, ex quo ſe nullatenus levamine ſolido adjuvari, ſed potius angi infinito mœrore vel deſperatione ſentiunt. Quæ cùm ita ſint, concludendum eſt, eruditionem quæ ejuſmodi idearum coacervatione comparatur non ſolidam, ſed mere *ſuperficiariam* eſſe, inſuperque, idearum ſuarum inſtar, umbratilem, mortuam, ſterilem, incertam, obſcuram, torquentem, laſſantem & evanidam.

7. *Rationem eſſe facultatem corruptam, limitatam, umbratilem, ſuperficiariam, mereque accidentariam.*

Illam activitate ſua ideas ſuas ſine Dei amico concurſu debite excitare non poſſe.

VII. Quod adhuc magis patebit ex conſideratione *Rationis*, ſive intellectus activi, idearum fontis & fabri. Namque ea facultas eſt corruptiſſima, atque etiam limitatiſſimæ, & admodum parvæ extenſionis; eſt umbratilis; nec non ita ſuperficiaria accidentariaque Menti creatæ, ut Mens (quicquid in oppoſitum garriant Philoſophi) potuerit æternùm perfecta ac beata eſſe, ut ut rationis facultatem nunquam habuiſſet; quod a me (*a*) alibi eſt demonſtratum & explicatum. Ejus corruptionis & depravationis immenſæ argumentum ſi non haberemus ex eo, quod quotquot Rationi colendæ & exercendæ incubuerunt, in diverſas & oppoſitas quique partes abierint, unde omnia monſtra, chimæræ, rixæ, pugnæ, omneque horrendarum tempeſtatum & tragœdiarum genus promanarunt; id tamen hinc indubitato colligere eſſet, nempe quod homo, poſtquam a Deo ſic gratis creatus eſt, ut bonorum omnium eſſet capax, quæ etiam Deus illi ex immenſo amore obtulerat; ingratus nihilominus factus, terga Deo boniſque divinis dedit, quo ſe verſus activitatem propriam ſuæ Rationis verteret, ex illa facturus Deum ſuum, ſcopum, finem, delectamentum unicum cum idolis idearum ſuarum: a quo ingrato & inſano crimine tantum abeſt ut ad Deum cum anxio & pœnitenti amore revertatur, ut contra negligat etiam illum magis magiſque idoli ſui unice colendi gratiâ. Quæ ſane cum immenſa perverſitas atque corruptio ſit, quæque

(*a*) In Diſc. præ-lim. Cogit. Rat. Edit. II. & Oeconomie de la Creation, chap. 20 & 21.

que placere Deo non poſſit, (ni Deus ſibi ipſi diſpliceat, ſuique neglectum approbet) ſequitur, Deum jam ab illa (ratione) eſſe alieniſſimum, nec illi concedere aut conſervare lumen, (poteſt enim Deus & in ratione agere) quo illa & opus habet a Deo poſtquam corrupta eſt; ſed quod tamen nunquam recipiet ab eodem, quisquis vult neglecto Deo lumen iſtud ad ſe ſuumque amorem proprium terminare. Ergo hinc & corrupta eſt ratio, & cœca; adeoque quicquid ab illa proficiſci poteſt, mancum & deficiens eſſe oportet; niſi ſtatuas, cauſam effectui dare poſſe perfectiones quas ipſa non habet, & plus eſſe in effectu quam in cauſa: quod nemo opinor admittet. Jam quis exigat ab homine claudo & cœco rectus ut incedat, viamque rectam teneat, quæque invia ſunt permeet ac videat? Idem exigat a Ratione clauda, ſive corrupta, & cœca ſive lumine deſtituta, ut in excitando ſibi ideas recte procedat utque videat.

Neque eſt quod dicas, Rationem, cum activa ſit facultas, ſibi ſuum lumen ex ſe, ſine alterius ope excitare poſſe: id namque falſum eſſet: non enim eſt Ratio facultas a Deo independens. Vis ejus excitandi ſibi luminis niſi ſit adjuta, & veluti fœcundata a lumine Dei in facultatibus ſuperioribus lucentis, ſterilis eſt, niſi ad monſtra & chimæras vel figmenta nullius momenti parienda. Solius Dei hæc eſt prærogativa, ut quicquid ipſi placet in conceptu ſuo fingere, verum ſit & lucidum, neque cum aliis ſuis

de

de rebus ideis pugnans: eſt etenim is fons realitatis, veritatis, ipſaque ſapientia: aſt anima, niſi eas quas in ſe excitat ideas, ad ſimilitudinem & imitationem divinarum formet, falſa & abſurda figmenta, in quibus nil verum eſt, præterquam quod ea in ipſa ſint, at oppoſita veris rerum a Deo ſtatutarum ideis naturiſque, quas ipſa neſcit. Quapropter quæcunque Mens non habet intellectum paſſivum divino lumine illuſtratum, nec Dei amico favore auxilioque gaudet, ejus Mentis intellectus activus, ſive Ratio, nihil recti agere poteſt.

Ratiocinandi actus ipſa Ratione ideiſque imperfectiores eſſe. Eruditionis ſuperficiariæ ex fundo valor.

8. VIII. Idque adhuc multo magis verum eſt de *ratiocinatione*, quæ præter idearum rationiſque defectus communes, proprios inſuper habet, exſurgentes ex conjunctionum, ſeparationum, comparationum, conſequentiarumque complicatiſſimis actibus, qui ſic errori ſunt obnoxii, ut quamvis ipſa ratio ejusque ideæ ſanæ eſſent, in ratiocinando tamen vel attentio minor, vel memoriæ anguſtia, vel cujuſdam ideæ neceſſariæ abſentia; vel propenſio aliqua in affectibus animi occulta, totum ratiocinandi negotium vitiare poſſint.

Jam perpende ex tribus illis putridis atque corruptis fulcris, ideis ſcilicet, intellectu activo, & ratiocinatione, quantum eruditioni ſuperficiariæ, iis ſubnixæ, ſit deferendum & confidendum: atque ſi id ne ſic quidem videre poſſis, inſpice an & inter eruditiores aliquid ſit incontroverſum; & vel duos nobis ſiſte & commonſtra, qui in omnibus ſint concordes & unanimes. IX.

IX. Sed, inquies, iſthæc idearum, rationis & ratiocinationis extenuatio nil aliud fuerit quam Pyrrhoniſmi & Scepticiſmi ipſiſſima reſtitutio. Nonne contrà, palam eſt ex experientia, uti e Mathematicis diſciplinis patet, eruditionem ex rationis ideis & ratiocinandi actibus atque exercitio dari, quæ conſtet veritatibus apud omnes ſemper & conſtanter non controverſis? Quid quod & apud omnes, & in ſacris etiam voluminibus, ipſa commendetur ratio; tuque ipſe nunc eâ utaris, nec dici velles, ſine ratione vel irrationabiliter te jam quæ agis agere, niſi eo ipſo cauſam tuam deſtrueres? Tum autem ad quid ratio nobis data eſſet, niſi illam ut exerceremus, atque in ſuos actus deduceremus? Ad quæ omnia peræquum eſt me omnium primò reſpondere; deinde aliquid ſpecialius de Eruditione Superficiaria ſubjungere.

9. Objiciuntur quatuor in ea quæ modo concluſimus.

X. Ad primum igitur dico, me, abſit ut velim Scepticiſmum (qui ipſe a rationis exercitio ortus eſt,) in medium revocare; econtra, veritatis fundamenta tam inconcuſſa proponere, ut nullo modo queant concuti in illis qui ea in ſe volent ſtruere. Annon igitur datur quid ratione ejusque actibus certius & luminoſius? Ecce facultates, quas diximus pro objectis realibus factas, divinæ & ſuperiores, corporeæ & ſenſiles, illæ aliquid omni rationis apparatu certius apprehendunt, quando ex illis aliæ quidem ad Deum ſeſe debitè convertunt, aliæ autem ad ob-

10. Reſpondetur Objectioni primæ, de objecto Pyrrhoniſmo.

jecta

jecta ſua creata: tunc enim Deum, ejus virtutes, res divinas, æternas, immortales, tam realiter, vivide, luminoſe certoque percipiunt ſine ullo rationis examine, ut nullatenus de iis dubitare poſſint. Ita etiam qui ad Solem oculos convertit & aperit, is ſe Solis lumine & calore frui, illiusque ope objecta corporea diverſimode diſpoſita perſpicere ſcit utique adeo ſufficienter, ut omnis quæ ex facultate rationis peteretur cauſa ad illum de hac veritate percepta perſuadendum, inutilis & nugatoria exiſtat. Eſt enim lex immutabilis atque efficax, ab omnipotente Dei placito ſtatuta, ut poſitis objectis & applicatis ad ea facultatibus, ſequatur certitudo ſumma, infallibilis & inconcuſſa in homine de objectorum præſentia, veritate, relationeque & communicatione cum ipſo. Et cum omnis certitudo tranquillans ſit a lumine, quò magis objecta lumen diffundentia facultatesque lumen admittentes & percipientes ſunt realia; eò magis quoque vividum, efficaciuſque afficiens eorum eſt lumen. Quapropter cùm divina naturaliaque objecta, nec non facultates ipſis reſpondentes, multo plus realitatis omnino habeant quam picturaria rationis facultas cum picturis ſuis idealibus, ſequitur eorum lumen omni rationis picto lumine efficacius, vividius & magis reale eſſe; atque adeo magis certum.

11. *Luminum genera tria, treſque* XI. Dantur quippe (ut hoc obiter inculcem) trium luminum genera; quorum primum divinum eſt, facultates mentis ſuperiores, intellectum

tellectum præſertim paſſivum, feriens modis omnium certiſſimis, quando nullum impedimentum eſt interpoſitum; alterum externum eſt & naturale, quod etiam ubi ab objectis in facultates diffunditur, omnem dubitationem de rei exſiſtentia & relatione ad vitam corporalem excludit: tertium eſt rationis, tenue illud & veluti pictum, atque in quo jam ſtatu ſumus, illorum trium incertiſſimum & obſcurum valde, nec, ubi ſolum conſulitur neglectis cæteris, a dubitatione & incerto liberum: quod ſatis patet ex illis qui e rationalibus demonſtrationibus Carteſianiſmi, etſi veris, prolapſi ſunt in Atheiſmum, Spinoſianiſmum, negationem libertatis animæque immortalitatis; quodque egomet experientia propria edoctus ſcio: namque etſi de iſtis nunquam ſerio dubitaverim, eorumque demonſtrationes a ratione deſumtas bene percepe-rim, & in conſenſum admiſerim; non tamen eam omnimodæ certitudinis ſenſi fiduciam, quam poſtmodum deprehendi tum quando ab idealibus iſtis ſpeculationibus deſiderium meum intellectumque paſſivum ad Dominum ex animo aliquantiſper converti: tunc enim ſcrupuli circa Dei exſiſtentiam & animæ immortalitatem neſcio quî animum meum præter rationem & voluntatem importune antea, etſi rarò, vellicantes, ex me ita evanuerunt, ut inde in me ea de Deo, divinis, æternis, immortalitate beata vel miſera animarum, certitudo nata ſit; quæ omnes meas de his demonſtrationes priores infinite, & ſupra quam dici poſſit ſuperet; ita

certitudinis ſpecies.

Dari tamen, atque etiam certitudinem omni lumine & certitudine rationis omniaque demonſtratione immenſe ſuperiora.

ita, ut quamvis omnes quotquot excogitari poſſunt difficultates & objectiones mihi opponerentur, illæ me haud aliter efficerent, quam ratiocinia cœci alicujus, qui alium Solis lumine utentem argutiis ſuis perſuadere conaretur, non dari lumen, nec objecta vera illius ope percipi. Unde didici falſum eſſe quod Carteſius aſſerit, (a) nos, ſi idea illa Dei picturata, quæ ex rationis cenſu eſt, deſtitueremur, non poſſe unquam cognoſcere Deum, ne quidem lumine fidei, hoc eſt, lumine Dei in facultates ratione ſuperiores ſeſe diffundente. Animadverti etiam inde falſiſſimum eſſe quod aſſerunt nonnulli, certitudinem de exſiſtentia Dei magis deſumendam eſſe a demonſtratione ex idea ejus hauſta, quam ex eo quod Deus exſiſtens per ſe notus ſit, hancque certitudinem illi eſſe poſteriorem; cùm econtra, Deus ut exſiſtens, ſit infinities notior per ſe, hoc eſt, per actum lumenque ſuum in facultatibus animæ ſuperioribus, quam per actum rationis, quæ eſt facultas divinioribus, ipſoque intellectu paſſivo, infinities inferior: ſiquidem intellectus paſſivus tantus ſit, quanta Dei eſt in ipſum agendi potentia; neque poſſit in errorem inducere, quippe, paſſivus cum ſit, a Deo in errorem agi non poteſt. Ignorant hoc iſti rationaliſtæ, qui non niſi ex facultate limitatiſſima, atque ex corruptione ſua errori quam maxime obnoxia, omnem ſuam certitudinem omneque lumen & verum exſpectant. Nolim equidem probationem exſiſtentiæ Dei, quæ ex ratione petitur, negare

(a) In Epiſt. ad inſtant. Gaſſend. p. 146.

garè aut infirmare; vera ſiquidem & legitima eſt: at eſt certitudinis ſecundariæ reſpectu alterius illius, eique longe poſtponenda; auſimque affirmare eos, qui de Deo exſiſtente certi ſunt, ſi bene ſe examinent, reperturos veram ſuam de Deo exſiſtente certitudinem atque confidentiam, non ex vi demonſtrationis ſuæ ratiocinatæ procedere, ſed potius ex intimo quodam ſenſu a rationis ſuæ actibus non pendente, ad quem mere paſſive ſe habent, quique ipſos vel invitos & reluctantes divine afficit, imprimitque eis vividius quam ex idea, Deum potentem, ſapientem, bonum, juſtum, veracemque, ſui & omnium Auctorem; eodem prorſus modo atque certitudo de Solis luminisque ejus, nec non corporum exſiſtentia, diſcretio item certa vigiliæ a ſomno, non ex ideis rationis ratiocinandique actibus deſumenda eſt; ſed ab ipſa ſenſûs ſive conſcientiæ experientia, immediate & indubitate ex applicatione facultatum ad objecta enaſcente, juxta legem ſive ſtatutum omnipotentis Dei modò dictum.

12. Vigiliæ, hujuſque a ſomno diſtinctionis certitudinem, perperam a ratione exſpectari.

XII. Neque credo ullum unquam, qui ſincere aget (cæteros non moror) dicturum, ſe, cùm reſpicit Solem, ut bene certus ſit de eo illuminante, debere certitudinis ſuæ cauſam in ideis rationis, hujusque ratiociniis quærere & fundare; neſcire aliàs, anne forte tunc ſomniet. Certe Carteſius, qui in Meditatione ſexta certitudinem diſtinctionis vigiliæ & ſomni perperam vult a ratione arceſſere, multo veriorem viam in Epi-

ſtolis

(a) Epiſt. 30. Tom. I.

ſtolis ſuis iniit, ubi (a) poſtquam diſtinxerat tria notionum primitivarum genera, nempe notiones ſpirituum, notiones corporum, & notiones quæ conjunctionem ſive commercium mentis cum corpore ſpectant, de hac tertia notionum ſpecie ait, *res quæ pertinent ad conjunctionem mentis & corporis non niſi obſcure cognoſcuntur ſolo intellectu; neque recte intellectu etſi per imaginationem adjuto;* *at* OMNIUM CLARISSIME NOSCUNTUR PER SENSUS.

Nugæ ergo meræ ſunt, velle corporum exſiſtentiam, nec non diſtinctionem vigiliæ a ſomno, ex ideis rationis ſibi demonſtrari, ac ſi velles tibi demonſtrari Solem eſſe lucidum ex pictura potius ſolis quam ex ejuſdem vivido ſenſu. Nam idem ſane facit qui vult ſibi demonſtrari vividam vigiliam per ideas & ratiocinia, hoc eſt, per picturam vigiliæ potius, quam per ipſam experientiam, quæ per ſe, ſine ratione alia, certa & indubitata eſt; cum cuivis ſincerum fateri volenti conſtet ex conſcientia, certitudinem de exſiſtentia vigiliæ priorem eſſe certitudine de exſiſtentia deque forma ratiocinationis: atque adeo, cum ratiocinationes ideæque nequaquam ſint tam vivæ quam ipſa vigilia; quamvis per ideas aliquid conficere tibi videaris, id tamen quia non erit tam vivum nec tam certum quam ipſamet vigilia, ſi hanc in dubium revocas ut de eadem certus fias per eas minus vivas & minus certas, rem abſurdam agis & impoſſibilem, omneſque tuæ de re vivida probationes pi-

ctæ

ctæ & fictæ, nullius pretii ſunt & utilitatis: quin contra noxiæ ſunt, & ad quandam inſaniæ ſpeciem ducunt illos qui eis potius quam ſenſibus fidere vellent. Nam quisquis ea quæ viva ſunt, vivaque experientia juxta Dei ordinationem debent percipi, vult tamen per picturas ſteriles, mortuas, inaneſque percipere præcipue, is tum certa de rebus certitudine ſeſe ſpoliat, tum mille ſe incertis & abſurdis exponit. Hinc eſt quod Carteſianus (*a*) non incelebris, qui huic viæ rationis circa corporum exſiſtentiam demonſtrandam inſtitit tenacius, eo tandem devenerit, ut negaverit alio modo poſſe certò ſciri corpora dari exſiſtentia, quam per revelationem divinam; poſſe ea quæ a nobis percipiuntur nil aliud eſſe quam apparentias ſub quibus nil aliud ſubſit quam vel cogitatio humana, vel ſubſtantia Dei quatenus corporum eſt repræſentativa, & neſcio quot alia abſurda, quæ alibi (*b*) diſcuſſa ſunt. Nempe poſtquam male in dubium ſerium revocaverat veram certitudinis corporum exſiſtentium cauſam; ejus quæ certitudinis iſtius cauſa vera non eſt, ratiocinationis ſcilicet inutilitatem ſentiens & infirmitatem, fateri eam cogebatur, hincque ad minùs aptam (ſenſus enim nolebat admittere) recurrere. Atqui ex dictis credo conſtare, idque ſi opus eſſet diductius probare poſſem, inter omnes vias quibus quæritur certitudo clara & inconcuſſa de entibus realibus, ſive ea ipſimet ſimus noſtræque facultates, ſive ea a nobis ſint diverſa, uti Deus & omnes crea-

(*a*) P. Malebranche.

(*b*) Oecon. de la Creat. chap. 23. 24.

creaturæ, viam omnium infimam & minùs certam eſſe viam rationis humanæ, cui via ſenſuum (ubi in ſphæra ſua circa corporum exſiſtentiam modosque ad uſum vitæ relatos manet) longe maxime eſt anteponenda; eidem autem via facultatum ſuperiorum, ad Deum divinaque ſeſe convertentium infinities præpollet. Et quamvis per illam ſibi perſuadeant ſeſe adipiſci poſſe certitudinem quam nominant Metaphyſicam; atque ad rerum naturæ cognitionem & veritatem detegendam ſic per eandem ſperent ſe perventuros, ut alium non dari aditum putent, ſiquidem hunc Rationis eſſe finem vel rectum uſum opinentur: in utroque tamen mire falluntur.

13. *Certitudo Metaphyſica nec ſumma eſt, & tenuis eſt, nec non & pauci uſus.*

XIII. Certitudo Metaphyſica, quæ quidem eſt, neque enim eam negare velim in eis quæ ſunt ſuæ ſphæræ; non tamen ejus firmitatis eſt, cujus eſt certitudo facultatum ſæpe dictarum, ubi illæ ſuis objectis debitè applicantur: cùm quarum certitudine ſi comparetur certitudo Metaphyſica rationis, ea (juxta idearum proprietates recenſitas) umbratilis, picta, ſterilis, mortua, impotens deprehenderetur, uti nimio plus patet ex otioſorum cerebrorum de divinis humanisque ſpeculantium comparatione cum hominibus, qui Deo rebuſque etiam ipſis creatis debitas ſuas facultates internas externasque applicant & exercent. Metaphyſica illa & rationalis via, luſus quidam eſt, aut animi exercitium, cujus omnis utilitas in eo eſt, ut quis ſe ſic accommodet nonnullis extravagantium

tium dubitatorum atque Scepticorum dubitationibus, a rationis nimio exercitio, facultatumque ſolidarum rejectione inſana ortis, ſi pote eorum ſtultitia ſic ſanari, vel reduci ad orbitam utcunque poſſet: aliàs qui ſinceri ſunt, bonaque fide quæ in ſe ſentiunt agnoſcere volunt, iſtis cùm non ſint dubitationibus obnoxii, neque etiam hac certitudinis ſpecie opus habent; nec iidem multum curabunt ut ſponte inſanientes nec ſincera fide agentes Scepticos voluntario ſuo delirio liberent. Quis enim ſanus ſibi id negotii aſſumat, ut ſtultos, qui ipſummet inſanire judicarent, convincat ſe quidem ſtultum non eſſe, ipſos verò inſanire? Tametſi quando morbus ſinceriores, at eos ſimpliciores, infecit; operæ ſit pretium ſemel atque iterum cum illis hanc palæſtram ingredi, eis medendi gratiâ.

XIV. Quod ad rerum naturalium cognitionem veram, ad quam ſe itidem per rationis viam, ad hoc, ut credunt, datam, perventuros putant, major adhuc eſt fallacia. Equidem facile concedam multarum rerum hiſtoriam atque facta per rationem percipi, diſponi, alia ex aliis deduci poſſe: verum ipſam penitiorem rerum notitiam, ultimumque fundum, ac primum ortum, per eam detegere aut ſibi repræſentare verè, id a vero longe alienum eſt: Rerum namque fundus & ortus, vividus eſt, nec non centraliſſimus, tangens immediate vividos Dei actus, quos præter Deum atque illos quibus Deus ſeſe lumine ſuo communicat, conci-

14. Rerum naturalium cognitio ſolida nec a ratione nec in ratione eſſe poteſt.

pere poſſunt nulli; repræſentantque intimas & admirandas Dei virtutes, ſimplices atque complicatas, rerum omnium cauſas & origines; quas proinde ſolus Deus, & ii in quibus Deus lumen & actum ſuum de his diffundit, concipere poſſunt. Quod ſi quis neque hæc generalia quæ profero, concipere ſe dicat, hoc ita habeat, me jam de ſexto quodam, vel adhuc ſuperiore, naturæ ſenſu loqui, cujus qui experientiam non habent, neque ejus ideam ſpecialem ſibi formare poſſunt. Rem tamen ſimili proponam utcunque concipiendam Minerva craſſiore.

Simili res explicatur.

Conſideret quis pictorem, eumque quantumvis artis ſuæ peritum, nec non penicillis, coloribus & omnibus ad artem requiſitis abunde inſtructum: is cum omnibus inſtrumentis ſuis, omnique activa ſua induſtria, nunquam depingere poterit motum, vel reſpirationem, vel vitam, vel rem lucidam, aut ejus odores, ſimiliaque ſexcenta quæ vitalia ſunt & vivida, quæ ideis ſuis pictuaratis referri non poſſunt, hæ ſiquidem ſint immobiles, mortuæ, non lucidæ nec odoriferæ: At ſi tabula, in qua colores penicillo diſponendi erant, ejus eſſet conſtitutionis, ut inſtar ſpeculi poſſet poliri; ſique pictor eam, coloribus ſuis inde eraſis, mundaret ſic & perpoliret, ut lævis & nitida fieret ad modum ſpeculi; tunc quæ antea motum, res vivas, lumenque ope activa pictoris colorumque ſuorum repræſentare non poterat, ſi ei offerantur lumen homi-

hominesque & ſe moventes & reſpirantes, ea ipſos eorumque motus cum vivo lumine exacte repræſentabit, quanquam nec omnimode, quippe quæ nec verborum ſonos, nec objectorum odores poterit imitari. Idem concipe de ratione noſtra, quæ cum activitate induſtriaque ſua pictor quidam peritus eſt, ideæ autem & ratiocinationes penicilli ſunt & colores diverſi in tabula mentis diverſimode diſponendi. Hæc coloribus illis nil ſibi vere vivum (quales ſunt res naturæ in ſcaturigine ſua) ob oculos ponere poteſt: rerum ſiquidem originantes veritates (ut ſic dicam) altioris ſunt indolis quam ut per ejuſmodi artificis miſeri actum ſiſtantur: at ſi ea (rationem dico) idearum ſuarum colores, penicillique ſui labores ex ſe clueret, ſeque nudam & nitidam luminoſo Creatori ſuo exponeret, is nullo negotio quotquot ex actibus operationibusque ſuis vividis vellet, illico in eâ, tunc paſſive ſe habente, repræſentaret, ſi id e re ſua fore, neque mentem inde ſuperbiorem aut donis ſuis abutentem futuram, judicaret. Nec tamen ea in facultate, ut ut paſſive ſe haberet, omnia repræſentare poſſet Omnipotens; quoniam voluit eam vas eſſe anguſtius quam ut quædam diviniſſima, facultatibus ſuperioribus ſolum reſervata, caperet. ſunt namque in rebus naturalibus quædam quæ ad earum naturam non pertinent, neque illarum ſunt naturales modi; ſed dona ſeu ornamenta ſupernaturalia, & effuſiones præternaturales & continuæ Dei: hæcque

 nulla-

nullatenus in ratione ne quidem paſſive ſe habente (quemadmodum nec odores in ſpeculo) repræſentari poſſunt; ſed vel in ſenſibus a Deo in primam originem revectis, vel in facultate intellectûs ſuperioris. Equidem ſcio me hîc iterum loqui quæ vel a pauciſſimis concipientur, & veluti de ſexto quodam naturæ ſenſu; quod irridebunt fortaſſe ignari nonnulli irriſores; quibus compeſcendis jam mihi ſuffecerit magni Auguſtini verbum: *Rideat me iſta dicentem, qui non intelligit; & ego doleam ridentem me.*

15. *Recapitulantur præcipua certitudinum ſpecies, ad divinam, naturalem ſeu phyſicam, & metaphyſicam relata.*

XV. Ex omnibus his dictis velim jam judicium ferat cordatus quivis de eo quod mihi primo objiciebatur, me nempe Pyrrhoniſmo januam pandere: cùm econtra, illi eam tutiſſime obturaverim, oſtendendo indubitatæ certitudinis fundamenta, primo quidem in facultatibus ſupremis a lumine Dei, ad quem ſe converterunt, illuſtratis, quoad res divinas, æternas, ſpirituales, penitioresque naturæ origines certiſſime percipiendas: deinde in facultatibus ſenſuum a ſenſuali lumine, ubi ei ſeſe dibite exponunt, affectorum, quoad objecta naturalia, eorumque quatenus vitam naturalem concernunt, habitudines ad nos, ſine hæſitatione percipiendas: tertio in ratione ipſa, ubi activitatem ſuam aliquantiſper ſeponens, tradit ſe Auctori ſuo, qui, quando e re eſſe judicat, rerum naturalium veras ideas in illa exprimit; nec non & vel illi reluctanti, attamen paſſive ſe habenti, imprimit veritates quasdam, ſive axiomata, quæ ſcien-

tiæ principia deinde vocantur: denique & in eadem active ſeſe gerente, atque ideas & ratiocinia in ſe excitante, modò ſupremæ facultates ſenſualesque in mente bene ſint diſpoſitæ, ipſaque conetur Deum debite ſequi ac imitari. In quibus omnibus certitudinis tres claſſes ſive ſpecies videre eſt pro triplici claſſe facultatum, objectorum atque luminum, de quibus dictum eſt; nempe primo Divinam certitudinem, quæ eſt facultatum, objectorum, luminisque divinorum & primi ordinis; ſecundo *certitudinem naturalem* ſive phyſicam, quæ eſt facultatum, objectorum, luminisque naturalium & ſecundi ordinis; tertio *certitudinem metaphyſicam*, quæ tertii cujuſdam generis facultates atque ideas umbratiles reſpicit, in quibus mens ſeſe active habet; quod ultimum addo, quia quando Deus operatur in ratione ſeſe paſſive habente, id ad primam ſpeciem certitudinis refero. *Moralis certitudo* hujus loci non eſt. Prima eſt infallibiliſſima: altera neque dubitationem admittit: tertia ubi bene ſit, dubitationes ex ratione ortas, ipſas quoque diſcutit, etſi aliis ſit inferior. Quæ cùm ita ſint, quis igitur jam eſt qui de certitudinis ſublatione poſſit jure mecum expoſtulare? At ſi cujusdam facultates diviniores neglectæ fuerint, & obſcuratæ; ſi contra conſcientiam rejiciat ratio ſenſibilem certitudinem; ſi ipſa ſuperba Deo ſubjici & grata eſſe nolit, neque ei ſeſe curet conformare, ſed ſui ſolius juris velit eſſe, ſeque ſolam ſpectare, & a ſe ſola ſua exſpectare;

tunc ſane non mirum perditam ejuſmodi atque irrationalem rationem, ubi ejus, quibus pernicioſe utitur, fundamentorum caries & putrefactio ei deteguntur, conqueri ſe ſic Pyrrhoniſmo exponi. Id ſuaculpa, quam diu ſolidiora non bene quæreret, erit quam veriſſimum.

16. *De triplicis luminis perceptione.* XVI. Fortaſſis antequam ad alteram e ſuperioribus objectionem properem, petierit a me aliquis, quid ſint tria illa, quæ modo nominavi, luminum genera, *lumen divinum*, lumen *ſenſuale*, lumen *rationis*: hæc videri ſibi verba ſine ſenſu, quem tamen deſideraret aliquem percipere. Certe ſi quis eſt qui lumina illa non ſit expertus, fruſtra ei verba dixero; veluti fruſtra cœco, qui ſolis lumen viderit nunquam, tentabis id explicare verbis, ſic ut te percipiat. Experientia ſola id poteſt docere, atque conſcientia eorum, dum in nobis fiunt: & quia nemo lumen rationis negabit ſe percepiſſe, ut ab illo de cæteris generaliora dicendi ſumam occaſionem; peto dicat mihi quis, quid ſit illud rationis ſuæ lumen? quid cogitatio ſua ſit? quid cogitatio clara? quid evidentia? Certe conſcientiâ & ſenſu intimo id, ni noſcas, illud nequaquam tibi dicet alter: nam quæcunque verba dici poſſunt, excitant tantum in mente ſonos, non autem res ipſas, quas ut capias, ſuas quibusque facultates debes appoſitè applicare, & tibi attendere: tuncque percipies certo quid ſit id generis lumen cui te applicueris. Eſt namque lumen quodcunque impreſſio quædam ab objectis in facultates eis oblatas fa-

facta, cum perceptione indubitata objecti, ejusque ad nos habitudinis: quæ perceptio ita certa eſt, ut qui eam vere habet, neutiquam dubitare poſſit de illa, neque dubitare an fallatur; neque etiam (ubi debitè ſibi attendit,) errare quando aliquid ejuſmodi poſtea recurrit de quo quæri poteſt, anne ſit de genere iſtius luminis, nec ne. Sic qui lumen Dei ſemel vere & pure ſenſerunt, illi non tantum omni certitudine certiores ſunt ſe ibi non falli; ſed & cum poſtmodum aliquid eis occurrit de quo quæritur, an ad divinum pertineat lumen, vel divine luminoſum ſit, tuto, omnique procul errore, ſi ſibi redditi ſint, reſpondere illico poſſunt. Pari modo res ſe habet cum illis qui ſenſibus corporeis lumen aliquod corporeum vere ſunt experti: eorum unuſquiſque de hoc; v. g de lumine Solis, tum certus eſt apud ſe, tum inter ſeſe ſine controverſia conſentiunt omnes, & præterea ſemper decidere poſſunt, an hoc illudve lumen eis oblatum, ejuſmodi ſit, nec ne; quod cœci nec facere nec capere queunt, uti neque nos jam capere poſſumus, quid ſit lumen aliud corporeum quod non oculis, ſed tota ſuperficie corporis (ubi debite temperata eſt) cernitur, & cujus experimentum memini me legiſſe apud Digbæum in tractatu Phyſico quem de animæ immortalitate inſcripſit, ubi ſe inter domeſticos habuiſſe affirmat liberorum ſuorum præceptorem quendam, qui ipſis organis oculorum prorſus captus, omnium corporum cir-

cum jacentium ſituationes, figuras, motus, diſpoſitioneſque nihilominus percipiebat, per impreſſiones nimirum a corporibus circumpoſitis, quamvis diſſitis, oriundas, & in ſuperficiem ſive cutem corporis ſui irradiantes atque impingentes, quali modo mihi perſuaſerim hominem ſi non ſe peccato corrupiſſet, aut eundem cum reſtaurabitur in reſurrectione, toto corpore haud minus viſurum quam nos jam oculis, oculos vero tunc illi fore & admirabilia ornamenta, & totius viſionis luminiſque ſumma exaltatio (ut ſic loquar) atque centrum. Sed hæc nos jam ſuperant, exiguntque principia Phyſices a vulgaribus diverſa, qualia hujus loci non ſunt, & alibi ſunt (a) propoſita. Redeamus ad noſtra lumina, quorum ultimum cum ſit rationis, idque fere pictum, & veluti mortuum reſpectu duorum præcedentium, ſi tamen illa, Menſque eâ utans, in bono eſſent ſtatu a me aliquoties indicato, idem illi accideret ac aliis duobus luminum generibus, ut nempe & hoc cum certitudine indubitata perciperetur a ſua facultate, (ratione,) quæ etiam ſine erroris periculo judicaret quid cum illo lumine conveniat aut ſecus, vel quid ad id pertineat: ſed depravatio defectuſque Mentis & rationis, alia negligentis, alia pervertentis & extra ſcopum detorquentis, efficiunt ejus infirmitatem atque incertitudinem, univerſalem ferme. Ferme inquam, ſunt enim in eadem lumina nonnulla (quæ naturalia vulgo dicunt) v. g. *impoſſibi e eſt idem eſſe & non eſſe*; *non poteſt eſſe plus in effectu quam in cauſa*, & ſimilia

(a) Oecon. de la Creat. chapp. 5. 6. 7. 22. 25.

ſimilia theoretica, quæ dubium non admittunt; idque ideo, quod ſint Dei in ratione, paſſive tunc ſe habente, impreſſi actus; veluti etiam in practicis ea ſunt quæ principia moralia vel ſyntereſeos dicuntur: *Amandum eſſe Deum*; *nemini faciendum quam quod tibi fieri velles*; *permanentia perituris eſſe antepo-nenda*; aliaque de bono juſtoque non tantum ſcita & dictamina, verum etiam inſtinctus & impulſus, qui apud omnes (niſi quis ſtudio ſe in atheiſticum monſtrum transformaverit) obtinent; quæque quoniam nos ad æterna & ſolida bona impellunt ac diſponunt, malim ego ad lumen Divinum præveniens, inque facultatibus ſuperioribus lucens & agens revocare, quam ad facultatem ſuperficiariam rationis. Meminit etiam Scriptura (a) *Verbi Dei*, *lucis veræ illuminantis omnem hominem venientem in mundum*: quam hoc ipſum eſſe, cuivis facile pateret qui hujuſmodi impulſibus atque dictaminibus obtemperaret: namque ex illis ſeſe aperientibus, ac veluti expandentibus, diviniſſima quævis prodirent ſequerenturque lumina, quæ ſui cum illis unitatem probarent, hominemque tum divinum, tum in omnibus reſtitutum ac eruditum ſolidiſſime redderent. Sed tempus eſt, ut diſcuſſa jam Scepticiſmi objectati ſuſpicione, ad cætera quæ objiciebantur, aliquid quoque dicamus, idque multo brevius.

(a) Joh. 1:8.

XVII. Matheſis ſecundo adducebatur veluti experimento convincens dari e ratione ſcientias veritateſque certas, de quibus apud omnes

17. *Reſpondetur inſtantia ſecunda ex*

Matheſi deſumta, fruſtra eam allegari ad probandam ſoliditatem cognitionum per rationem acquirendarum.

omnes conſtet ſine controverſia: rationis proinde, & eorum quæ ab illa proficiſcuntur, imbecillitatem incertitudinemque non tantam eſſe, quantam diximus. At una hirundo, inquam ego, non facit ver, neque una Matheſis totum rationis objectum complectitur, imo minima pars ejus eſt: Præterea ipſa non detegit ullas rerum naturalium originales cauſas, ſed tantum verſatur circa craſſiora, qualia ſunt numeri, figuræ, motus, eorumque comparationes, ſeparationes conjunctionesque, quæ ſupponunt res jam factas, atque datas, earum autem naturales non oſtendunt origines; quemadmodum fruges, fructus, animaliumque carnes videmus per artem quandam varie præparari & diſponi, non autem per eandem artem harum rerum naturales productiones capi ac detegi. Et quemadmodum cœcus poteſt quodam ſenſu, partibusque corporis quibuſdam, puta tactu manibusque palpantibus, percipere evidenter materiei quam tangit tractatque figuras; ſic tamen ut inde non ſequatur eum alia objecta per medium ſubtilius, etſi corporeum, puta per radios luminis, perque partes ſui corporis a manibus diverſas, puta oculos, perſpicere: eodem modo ſe res habet reſpectu Matheſeos, quæ craſſus quidam eſt modus vel ars palpandi veluti manibus rationis ea quæ exteriora ſunt in rebus, veritatulas quaſdam ſuperficiarias valde; unde minime ſequitur, rationem ideo poſſe oculis ſuis magna, intima & ſubtilia rerum principia introſpicere. Ita ut mire ſibi imponant,

nant, quotquot ut ſibi aliisque perſuadeant ſe rerum ſpiritualium corporearumque ideas & cognitionem ex rationis facultate habere, ad Mathematicæ certitudinis & claritatis ſimilia provocare ſolent, quaſi & eodem modo eademque claritate illa alia, de quibus agunt, perciperent. Qua in re mihi videntur imitari cœcum noſtrum, qui poſtquam plurima de lumine & coloribus deque modo per ea corporum figuras, motus & ſitus dignoſcendi audiviſſet, aut de hocce percipiendi modo ſibi plurima imaginatus eſſet, ſeque iſta percipere crederet, vellet eadem cœcis aliis ſui ſimilibus explicare; & ut fidem apud eos haberet, uteretur ſimilibus ex corporum palpatione (ſibi omnibusque cœcis certo nota) deſumtis. Quid, quæſo, hoc eos juvaret, niſi ut ſeſe tutius deciperent? Namque quemadmodum corporis una pars, puta manus, ejusque officium palpandi, etſi ſana ſint, non tamen ſequitur aliam corporis partem, puta oculos eorumque officium ſana eſſe: ſic quamvis una rationis functio, puta numeros, motus, quantitatem noſcendi, ſit ſana ſatis; non ſequitur tamen inde alias rationis functiones, puta functiones rerum tam ſpiritualium quam corporalium ideas, naturam, radices, ortus, augmenta, ſtatumque intimum cognoſcendi, ſanas, & ſuum ad officium aptas eſſe. Imo & in ipſis mathematicis, principia maxima & minima omnis quanti, motus, ejusque celeritatis tarditatisque, linearum circularis & rectæ, earumque proportionum; ut & ſuperficierum,

& ſolidorum, omnem vim rationis humanæ tranſcendunt, nullasque habent ideas; aut ſi quasdam de his efformare voles, diverſas eaſque contradictorias unius ejuſdemque rei efformare poſſis, quarum unamquamque demonſtrabis veram eſſe, non obſtante contradictione perſiſtente: v. g. lineas duas rectas concipies, quæ verſus unam partem continuatæ ſeſe interſecabunt, eædem in eodem ſitu & diſpoſitione verſus eandem partem continuatæ nunquam ſe interſecabunt: ſpatium dari latitudine infinitum, per cujus latitudinis ſuperficiem infinitam non poſſit tamen trajici linea; dari ſpatium infinitum quod ſit media, vel quarta, vel alia quæcunque pars ſpatii finiti: & ejuſmodi alia infinita ex conſideratione diviſionis & quanti oriunda. Si igitur in iſtiuſmodi minuſculis, ubi rei ad maxima & minima ſit devolutio, humana ratio ſibi, ſuis actibus atque ideis valedicere debeat, impotentiamque agnoſcere propriam; quanto magis ipſa, omnisque ejus in ideis ſuis excitandis & compingendis labor, fruſtranei & incapaces fuerint qui rerum tam ſpiritalium quam corporearum naturam ſolide, ex fundamento & a radice capiant, ſiquidem rerum principia quævis in ſe contineant, & maxima & minima: namque ea ex una parte, τὸ nihil creaturæ tangunt, ex alia vero, vel primum realitatis punctum, a Deo poſitum, continet effluxus, actus, repræſentationesque Omnipotentis perfectiſſimique & infiniti Creatoris; quæ qui ſibi repræſentare poterit activus noſter, &

quod

quod plus eſt, ægrotus intellectulus? ea ſiquidem ſolus Deus, qui ſe omnipotentem, infinitum agentemque infinite & omnipotenter novit, poſſit & cognoſcere ipſe, & vivida eorum veſtigia Mentibus, paſſive ſeſe coram illo habentibus, imprimere ubi placuerit. Ergo vel ex conſideratione ipſius Matheſeos, quæ objecta fuerat, quæque rationi in omni objecto, quanto, motuque ea offert, quæ rationem tranſcendunt, diſcamus & ejuſdem rationis in rebus naturæ ſolide cognoſcendis ineptitudinem vel agnoſcere, vel ſaltem ſuſpicari.

18. *Reſp. ad tertiam objectionem quæ erat, rationem impugnari non poſſe quin hoc ipſo ſtabiliatur, quia in ejus impugnatione ipſa ratio valere debeat.*

In illa ludi æquivocatione.

XVIII. Quod tertio objiciebatur ſupra, aut ex æquivocatione eſt; aut eis non opponitur quæ propoſui. Nam quando vel ab omnibus paſſim, vel etiam in ſacris, & a multis quoque ſanctis ſcriptoribus commendatur ratio; ii per rationem non intelligunt facultatem ſive intellectum illum activum, ideas ratiociniaque ſibi de rebus excitantem, eumque qualem habemus imperfectiſſimum; ſed intelligunt vel donum intelligentiæ ſapientiæque; vel diſcretionem ac prudentiam; vel juſtitiam æquitatemque; vel cauſam rei cujusque ſufficientem; vel etiam (uti apud Johannem) ipſum Dei verbum quod λόγος, hoc eſt, ratio appellatur. Primo ſenſu dicit Paulus (a) cultum noſtrum divinum debere eſſe *rationalem*, hoc eſt, non ex humanæ rationis facultate, ſed ex ſpiritu intelligentiæ & ſapientiæ proficiſci: Altero dicunt ſanctiores, eorum qui ad Deum adſpirant vitam, non affectibus etiam ſpiritualibus, ſed *ratione*, hoc eſt,

(a) Rom. 12:1.

eſt, prudentiâ & diſcretione, eſſe moderandam: Tertio ab omnibus dicitur, Deum ſine *ratione*, hoc eſt, ſine juſtitia & æquitate, nil agere, non autem ſine facultate humanæ rationis, quod abſurdum eſſet: ita ſolemus ab iis quibuscum nobis res eſt poſtulare, quam *rationem* habuerint hoc vel illud agendi? quod non ſignificat, quem intellectum activum habuerint hoc agendi? (abſurdum id eſſet,) ſed qua æquitate tale quid patraverint? Quarto ſenſu paſſim aſſeverant, nil, nullum in natura motum, effectum, caſum ſua *ratione* carere; omnia ſuam habere *rationem*, hoc eſt, cauſam; non autem omnia habere rationis facultatem. Denique quando Johannes τὸν λόγον dicit Deum eſſe, clarius eſt quam ut credatur hoc ad facultatem rationis humanæ pertinere. Ita ut iſtiusmodi quintuplex rationis allegatio & commendatio nil pro commendatione univerſali humanæ rationis faciat, ac proinde nil contra nos de intellectu activo, eoque corrupto, atque adeo de ratione in ſexto quodam ſenſu, eoque communiore, agentes. Quod ſi nonnullis acciderit facultatem humanæ rationis intelligere dum rationem commendarent; tunc eam ut Deo paſſive ſubjectam conſiderant, ut a Deo illuminatam; Dei auxilio ſingulari de ſua activitate diſponentem, tum ad propriæ pigritiæ impugnationem, tum ut aliis aliquatenus poſſit eſſe auxilio: qualem ſtatum uſumque rationis tantum abeſt ut hic impugnem, ut potius, is ut bene reſtituatur in integrum, ideo rationis morboſas diſpo-

diſpoſitiones in medium protulerim, quò ab eis caveatur, nec fidatur ægro quamdiu morbo infectus eſt. Sed & ægræ rationi, quod plus eſt, exercitium aliquod tutum, actusque falſi non ſuſpectos tribuerim, quando nempe illa ad hoc laborat ut ſe ægritudinis & corruptionis atque impotentiæ convincat: nam etſi ea convictio non poſſit recte perfecteque fieri niſi divino lumine, neque adeo ipſa ratio, niſi imperfecte admodum, id facere poſſit; quia tamen verum eſt eam in corruptione eſſe, ſequitur eandem dum ſic ſe exercet, (præterquam quod a Deo tunc adjuvetur) in elemento veri eſſe; haud aliter atque mendax & improbus aliquis, qui diceret ſe eſſe mendacem, ſibique non eſſe fidendum, hac demum in re fide dignus eſſet habendus. Atque id genus argumenti, quo quis ſuo ipſius gladio conficitur, cenſetur omnium efficaciſſimum: nam ſi quis ſine ratione aut irrationabiliter, rationem impugnaret, profecto haud putaretur multum curandus: ſed quod rationem per rationem impotentiæ convincat, id demum valere cenſendum eſt.

XIX. Et hoc modo iſti ſophiſmati, *Rationem ſemper validam eſſe, quia id non ſine ratione oſtenditur*, in ſe ipſum eſt retorquendum: Idea enim quia per rationem oſtenditur eam eſſe in divinis & quibuſvis ſolidis impotentem, ideo, inquam, illi in iſtis non eſſe fidendum ſequitur. Ne dicam (ut alibi oſtendi) hoc ſophiſma, quod omnium fere mentibus obvium eſt, æquivocatione vocis *ratio* modò expoſita,

19 Sophiſma vulgatum pro rationis valere, ſolvitur.

poſita,

poſita, laborare. Namque quando dicunt, *Qui vult rationem impugnare, id faciet aut cum ratione, aut ſine ratione. Si ſine ratione, eſt abſurdus. Si cum ratione, ergo ratio ſemper obtinet*: in argumenti hujus concluſione vox *ratio* ſignificat *intellectus activi facultatem*, in omnibus ſeſe miſcentem, ſiquidem concluſionis vis & ſenſus ſic debet eſſe, *Ergo* ratio, *ſive* facultas intellectus activi *ſemper obtinet*. In præmiſſis autem eadem vox *ratio* ſignificat *jus, cauſſam ſufficientem, fundamentum ſolidum*, ut patet. *Qui vult rationem* (intellectum activum) *impugnare, id facit aut cum ratione*, hoc eſt, jure, cum fundamento & cauſa ſufficiente; *aut ſine ratione*, ſeu ſine cauſſa & fundamento ſolido. Et ſic nihil ſequitur. Adde enim aſſumtum eodem ſenſu: *Si cum ratione*, ſi cum fundamento & jure: *Ergo ratio*, intellectus activus, *obtinet*, non ſequitur: ſequeretur potius contrarium; & ſunt quatuor termini ſi ſyllogiſmus ad formam reducatur hoc modo:

Cum ratione agere, eſt facere ut obtineat ratio.
Atqui rationem impugnare eſt cum ratione agere.
Ergo, rationem impugnare eſt facere ut obtineat ratio.

Homonymia ſublata, ſyllogiſmus per propoſitiones ſic reſolvendus eſt:

Cum ratione, JURE, CAUSSA & FUNDAMENTO SUFFICIENTE *agere, eſt facere ut ratio*, MODUS AGENDI CUM JURE & CAUSSA SUFFICIENTE, *obtineat*. (talis debet eſſe redditio ſecundi membri, aliàs

aliàs & negaretur propoſitio, quod ſcil. *cum jure agere idem ſit, ac activitatem intellectus in omnibus ſtatuminare*) & nihilominus quatuor eſſent ſemper termini.)

Atqui rationem, INTELLECTUS ACTIVITATEM *impugnare*, *eſt cum ratione*, INTELLECTUS ACTIVITATE *agere*.

Ergo, *rationem*, *intellectûs*, *activitatem*, *impugnare*; *eſt facere ut ratio*, *activitas intellectus*, *obtineat*.

Nemo non videt hic eſſe quatuor terminos, nempe in majore, 1. cum ratione & jure agere. 2. facere ut ratio & jus obtineat, vel ut facultas ſeu activitas rationis obtineat in minore: 3 rationem, ſeu intellectus activitatem impugnare. 4. cum ratione vel intellectus activitate agere: qui ſi ſint evitandi, & vox *ratio* in duabus præmiſſis aliter reſolvenda ac hîc, propoſitiones ſtatim poterunt negari, & concluſio nil efficiet, ut tentanti patebit.

Non crediderim neceſſarium eſſe ut principia data applicem aliis ſophiſmatibus ſolvendis, veluti cum dicunt nonnulli, Nulla poſſe capi, ne quidem quæ de fide divina ſunt, niſi per rationem, eamque humanam; ſiquidem nec bruta ſimus irrationalia, nec angeli, aut facultatibus Angelicis gaudentes. Verum eſt, nulla, neque etiam divina, capi poſſe niſi ratione eâ quæ intelligentia eſt: verùm hæc paſſive ſeſe habens coram Deo eam illuminante (unde divina dicitur) ſine activitate propria infinities plus de divinis & creatis

tis capere poteſt, quam intellectus activus induſtria, labore & activitate mera humana & ægra capere poſſit: quapropter ſi ille per rationis vocem intelligatur quando inſtatur, nil nos capere poſſe niſi per rationem humanam, falſiſſima hæc eſt propoſitio atque plane neganda: ſiquidem potius per rationem humanam, ſive per intellectum activum, nil poſſimus capere ſolide; ſed imperfectiſſime, ſuperficiarieque tantùm, ut oſtenſum eſt. Quæ omnia quia (a) aliis in locis pluribus explicui; pergo ad objectionem ultimam.

(a) Cog. Rat. diſc. Præl.

20. *Rationis uſum, ſcopumque, ſupra dictis non tolli. Quis & quotuplex is ſit?*

XX. Ea erat; rationis uſum, ſcopumque, ad quem dedit illam Deus, nullos poſſe ſtatui, ſi quæ diximus ad deprimendam rationem, valere deberent. Quaſi vero nullus alius Rationis uſus eſſet ſcopusve, quam is quem iſti Rationaliſtæ proponunt, dum activa illa atque deſultoria facultate, neglectis ſuperioribus, omnia divina naturaliaque perreptare, ſcrutari, detegere, ac judicio ejus ſubjicere volunt; qui non uſus, ſed abuſus dicendus eſt. Homo ægrotus membrorum ſuorum meliorem uſum habere non poteſt, quam ſi quieſcat, ſi activitati ſuæ ad tempus renunciet, permittatque ſe alterius regimini donec ſit ſanus. Talem ſui uſum agnoſcat & in praxin deducat ratio, quæ ubi ſana erit, tunc videbit quo ſcopo a Deo ſit data, quomodoque ſemet ipſa uti debeat: imo dum ſanari incipiet, incipiet & paulatim detegere verum ſui uſum, regulaſque ipſi obſervandas ne exorbitet. Harum quaſdam diximus ſupe-

ſuperius: alias in aliis operibus (a) ubi de Ratione agebatur. Eas hic repetere non eſt neceſſe: ſed ut uno verbo omnes complectamur, dicimus: Rationem non debere æterna & facultates ſuperiores, resque agendas, ſui exercendi gratia ſic negligere, ut proportio inter æternas realitates & evaneſcentes exercitationes violetur; neque etiam ob aliud nec ad aliud quam ob & ad Deum quicquam incipere & finire. Oſtendimus inſuper, rationem eſſe datam ad felicitatem hominis acceſſoriam, dum ea magnalium Dei picturas ad ejus admirationem & laudem efformat; nec non quoque (quod ſuprà tetigimus,) ut abſentium rerum atque objectorum, quibus, (dimiſſis quæ nos tunc occupant,) applicari debemus, vices per ideas ſuas teneret, memoriamque eorum nobis imprimeret: Quæ omnia ſane non ſunt uſum rationis tollere, uti objectantes pertimeſcebant.

(a) Cogit. Rat. diſc. præl. artic. 76. ad 80. Oec. de la Creation. ch. XI. §. 13.

At quoniam ad acquiſitionem eruditionis non ſuperficiariæ modò, verùm etiam illius quæ ſolida eſt, ratio debet ordinariò intervenire, inſervitque illi communicandæ, hunc uſum ejus paucis ut exponam operæ pretium eſt.

XXI. Homines cùm ex infantia emergunt, paulatimque adoleſcunt; ſunt etiam paulatim, quantum ejus ſunt capaces, æternitati diviniſque, nec non humanis neceſſariis præparandi: Verùm quia noſtri ortus ea eſt miſeria eaque corruptio, ut omnia perverſa ſint, hinc in erudiendis facultatibus verus naturaliſque dignitatis ordo, qui eſſet inci-

21. *Quis ad eruditionem ſolidam acquirendam poſſit eſſe rationis uſus; ejuſque ceu tela aliquot.*

incipere a facultatibus ſummis & deſcendere ad infimas, etiam inverſus eſt, nec obſervari poteſt, ſiquidem infantes facultatum digniorum uſui & regimini ſunt impares, aptiores autem ad ea quæ facultates inferiores concernunt, a quibus ad imaginationem, ex hac ad rationem, denique ex ratione ad divinas ſuperioreſque facultates cùm procedat eorum maturatio, eodem quoque ordine cum illis agendum eſt: non quòd ubi imaginationis rationiſque ipſi capaces fiunt, non ſint eorum ſuperiores facultates excitandæ, nec exercendæ; (poſſunt enim omnia ſimul excitari, uti etiam eò tendunt & a Deo diſponuntur); ſed quòd craſſiora & inferiora tunc ſic prævaleant ſuperioribus, ut ea veluti obtegant, nec detur ad hæc aditus niſi per iſta craſſamina.

Igitur quemadmodum optimum eſt, verbis, imaginibus aliiſque quæ imaginationis ſunt, eos ſic allicere, ut eorum deſiderium atque acquieſcentia (intellectus enim cum iſtis imaginatis haud ita convenit,) excitentur ad bona originaria & permanentia; ſic eorum, quantum per ætatem permittitur, ratio paulatim ita colenda, ut in ea ideæ de æternis, divinis, ſpiritualibus ſanctiſque rebus excitentur, earumque nexus & ſequela, quantum poteſt, oſtendantur, nec non ut officia ad quæ, ex rebus, per ideas iſtas repræſentatis tenemur, ſimul proponantur & conſideranda exhibeantur.

Addenda tamen hic duo perquam neceſſaria monita. Primum, iſta omnia, prout a nobis

nobis concipiuntur, non res ipſas eſſe; ſed earum picturas umbratiles, mortuas, ſteriles, nec ullo modo animam illuminantes, ſatiantes, ditantes, vero ſolidoque bono implentes; ſed potiùs, niſi ab illis ad res ipſas, ſive ad Deum, omnium luminum bonorumque ſolidorum fontem & diſpenſatorem unicum, convertamur, ab illo rerum ſuarum ſubſtantiam petituri & exſpectaturi, nos ex ideis noſtris rationeque circa illas occupata, evaſuros & pejores, ob culpam neglecti officii; & miſeriores, ob pœnam vacuitatemque animæ, a divina juſtitia bonorum quæ non deſideravit copiâ privandæ.

Alterum eis inculcandum, illud eſt: ideas noſtras in elemento ſuo conſideratas, hoc eſt, quatenus cum rebus ipſis non confunduntur, ſed ut picturæ ſaltem umbratiles, quales verè ſunt, habentur; non tamen picturas tales eſſe, quæ res exactè repræſentent, aut quæ perfectiones illas habeant quas tanquam picturæ & naturæ ſuæ congruas poſſent habere, idque ex depravata noſtra origine & nativitate eſſe, nec emendari utcunque poſſe niſi auxilio, tum divino, precibus implorando; tum humano, eorum in quibus hæc magis quam in nobis correcta ſunt.

Duarum iſtarum obſervationum ope, ſi eæ non negligantur, hoc conſequentur adoleſcentes rationi exercendæ vacantes, nempe, ne ex ideis quas acquirunt, actibuſque propriis circa illas, fiant tumidi (quaſi qui res ſolidas haberent,) nec pervicaces (quaſi eorum pictæ ideæ, ut ut bellæ, defectibus omni-

bus

bus carerent, nec quicquam eis accederé poſſet,) nec impii, a Deo evaneſcentes, & tandem æternùm miſeri: quod accideret ſi ideis & rationis exercitio ſicco unice inhærerent, non remeando ab umbris illis ad res rerumque Auctorem, ſcopum unum creationis noſtræ & omnium quibus ſumus præditi. Ita pro ſuperba, obſtinata, frigida, atque impia opinionibus & judiciis propriis adhæſione, (quæ univerſalia eruditorum ſeculi vitia ſunt cum iis a pueritia inolita) acquiret juventus cum cultura & augmento rationis animum docilem, humilem, atque pietate imbutum non fucatâ, quæ quidem *ad omnia*, teſte Paulo, atque adeo ad eruditionem ſolidam acquirendam, *utilis* futura eſt.

1 Tim. 4: 8.

Tales qui ductores ab adoleſcentia aut a primis annis habent, poſſunt rationis cultura hac ad omne bonum verumque adjuvari excellentius quam dici poſſit. Qui vero iis deſtituuntur, inſuperque per eos qui contrariis modis agunt educantur, non videntur rationis animæque perniciem, niſi per quoddam miraculi genus evitare poſſe; cum infinities difficilius ſit, Mentem, quando a pravis præceptoribus obſidetur, ad veram eruditionem per rectum rationis uſum, eis ignoratum, diſponi, quam ſi ſola eſſet, atque ſibi permiſſa ſibi ſoli attenderet. Namque etſi corruptione naturæ ſimus ab ortu propenſi ad omne malum, nec non ad omnem errorem pravis noſtris propenſionibus propitium & faventem; is tamen a quo & ob quem conditi ſumus boni verique ſolidi fons

fons, qui ſibi ſuisque donis animæ noſtræ interiora ac facultates diviniores tanquam habitacula condidit, ab intimo mentium centro, ubi cœcis nobis occultiſſimus adeſt, pellit radiis & motibus nonnullis (qui naturalia veri, boni, juſtique principia dicuntur) mentem ad ea, quæ ſi fideliter obiret, illam, præter cætera ſolida, etiam docerent rectum in omnibus rationis uſum, idque multo melius quam omnes poſſint externi inſtitutores: quod vel in Ethnico Socrate videre eſt, cujus præpoſitis prohibebatur ne eum reprehenderent vel informarent; habere enim eum in ſe præceptorem omnibus præſtantiorem inſtitutoribus: qui certe ubi inepti ſunt (quæ maxima turba eſt) nil aliud agunt ſuâ curâ, quam ut Dei pulſus in illis quos ipſi inſtituunt ſupprimant, & callos reddant; tum teneras mentes (quod nunquam ſatis deplorari poteſt) a divinis illis dictaminibus & attractibus ad evanida ſua nugamenta, tanquam ad res ſerias ſolidasque, ſic alliciunt iisdemque affigunt, ut laudibus maximis, quando nugis iſtis tenaciter adhæreſcunt, eos tumefaciant; vituperiis autem vel etiam pœnis, ubi morem non gelſerint, inculcent vividius rem maximi momenti eſſe neglectam. Sed de hiſce jam agere nolim, quæ falſæ eruditionis potius ſunt quam ſuperficiariæ. Si qui autem ſint quibus cum iſtiuſmodi quidem pædagogis conflictandum non ſit, ſed qui tamen nec bonos habeant ductores, cupiantque nihilominus rationis facultatem non relinquere incultam, iis nihil

poteſt

poteſt eſſe convenientius, quam ut intima ſua Deo offerant eo modo, quem in primo libro tractatus hujuſce expoſuimus. Is enim poſtea movebit ducetque mentem ad ea omnia, etiamque ubi opus erit, ad rationem ſcientiasque concernentia, quæ Menti neceſſaria & proficua poterunt eſſe: Aliàs quiſquis ex ſui ipſius ſcopo vano corruptoque rationem ſuam in his volet dirigere, ſeſeque prout videbitur ideis ſcientiisque hujus aut iſtius generis pluribus paucioribusve applicare & exercere; is nec modum nec uſum rectum in iis poterit tenere; & ex ſuperficiaria eruditione (ſiquidem illam etiam obtinere queat) ad falſam indubitanter præceps ruiturus eſt. Fateor id periculi utcunque evitari poſſe per eorum librorum lectionem, qui ſolidiora præcipuarum ſcientiarum fundamenta, principalioresque rationis & rerum ideas, veritates, leges, ſcopos ſolidos finemque verum ſic proponerent, ut hæc ſufficerent rationi ipſorum qui ad potiora adſpirant ſatis exercitandæ & ornandæ; nec diffiteor me in eis quæ hactenus edidi, id mihi pro ſcopo præſcripſiſſe omnium quæ huc conferre poſſunt, ſufficientem proponere veluti epitomen: At mentis ad Deum recurſum iſtiusmodi medio non excludi, ut hic, ſic & ibidem etiam non ſemel commonimus.

22. *Superficiaria, viaſque ad ſolida, non niſi a ſolidis, vel ab eis qui ſoli-*

XXII. Quemadmodum ſubjectum eruditionis ſuperficiariæ vidimus rationem eſſe; ideas vero ratiocioniaque ejus materiam; eandemque & tribus hiſce acquiri: ita nequit etiam facile ſine iisdem tribus communicari ab eo qui

qui illius aliis communicandæ capax eſt, ſive hic ſuperficiarius ſit eruditus, ſive ſolidus: ſolidi namque, ut in prima parte vidimus, & ſuperficiaria veluti acceſſoria habent, rationemque vel cæteris ſaniorem, uti accidit corporibus bene ſanis, ut eorum ſuperficies cutiſque coloratior vividiorque cæteris ſit. Et hi ſoli (quod vix crederetur) ipſam etiam ſuperficiariam eruditionem recte communicare poſſent, quanquam abſtineant, niſi quandò via eſſe poteſt adjumentumque ad ſolida: & tunc quidem ex ſcopo non dicendi ſunt ſuperficiaria docere, ſed ad ſolida per media externa auditores aptos adducere. Superficiarii autem, qui tantum ſuperficiarii (quales ſane adhuc valde rari ſunt,) ſi ipſi ſuam ſuperficiariam ex ſolida quam olim habuerint, ſed poſtmodum amiſerint, non hauſerunt, eidem communicandæ ſunt omnimode inepti: nam ab illis facillime quicquid aliunde quam ex propria experientia hauſerunt, pervertitur, & admiſtum falſo in falſum degenerat. Putarent multi ſe affici injuria quam maxima, ſi eruditionem ſuperficiariam poſſidere dicerentur. Atqui, niſi jam ſatis patet, ex mox dicendis animadvertat quivis, an inter quam plurimos vel pauciſſimi digni ſint, qui hoc ſaltem ſuperficiariæ elogio inſigniantur. Procedit namque eruditio ſuperficiaria, ut vera ſit in ſuo genere, a ſolida, haud ſecus ac ſuperficies a ſolido, & cutis bene diſpoſita a bene diſpoſito corpore. Quapropter etiamſi quis ſolide eruditum docentem audiviſſet, ejusque ſermones ſenſusque, quantum in ratione huma-

da poſſederunt, recte tradi & explicari poſſe.

na repræſentari ideis poſſunt, percepiſſet, non tamen ideo capax eſſet eos aliis bene communicandi, niſi præciſe iisdem verbis ſeſe adſtringeret; alioqui, quam primum ab illis (ſi alicujus momenti ſint) recederet ſub quocunque prætextu, veluti explicationis, paraphraſeos, amplificationis, conſequentiarum deducendarum, ſtatim ſe exponeret periculo errandi, & alios in errorem ducendi. Namque is, dum res ipſas intus (ut ſupponimus) non habet, ſed tantum picturas earum ideales, his & iſtis verbis in illo excitatas & communicatas, ſi audeat eas aliis alia quadam facie conſpiciendas dare, conjecturæ ſunt ad minimum errori obnoxiæ, cum ipſi non liceat rem originemque, qua deſtituitur, ex omni parte conſulere; neque adeo ex ea parte quam ex ſe ipſo exprimere auſus eſt: unde non minus fallit quam ſculptor, qui urbe aliqua a latere viſa, planum ejus ex ſua opinione & ratiocinatione deſcribere tentaret. Quæ ratio eſt quare ii, qui ſacra volumina ex originali idiomate in aliud interpretantur, niſi res ipſas divinas intus in ſe habeant, fidelius agunt quando preſſius de verbo ad verbum transferunt, etſi id barbarius quoad ſtylum ſonet, quam ſi dimiſſis verbis, ſecundum ideas quas putant verbis originalibus denotari, interpretationem ſuam accommodent; ſiquidem non poſſunt ideas ſuas cum rebus, ſi iiſdem careant, comparare. Id non minus periculoſum eſſe, cum non verba ſolum in alia verba transferenda, ſed & res ipſas cum ſuis conſequentiis ita tractare præſumunt, loquitur

loquitur univerſa & lugubris experientia : hinc ſcilicet omnis in ſacris calamitas, dum unuſquiſque e ſacris literis res eas, quibus ipſus deſtituitur, alios tamen docere ſatagit; etſi Deus, quò huic malo iret obviam, videatur ideo ſacrum codicem claudere ſolenni proteſtatione, qua plagæ divinæ & expunctio e libro vitæ denunciantur illi, qui volumini ſacro aliquid addiderit vel demſerit : quod non ſolum ad additionem vel ſubtractionem verborum, ſed & ſenſûs, quando quis eum de ſuo addit vel tollit, extendendum eſt. Quin etiam tam exacte verum eſt, eum a cujus inſtructione ideæ rerum exſpectantur, debere res eas poſſidere, ſi velit ſuis uti verbis in earum expoſitione, ut quamvis aliquis res de quibus agitur divinas, v. g. quæ Deum & cœleſtia reſpiciunt, poſſediſſet & expertus eſſet; ſi tamen earumdem poſtea paſſus eſſet jacturam, non poſſet de iis debite loqui niſi quouſque earum habuiſſet experientiam, e cujus experientiæ memoria ideas umbratiles in ratione excitaret eouſque, nec ultra, niſi equidem vellet falli. Hinc eſt, quod Dæmon, qui Deo cœleſtibusque pulcritudinibus & bonis fruebatur antequam lapſus eſſet, non poſſit nunc illas enarrare, niſi quouſque eas expertus, ab experientiæ memoria ideas umbratiles, ſteriles ſibi, efformare poterit : illa vero, quorum nondum habebat experientiam, quæque nova ſemper in æternum in Deo ſunt detegenda; nequaquam ita. Caute igitur non ex parte docentis ſolum, ſed & ex parte diſcentium, ideaſque rerum veras ab

 aliis

aliis accipere volentium, caute, inquam, admodum procedendum eſt, diſpiciendumque omni cura, in errorem ni velimus induci, an qui rerum ideas nobis imprimere earumque naturas, proprietates, effecta explicare conantur, res origineſque ipſas in ſe poſſideant, necne, aut quouſque realitate ipſa imbuti inveniantur, & pro ratione ſuæ hiſce in rebus copiæ vel inopiæ, aures iis vel præbendæ ſunt vel denegandæ.

23. *Exactius oſtenditur quid ſit Eruditio ſuperficiaria, ejus amplitudo, raritas, ejuſdemque vanitas.*

XXIII. Ponamus jam, ſi placet, ad exhibendam eruditionis ſuperficiariæ ideam exactiſſimam pleniſſimamque; ponamus, inquam, aliquem ex illuminatiſſimis de cœlo Angelis ad homines deſcendere, omnia eos quæ tenet edocturum; quique ea propter voce aut ſcriptis quam exactiſſime ab Angelica induſtria atque dexteritate fieri poteſt, omnia iis, quæ de Deo, deque rebus divinis & ſpiritualibus omnibus, de natura ſpirituali, corporea, humana, deque toto univerſo ſciri & exprimi poſſunt, deſcribat. Itaque ſi quis hominum ex deſiderio ſciendi iſta, eis attendat, horum omnium ideas exactiſſimas verbis Angeli præciſe reſpondentes in ratione ſua excitet, atque adeo omnium quæ Angelus verbis detexit idealem & cogitatis Angeli conformem habeat notitiam, nec tamen ſe, etſi bono ſcopo his vacare inceperit, elevet inde ad Deum, ab eo deſideraturus ut is res ipſas, harumve originantes virtutes in facultates ſuas paſſivas vivido lumine ſuo infundat; neque etiam fungatur officiis, quibus ex ampliſſima exactiſſimaque ſua ideali ſcientia

tia videt ſeſe erga Deum, erga proximos, creaturas cæteras ſeque teneri; ſed tantummodo in belliſſima illa rerum divinarum, naturaliumque conſideratione ideali ſubſiſtat: is demum agnoſcendus eſt verus eruditionis ſuperficiariæ poſſeſſor, eruditique ſuperficiarii axiomate demum dignus. Ecce, hæc vere eſt ſuperficiaria eruditio in puriſſimis ſuis eſſentialibus, veroque ac proprio gradu & ſtatu: qui infra ſunt, necdum eouſque attigerunt, ii, ſi quid ſint non pudeat eos fateri, ignorantes plus minuſve, aut etiam errantes ex ſincera conſcientia, palam ſeſe profiteri debebunt, id quod etiam doctiores fecere, exclamantes, *Quantum eſt quod neſcimus!* quod idem eſt ac ſi dicerent: Vah quanti quanti ſumus adhuc reipſa idiotæ & ignorantes. Imo ô mortales! ô eruditorum gens! rationi qui uni formandæ totos vos devoviſtis quo eruditionis titulo poſſetis vere celebrari! ſi ſciretis quam oneroſam atque importabilem, quamque ventoſam ſimul & inanem ſarcinam humeris veſtris impoſuiſtis, non eſſet ſane unde vobis de ſtudiis veſtris facile intus applauderetis, & multum in ſinu gauderetis: ſiquidem poſt immenſos rationis labores, vix uni e mille datur ad milleſimam eruditionis ſuperficiariæ partem attingere. Et quamvis miraculi inſtar ad plenitudinem ejus aliquis ſic perveniret ut vel Angelus illius rationem ulterius polire atque erudire non poſſit; tunc demum, ſi in iſtis maneat terminis, erit is qui ſplendidius & via tutiore, clarius & diſtinctius ad inferos mortalitate pereunte deſcendat, ſui ipſius ſuperba

admiratione & complacentiæ fermento turgidus, Deo ejusque amore ſive charitate vacuus. Nec ego is ſum qui iſta effingam & temere in medium proferam. Dei ipſius eſt iſthæc ſententia, Paulino calamo ita expreſſa: *(a) Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem* (ſive Amorem Dei, hoc eſt, traditionem animæ facultatumque intellectus, cordis, virium, cogitationum, quibus totis vult Deus amari) *non habuero, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens* (res ſuperficiariæ & ſoliditate vacuæ:) *Et ſi habuero prophetiam, & noverim myſteria omnia, &* OMNEM SCIENTIAM: *& ſi habuero* (quod plus eſt) *omnem fidem ita ut montes transferam* (ſcientia quâ inaniter ſe jactant Cabaliſtæ) *charitatem autem non habuero,* NULLUS SUM. Et ratio dictat, illum qui belliſſimè & Angelica manu haberet depictos cibos, theſauros, veſtitus, cæteraque totius mundi commoda, hæreretque ita in iconibus illis ſuis, ut de rebus ipſis acquirendis nil cogitaret, ſuperficiariæ atque etiam ſtolidæ mentis fore; nec non fame, frigore omnique inedia non poſſe non perire.

(a) 1 Cor. 13: 1, &c.

24. *Eruditionis ſuperficiariæ in partes notabiliores diſtributio.*

XXIV. Ex dictis patet quanta ſit amplitudo Eruditionis ſuperficiariæ, ſiquidem ad omnia, quæ ideis rationis repræſentari poſſunt, divina, naturalia, humana ſeſe extendat. Datur itaque & THEOLOGIA ſuperficiaria, & PHILOSOPHIA cum omnibus ſuis partibus atque membris, quæ jam non libet accuratius recenſere, tametſi generalius

lius dixero, omnem Philoſophicarum rerum ambitum tribus comprehendi membris, METAPHYSICA nempe, ad quam rerum affectiones communes ſpiritualiumque notitiam ſpecialem ſive *Pneumaticam*, referimus; PHYSICA, cujus *Medicina* & *Mathematicæ* ſcientiæ fuerint veluti partes aut appendices; ETHICA denique, ad quam *juris* ſcientiam, nec non eam *hiſtoriarum*, haud abſurde referas. Iſtarum autem tum acquirendarum tum communicandarum inſtrumenta fuerint, tum GRAMMATICA, cujus dependentiæ ſunt *Rhetorica* ſeu eloquentia, & *Critica*; tum LOGICA. Nolim jam operoſe cum aliquo contendere hancce meam de rebus quæ a ratione humana ſciri poſſunt, & in ſpecie de Philoſophiæ partibus diſtributionem, exactam ſatis eſſe; atque omnia, quæ quis cauſari poſſet illi deeſſe, tacite ſub partibus recenſitis includi; veluti ſub juris ſcientia eam quæ politicum & œconomicum jus & officium concernunt, & ſic de cæteris. Habeatur, per me licet, manca & deficiens: mihi liceat ſaltem de iſtis in cogitatione mea ita diſponere, dum illarum ſyſtemata proponere & diſcutere non intendo; verùm tantum obiter deſignare, quatenus in Eruditione ſuperficiaria ſuas habent partes.

XXV. Vulgo ſane qui ſe his omnibus, quas jam enumeravi, ſcientiis (voce hac latiſſime ſumta) præditum intueretur, haud dubio ſe ſolidiſſima crederet imbutum eruditione. Verum enimvero, tota iſta tam grandis ſcientiarum ſupellex aut gaza, earumque unaquæque, *25. Eruditionem ſuperficiariam ita raram eſſe, ut quæ ejus ditionis*

 quæque,

ſunt ſcientiæ ne quidem ad perfectionem ſuperficiariam adhuc attigerint, idque multis de cauſſis.

quæque, tunc demum ſuperficiaria erit dicenda, quando ejus ſyſtematis omnes ideæ præcipuæ, ideatis ſuis vere conformes in ratione humana præciſe habebuntur aut conſiderabuntur, vel ex eadem in tractatum aliquem didacticum debite diſponentur. At quam rarum eſt inter homines aliquem eruditi ſuperficiarii titulo vere dignum inveniri! ſed & rarius ſane vel alicujus e recenſitis ſcientiæ dari ſcriptis ſyſtemata; fateorque me hactenus non ita fuiſſe felicem, ut vel unum repererim hac dignum appellatione. An alii viderint quæ talia eſſe reputent, ipſorum id permitto judicio. Sed profecto ſi ea quæ ad talia diximus requiri conſideraverint diligentius; parciores erunt ac circumſpectiores in enumerandis ſcientiarum opibus, queis mundum jam ita abundare putant, ut ſeculum noſtrum lucis atque eruditionis ſeculum arbitrentur celebrari poſſe; cum potius quæri poſſet, annon confuſionis, vertiginis atque ineptiarum ſeculum dici mereretur, ut ut ingeniis præſtantibus, atque ad res penetrantius percipiendas natis exuberet: ſiquidem & excellentiora ingenia quando ſe minutiis nugisque homine indignis mala via, peſſimaque methodo atque Logica dedunt, nil quod vel ſuperficiarie verum dici mereatur, poſſunt acquirere.

Non jam ſpecialius recenſebo rationes, cur e ſcientiis enumeratis, prout eæ jam obtinent & exſtant, nullæ ſint quæ ad ſuperficiariam dignitatem mereantur extolli: & ſi quæ matheſeos ſunt, quæque mille inutilibus

bus ambagibus confuſis, turgidisque, imo & noxiis quiſquiliis ſcatent, aliquatenus ex aliis ſuperius exceperim. De cæteris, ne quidem ſpes eſt unquam eas ſuperficiarium ſuum ſtatum, qui illis ex natura ſua competere debet, conſecuturas: non modò iis de cauſis quas jamjam in ingeniorum præſtantium agendi modis dixi, aut quas tetigi dum de rationis & ratiocinationum imperfectionibus agerem; ſed & ideo, quòd homines in fundamentis ſcientiarum ponendis longe nimis a ſe repellant conſiderationem Dei, omnium ſcientiarum fontis; tum quòd ſeſe interius minus inſpiciant & conſulant; prætereaque plus quam par eſt adhæreant iis qui eiſdem ſecum defectibus ſunt obnoxii, a quorum tamen inſtitutione ſcientias exſpectant, easque, quod malum adauget, diverſas a diverſis, quorum unuſquiſque proprios conceptus proponit, aliorum ſcitis ſic oppoſitos, ut qui ex diverſis iſtis quas hinc inde hauſit ſcientiis aliquod in ſe eruditionis corpus velit per earum compagem efformare, haud ſecus facere videatur, ac ſi quis horologium integrum comparare volens, ad decem vel plures horologiorum fabricatores, quorum quisque diverſam horologii diſponendi ideam & methodum haberet, ſeſe conferret, ab unoquoque ſingulas rotulas, aut aliam quamque partem comparaturus, quas deinde omnes in unum ſimul ſyſtema horologicum compingere tentaret. Qua ratione ſane nil præter irregularem, abſurdam atque incompoſitam & ſecum ipſa pugnantem machinam, adipiſceretur.

 XXVI.

26. *Specialiores nonnullæ cauſſæ defectuum in præcipuis quibuſdam ſcientiis.*

XXVI. Sunt & ſpeciales de unaquaque ſcientia cauſæ, cur eæ ad debitam ſtatui ſuo perfectionem non perveniant, eæque in fundamentis male poſitis latentes. Has explicare, vel ſaltem enumerare alterius majoriſque operis eſſet quam ferat noſtrum inſtitutum: tametſi nil vetat obiter quaſdam uno alteroque verbo indicare in una atque altera ex præcipuis Philoſophiæ partibus, Metaphyſicâ ſcilicet, Phyſicâ, Ethicâ, nec non in earum organis, tum Logica, tum Grammatica atque Critica, cæteris aliis prætermiſſis.

27. *Metaphyſices defectus nonnulli.*

XXVII. In METAPHYSICÆ ſtatim limine non ſatis conſideratur Deus ſolitarie; nec mens ſe ſufficienter a creaturarum ideis purgat & ſeparat. Carteſiani quidem a rerum corporearum imaginibus, ne illæ ſe ſpiritualium ideis immiſceant, ſatis abſtinent: ſed iidem non ſatis, uti nec ulli alii, quod ſciam, Metaphyſici, ab omnibus creaturarum proprietatibus abſtrahunt, ut puræ Dei naturæ aliqualem ideam veram in ſua ratione excitent. Hinc ſtatim ſeſe inſinuant nebulæ & errores, quibus non modò Metaphyſices incrementum impeditur; ſed & tota hæc ſcientia inde fit falſa, atque etiam noxia.

Falſam tranſcendentalis, quam vocant, Metaphyſicæ partem non removent, ſed ſupponunt.

Inde non conſiderant illico Divinæ naturæ puriſſimam atque ab omni creatura ſeparatiſſimam proprietatem primam, Sufficientiam ſine qua tamen Ens perfectiſſimum (qualem eſſe

eſſe Deum fatentur) non eſt perfectiſſimum, ſed ab aliorum acceſſione pendens.

Eam, tametſi verbo profiteantur, re ipſa tamen, uti par eſt, non meditantur eſſe talem, ad quam omnia quæ creaturarum ſunt, non accedant; atque adeo Eſſentiam divinam, naturæ ſuæ neceſſitate nullis creaturis creaturarumque ideis indigere; ſed illis carere, ſui ſolius idea & fruitione perfectè completam atque contentam.

Deum, quà ſe collecto & veluti in ſe concentrato fruentem, ſic æternum eſſe, ut, puncti inſtar, nulla tunc in eo pluralitas, duratio aut ſucceſſio ſit conſideranda; ſed unitiſſima omnium perfectionum in punctum indiviſibile poſſeſſio.

Verùm eundem quà ſe in ſe veluti expendit, cumque ſuarum perfectionum diverſitate perfectiſſima ludit, in eodem eſſe tum libertatem & arbitrium eas diverſimode complicandi, & diverſimode ordinatas conſiderandi & percipiendi; tum eas diverſimode depingendi per excitatiónem arbitrariam in conceptu ſuo idearum rerum creabilium, in quibus ideis plus minuſve realitatis ſuæ repræſentatæ includeret; tum etiam res eas extra conceptum ſuum per creationem efformandi, datis ipſis quas vellet realitatibus, & præſcriptis iis, ſibique, regulis quibuſdam commercii mutui: quæ omnia libertas arbitraria & indifferens anteceſſerit, atque durationis & ſucceſſionis ſpecies quædam perfectiſſima comitetur.

Denique in eis quæ ſpectant Deum ſecum ſolo delectantem, conſideranda eſſe præcipue hæc tria, Deſiderium Dei erga ſe; Idea ſeu intellectio Dei de ſe ipſo; & Lætitia ſive acquieſcentia Dei in ſui contemplatione & fruitione.

Hæc omnia quando non debite conſiderantur, omnis Metaphyſica manca eſt: auſimque affirmare, hæc ipſa jam memorata, Dei videlicet Sufficientiam, Æternitatem, diſtinctionem naturalium & arbitrariorum in Deo ejusque regimine; Libertatem, & perfectiſſimam delectationum arbitrariarum ſucceſſionem; necnon deſiderii, intellectûs & acquieſcentiæ meditationem; clavem eſſe non Metaphyſicæ modò, ſed & omnium cognitionum quæ ratione acquiri poſſunt. Quapropter enixe dedi operam ut hæc accuratius explicarentur, tum in altera Cogitationum Rationalium editione, tum vero præcipue in Gallico tractatu Oeconomiæ Divinæ, ubi re ipſa oſtendi, omnium rerum, tam ſpiritualium & divinarum quam naturalium & humanarum naturas & regimina iſtis omnibus inniti.

28. *Phyſices defectus generaliores.*

XXVIII. In PHYSICA, quoniam hæc ſanam præſupponit Metaphyſicam, utpote quæ principiorum ideas debeat Phyſicæ ſubminiſtrare; Metaphyſici autem Deum debite non conſiderant, vix eſt quod quicquam exſpectetur. Etenim conſiderato, quod Deus ſit ens permanens, ſit potens atque activus, ſit luminoſiſſimus, optimus, ſapiens, felix, vividus atque fœcundus: quodque quo-

quo perfectior eſt, eo perfectiora (verba Carteſii ſunt) debeant eſſe ejus opera, nec poſſit quid producere, quod non ſit icon atque argumentum & documentum ſuarum perfectionum: cum debuiſſent deducere ex his talia naturæ principia, unde ſequeretur res naturæ eſſe ex origine ſua permanentes, non autem flacceſcentes nec morientes; eſſe potentes atque activas, luminoſas, optimas, concordantiſſimas, deliciofiſſimas atque fœcundiſſimas, quales mortalitate depoſita ipſe Deus teſtatus eſt, ſe eas in reſurrectione æternùm repoſituras: nil minus quam de his cogitant. Et quamvis hæc ipſa principia brevius ex Deo ſeſe deſiderante, intelligente, in ſe lætante, ſeque in creaturis ad modum quo in ſe delectatur depingere volente, derivari itidem poſſint, ſintque hæ veriſſimæ eæque unicæ naturalium rerum origines ſimul & archetypi; ſiquidem omnia naturalia a Deo taliter affecto ad ſuarum perfectionum demonſtrationem profluxerunt: altum tamen de his eſt ſilentium.

Hinc ignorantes naturam non potuiſſe aliter quam glorioſam creari, & re vera ita creatam fuiſſe ab illo qui ſe ipſum falſa & turpi imagine repræſentare, aut potius deturpare non poteſt; non concluſere, eam in ſtatu in quo nunc eſt per accidens eſſe; quod nempe, poſtquam homini omnia eſſent a Deo concredita, is vero ingratus & rebellis contra benefactorem factus eſſet, non decebat Deum, iſti impio ea omnia perfectiſſima conſervare, in quibus ille ſpretis Dei amore atque intimis

deliciis, delectari unice volebat. Ne dicam ex inordinato ſtatu hominis non potuiſſe non ſequi confuſionem atque conturbationem rerum quibus regendis ipſe præficiebatur. Adeo ut natura veluti putridum aliquod cadaver effecta ſit, ex cujus particulæ unius intuitu haud rectius de toto ejus ſyſtemate primo judicare eſt, quam ex cadaveris membro putri de totius corporis ſaniſſimi atque elegantiſſimi ſtructura, dotibus ac functionibus cognoſcere.

Si quis autem ſit qui cuperet iſta, quæ vulgari Phyſicæ deſunt, pluribus deduci, nec non veriora principia cum eorum conſequentiis ſpeciminibuſque nonnullis conſideratu dignis tractari, non ægre ferat ſe ad Oeconomiam meam aliquoties memoratam remitti.

29. *Ethices defectus capitaliores quidam.*

XXIX. In ETHICA non ſatis attendunt, ut decet, ad hoc principium, quod homo non ſi ens abſolutum; ſed ad aliud & ob aliud factus, cujus ſit repræſentativus oportet: adeoque quod is ſummum bonum non in ſe abſolute inque actibus ſuis, ut in ſe exſiſtentibus & ad ſe terminatis quærere debeat, ſed vero in relatione ſui ad aliud, inque actione quam patitur ab alio (Deo) in ſe, ſi debite ſe ei per virtutes paraverit & tradiderit. Hic demonſtrationes Metaphyſicæ de fine hominis quales alicubi tetigi, (a) apprime ad rem faciunt.

(a) Cog. Rat. pag. 417. &c. in notis.

Præterea nec quæ ſit hominis potentia & impotentia, quid poſſit & non poſſit, expendunt; libertatiſque ideam veram ex veriore Metaphyſica non habentes, aut doctrina quadam

quadam de decretis particularibus & infallibilibus ad omnes actus cogitationesque etiam ſeſe extendentibus (qualia ſomnia ipſemet Carteſius in Ethicam ſuam introduxit) vim præceptorum & animorum ad virtutem frangunt; aut vero hominis depravationem atque impotentiam ignorantes, libertatemque ejus ad operationem virtutis, viribus propriis condendæ extendentes, exitiali ſuperbia virtutis loco animam adimplent. Sed ad Ethicam falſam incogitans devolvor, cum de vera veritate ideali agere tantum debuiſſem, ſaltemque monere, ei condendæ ignorationem libertatis, potentiæ impotentiæque hominis officere: libertatis potentiæque & impotentiæ hominis ideam talem debere prius proponi, ut homo ſciat bona quidem omnia externa atque interna a Deo effici; homini verò ex potentia libertatis a Deo donatæ liberum eſſe, facultates ſuas ad bona illa flectere vel ab iiſdem deflectere, ea admittere vel non admittere: Et quamvis homo, poſtquam facultates ſuas ab illis per vitia removit, dignus evaſit cui Deus bona ſua non amplius offerret, tum intus motibus luminibuſque ſuis, tum extus; Deum nihilominus ea, intima maxime, de quibus in Ethica agitur, offerre adhuc, ſic ut homo ea poſſit etiammum ex libertate, non quidem efficere, ſed admittere: hoc tamen pacto, ut quoniam ex vitio pravos habitus contraxit, initiò ſentiat in ſe a bono utcunque admiſſo, contentiones, anxietates, labores, oppoſitiones, quæ omnia tolerare,

re, nec non vi boni ſeſe offerentis impugnare & ejicere debeat. Qui labor is eſt in quo præcipue Ethices præcepta omnia, cunctaque virtutum dogmata & exercitia verſari debent.

Sed & tertiò, Dei, rerum æternarum atque permanentium nimis ſunt immemores in Ethicis: non reſpiciunt ſatis hominem ceu creaturam æternùm duraturam, Dei ſobolem, quæ converſationi cum Deo cumque Dei filiis per eruditionem morum Deum decentium apta reddenda eſt, adeo ut Ethices qualis homini convenit, fundamenta & principia non debeant eſſe veluti pro creatura temporali, hîc cum ſui ſimilibus inter craſſamenta terrena aliquamdiu convictura, poſtmodum verò ſummo ſuo bono virtutibuſque, quæ hac mortali & naturali vita circumſcripſerit, valedictura. *Hanc*, ut cum Lactantio dicam, *veram virtutem eſſe nego, quia ſit tota terrena; quandoquidem nil efficit niſi quod remaneat in terra.* Ex Dei æterni rerumque æternarum, facultatibus noſtris ſummis & æternis complectendarum, amore, eque deſiderio proximum noſtrum huc quoque promovendi, emanent veræ Ethices principia neceſſe eſt. At, dices, hæc Theologiæ eſſe, non Philoſophiæ. Quaſi vero quemadmodum datur Theologia naturalis theoretica, quæ eſt Metaphyſices, ſic & Theologia quoque naturalis practica non daretur, hujusque conſideratio idealis non eſſet Philoſophica, ipſiſſimaque Ethica, de cujus deſcriptione, prout in facultate rationis per ejus ideas depingi poteſt, hîc agitur.

XXX.

30. Quarela. Hic, & alibi ſæpius ea quæ Dei, Theologica & revelationis ſunt, nimis cum Philoſophicis miſceri, quæ tamen ſola eſſe debeant.

XXX. At vero, quicquid dicas, inquiat aliquis, & hæc, & quæ mox de hominis impotentia dixiſti, quæque & ubi de Metaphyſica & ubi de Phyſica modò agebas aſſumſiſti de Deo, deque naturæ tum glorioſo creationis, tum depravato corruptionis ſta tu, & quam plurima alia, quæ Philoſophica tantum eſſe deberent, nimis ſunt Theologica. Sumus Philoſophi. Rebus naturalibus circumſcribimur. Cætera quà Philoſophi neſcimus. Quæ ſupra nos nihil ad nos: proinde dimiſſo Deo, maxime verò prætermiſſis iis, quæ ex revelatione conſtant, de naturalibus in ſe fac agamus ſolum, deque temporalibus: quid hic æternitatis conſideratio? Hæc quoniam totum veritatis Philoſophiæ ſyſtema ideale ſpectant, operæ pretium eſt amoveantur ſollicitius.

31. Quarelam hanc non eſſe ſine abſurditate, & forte impietate.

XXXI. Vix credi poteſt ejuſmodi querelam ab alio fieri ſerio poſſe quam ab aliquo forte Epicuri de grege animalculo, Atheove Spinoziſta. Horrendum enim eſt, atque indignatione, aut potius ingenti commiſeratione dignum, hominem uſque adeo naturam exuere, & ſponte ſua veluti in monſtrum quoddam transformari, ut tædio ipſi ſit, Deum in illis de quibus ſerio agit, intervenire. Atqui, miſer, non tamen ideo, quicquid agas, Deum reapſe excludes a te, nec a natura, neque ab eo quod benignè ſuſcepit officio, undè rerum rationes ipſæque res manarunt, ſunt, conſervantur & perficientur. Tu ipſe es creatura Theologica, a τοῦ θεοῦ λόγου expreſsè facta eò ut is te inhabitet tuque

tuque eum opere & verbis magnificias; & væ tibi niſi ſis Theologus æternus. Omnia unà tecum a Deo, in Deo, ad Deum, pro Deo. Deus & idearum, & veritatum, & boni, & rerum cauſa efficiens, finis, forma beandarum, adjunctum, relatum, omnia: omnium omnino radix & baſis, ratioque fundamentalis, ſine quo nihil valet, neque eſt. Is re intus & extus perpetuò ſe ſuiſque beneficiis afficit & circumcingit, vultque tecum perpetuò delectari, ſua omnia, nil excipiens, tecum communicaturus: alioqui de neglectu ſui, deque ſuorum beneficiorum tuarumque facultatum per te abuſu ex juſtitia a te rationem exacturus, in cujus quippe, quicquid ſine eo philoſophari velis, tremendas manus cras aut perendie incidere debes. Et tamen hujus te memorem fieri, tibi tædioſum eſt, malleſque cum Ethnicis philoſophis ſcotomate & inſipientia percuti, & in reprobum tradi ſenſum: quippe quod Ethnicis ideo accidit, quia *noſcentes Deum, illum non affecerant gloria ut Deum decebat*, hoc eſt, eo honore non afficiebant, ut ipſum in omnis boni, veri, rerumque cauſis intervenientem conſiderarent, ceu omnium radicem & fontem; archetypum, cujus omnia ſunt ectypi; medium, cujus placito & intuitu omnia ſunt regenda; finem, ad quem omnia cum amore, laude, veneratione & gratiarum actione remeent. Tales ſane, in quos juſtitiæ divinæ ejuſmodi exempla facta ſunt, decet divina revelata aſpernari, ut veluti lethargici & ſopore oppreſſi, præter ideas & phantaſmata,

Rom. 1: 21.

mata, quæ ipſis dormitantibus a ſomniis & a morbi ſui indole ſuggeruntur, nihil admittant, hominum interim vigilantium diſcurſus & ideas ſaniores repellentes ex hac ratione, quod lethargici ſint, & ſuo more quà lethargici & dormitabundi cogitare ac philoſophari velint; unde cum expergiſci nolint, quid ad eos vigilia & vigilantium ideæ? Videamus tamen an ex ratione a morbo ſanari & evigilare poſſint.

XXXII. Quemadmodum dantur tria luminum genera, lumen divinum videlicet, lumen naturæ, & lumen rationis, illaque tria in uno eodemque homine eſſe poſſunt; ſic etiam unus idemque homo poteſt & eſſe & conſiderari, ut Theologus, ut Naturalis, & ut Philoſophus.

32. *Hominem quà Philoſophum, experientias tum naturales, tum divinas, debere, conſulere, ut ex illis proſpiciat rationi ſuæ ideis.*

Ut *Theologus* (non loquor hîc de Theologia ſuperficiaria, de qua adhuc; ſed de ſolida.) utitur *lumine divino*, cui dat facultates ſupremas.

Ut *Naturalis*, utitur *rebus* naturalibus ad vitæ ſuæ conſervationem, puta elementis; cibis, veſtimentis, artibusque hæc & ſimilia parandi, quibus facultates ſuas inferiores accommodat.

Ut *Philoſophus* autem excitat in ratione ſua *ideas* ſeu icones rationales vel; ſi mavis, intellectuales earum rerum quas facultatibus ſuis percepit, ſive res illæ ſint *divinæ*, ſive *naturales*. Quod maxime obſervandum eſt.

Namque ſequitur inde, hominem Philoſophum, ubi philoſophari vult, majori jure teneri rationem ſuam occupare ideis ſive picturis,

ĉturis, ut ſic dicam, rerum divinarum, (quæ infinities & majores ſunt, & magis ad eum ſpectant, & ampliores in ipſo facultates habent,) quam quidem ideis rerum naturæ; neque etiam eum poſſe rejicere teſtimonium luminis divini; quod potius contrà, deſiderare & quærere debet; &, ubi adeſt, admittere, ſuaque cum illo philoſophemata conformare, ut ut dicat ſe non philoſophari quà Theologum, ſed abſtrahendo a Theologia. Namque obſervemus, quæſo, primò, quod quemadmodum iſte, ſi ſanus ſit, non dicit quando ſit philoſophaturus: Ego quà philoſophus nolo me gerere ſicut homo naturalis, ſeu communis; adeoque nolo facultatibus externis, oculis, auribus, manibus uti. Volo quidem ideas formare rerum corporalium naturaliumque; ſed non talium rerum quas homo, quà naturalis, ſenſibus detegat; adeoque ad res quas ſenſibus percipio nolo attendere; nolo admittere lumen ſolis, non corpora quæ per id percipio: non cætera; quemadmodum, inquam, hoc non faciet philoſophus ſanus: ſic nec idem dicet: Ego quà philoſophus nolo admittere lumen quod non percipio niſi quà Theologus; adeoque ad res divinas hoc lumine detectas attendere nolo. Namque ſicut res naturales re vera ad ipſum pertinent; ita & divinæ. Et prout qua philoſophus in mente ſua excitat ideas ſive icones intellectuales ſeu rationales rerum quas ſenſibus percepit quà homo naturalis, eaſque ideas conſiderat non tanquam res ipſas, quibus veſci, veſtiri, aut ex quibus ſibi de neceſſariis pro-

proſpicere velit; ſed tanquam picturas & imagines ad animi relaxationem & delectationem: ita etiam idem quà philoſophus debitè in mente ſua excitat ideas rerum quas quà Theologus ſolidus percepit, easque ideas non æſtimat veluti res ipſas, non credit eas eſſe Deum ipſum, ipſum lumen Dei, ipſas res æternas & divinas; ſed habet eas pro rerum divinarum picturis & imaginibus, quæ, quà tales, ad philoſophum quà talem optime pertinent, non ut eis ſe paſcat ſolide, iisque ſervari velit; ſed ut in illis delectetur, videns in eis repræſentationes & rerum earum & earundem auctoris.

Porrò quemadmodum Philoſophus, niſi ad ideas ratiociniaque de rebus corporeis adhibeat experimenta quæ ope naturalis & ſenſibilis ſive externi luminis detegit, chimæras tantum explodendas in otioſo ſuo cerebro & muſeo conderet, nullatenus rebus naturalibus conformes; idemque ſtulteſceret, ſi re vera lumine illo, rebusque per illud detectis, nullatenus vellet uti, ſed totam vitam quà philoſophus & meris ratiociniis tranſigere: ita quoque is ipſe, quando vult de rebus divinis, incorporeis & Metaphyſicis agere niſi ad ſuas de illis ideas ratiociniaque adhibeat experimenta quæ ope divini luminis deteguntur, explodendas chimæras de rebus ſpiritualibus otioſus condit, a rebus ipſis prorſus abludentes; prorſusque ſtulteſcit idem ſi ideis ſuis ſic inhæreat, ut ad res ipſas divinas, divinumque lumen, ſuas primi ordinis facultates non admoveat. Philoſophi objectum, ſeu materia,

ut

ut ſic dicam, prima, debent eſſe res tum cogitantes, Deus, mentes, earumque proprietates; tum corporeæ, quas omnes, lumine unamquamque ſuo, experiri, ſenſibuſque ſuarum facultatum percipere debet ante omnem rationis actum, veluti etiam fit in rebus externis: poſtmodum illis ſic experientia in ſe perceptis, ratio demum activitate ſua circa illa ideïſare, ut ſic loquar, & ratiocinari debet, ſic ut repugnantia expertis non proferat: & hoc eſt vere philoſophari.

33. *De præſentia & abſentia luminis divini.* *Nullum poſſe recte philoſophari niſi actibus philoſophicis theologicos interponat.* *Simile.*

XXXIII. Atqui dices, lumen equidem externum & ſenſibile in promtu habeo, quod quidem cum ejus experimentis ex ſenſibus & modo agendi omnibus hominibus non philoſophis communi, perlibenter ad philoſophandum adſumam, quò mea de rebus corporeis cogitata idealia rationabiliaque juventur & dirigantur; verum non ita mihi obtinget divinum lumen, cujus experientiâ divinas res intuitus, adſumere inde poſſim quæ cogitata mea de ſpiritualibus diviniſque poſſint dirigere & confirmare; quod aliàs perlibenter facerem: quis enim divinas experientias, omnium certiſſimas, rejiciat ad ideïſandum & ratiocinandum, cùm ipſæ divinæ res ſint rerum omnium origines, inque rebus omnibus multifariam depictæ repræſententur? Bene eſt: ſi quis eò redeat, illius ego difficultati huicce mox ſatisfaciam, ubi priùs dixero, cur voce hac, *ideïſare* maluerim hic uti quam vocabulo *philoſophari.* Nempe obſervavi, homines, poſtquam philoſophiam a Theologia ſuo more diſtinxerunt, veluti pro

facinore

facinore quodam habere, ſi quis ab una ad aliam trajiciat; hoc appellant μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος, crimen ut barbarum ſic mere ſcholaſticum & pædagogicum. Equidem non ſunt confundendæ Theologia & Philoſophia: una ſiquidem res divinas ſpiritualesque ipſas poſſideat lumine divino; altera, earum tantum imagines nonnullas, quas activitate rationis depingit. Verùm ſi quis philoſophantem ideo reprehendat, quod mentem ad divina theologicaque convertat, idem facit ac ſi hominem depingentem, ſeu imagines facientem, qui ad rem ipſam archetypumque ſuum interdum reſpiceret, ſic alloqueretur: Heus tu, pictor, jam quæſtio eſt de effigie manu coloribuſque in tabula pingenda; quid tu nunc rem ipſam archetypumque oculis tuis adſpicis? tu quà pictor jam non rei ipſius ſpectatorem, ſed pictorem imaginis gerere te debes. Qua reprehenſione ſane nihil eſſet ſtolidius. Eſt enim requiſitum neceſſarium omni bono pictori, ut per vices ab actione & uſu manûs, penicilli, colorumque ceſſet, ipſiſſimamque rem & archetypum ſuum reſpiciat. Sic quoque neceſſario requiritur ab omni bono philoſopho, quem idcirco idearum pictorem, ſeu ideiſantem appello, ut, niſi propriæ imaginationis figmenta cudere velit, philoſophationem, ſive actum ideas depingendi per intervalla interſecet, ut archetypum ſuum identidem intueatur: adeoque nil ineptius eſt querela iſta de tranſitu illo perneceſſario actionis philoſophandi ad actum theologizandi, ſi fiat quandoque

doque eo modo eoque fine hucuſque dicto.

34\. *Quomodo quiſque de rebus mentalibus philoſophaturus, poſſit divinas experientias conſulere vel aſſumere, iiſque ſuas adjuvare ſpeculationes.* XXXIV. Jam quid agendum illi, qui ſe lumine illo divino, quo divinarum rerum experientiæ deteguntur, deſtitutum profitetur? Dico primò, male illum id profiteri. Inſtinctus, ſenſus, dictamina, deſideria de æternitate, de beatitate, de omnis boni verique poſſeſſione, cæteraque de juſto deque virtutibus, actus ſunt immediati divini luminis, ſeſe in infinitum & ad infinita ſublimiſſimaque dilataturi, ſi hiſce principiis homo debite reſponderet. Secundò, videamus exemplo, quid faciendum eſſet, ſi quis, v. g. philoſophiam naturalem diſcere volens, non haberet unde experimenta ad eam requiſita faceret ipſe; ſique agnoſceret præterea, uti omnes agnoſcere debent, in corporibus tum prope poſitis tum longe a nobis diſſitis multa eſſe quæ oculis ſuis nudis detegere non poſſet. Is, quoad primum, aliorum experimenta, aliorum a viris fide dignis ſibi relata, non negaret; ſed veluti a ſe facta & aſſumeret & crederet. Quoad alterum, non negaret dari poſſe media ſeu adminicula quorum ope plura, & rectius, quam nudis oculis videantur: ſique adminicula talia, puta microſcopia & teleſcopia, ipſi exhiberentur, ea ſane lubens adhiberet, maxime ſi & modus ea parandi iiſque utendi ſimul ei declararetur. Quibus aliunde aſſumtis & adhibitis, tunc operam daret ut ſpeculationes ratiociniaque ſua phænomenis quæ per media illa novit, non contradicerent; ſed ab illis potius corrigerentur & dirigerentur. Eadem quo-

quoque ratio habenda in ſpeculationibus philoſophicis rerum ſpiritualium, quarum ſolidiora experimenta & rariſſima ſunt, penesque pauciſſimos; & tamen non deeſt medium plura detegendi quam nudis rationis oculis detegi poſſint. Experimenta aliorum, hoc eſt, quæ probi & ſancti de his per lucem experientiamque divinam perceperunt, ea non tantùm non neganda, ſed in lucrum etiam & fidem reponenda ſunt: deinde non negandum, nos poſſe multa, eaque clariori luce quam nudis oculis videre; ſed potius revelationes divinæ, quæ veluti teleſcopia & ocularia quædam vitra ſunt, aſſumendæ: quibus ut bene utamur, ſenſumque earum capiamus, quâ mentis diſpoſitione conſiderandæ ſint, ibidem docemur: atque ſic ratiocinationes ſpeculationeſque noſtræ de divinis & dirigendæ erunt & corrigendæ. Neque ſane negabit Philoſophus, ſi ſapiat, Deo non fallenti, rerum conditori & cognitori atque revelanti, magis eſſe credendum quam rationi ſpeculanti & ratiocinanti. Hoc Carteſius modeſte agnovit, eſtque demonſtratio evidens, perfectiſſimo & infallibili rerum auctori magis fidendum eſſe, quam rationi deceptionibus obnoxiæ & tenebris multis obſitæ.

XXXV. Et quamvis Philoſophus ipſa Dei revelata dicat ſe non capere, ſaltem plene; debet tamen ad minimum cavere ne eis, quouſque illa capit, adverſentur ſpeculationes ſuæ: dein agnoſcat, omni laude di- *35. Philoſophi circa revelata officium.*

 gnum

gnum eſſe, ſi conetur in & ex ratione principia invenire philoſophica cum eis quæ ex revelatis percepit convenientia, & ſi fieri poteſt, ea ſuo modo explicantia. Atque quando talia invenit, quæ, poſtquam eo a revelatione quaſi manu ductus eſt, videt poſtmodum, ubi res penitus philoſophice intuetur, convenire reapſe cum eis quæ ratio ſana ibidem detegit, tunc revera habet quod rationi Philoſophiæque de revelatione gratuletur.

36. *Multa dari quæ a ratione infirma detegi quidem non poſſint, ſed quæ per revelationum reperta, a ratione oſtenduntur eſſe vera, & neceſſario ita.*

XXXVI. Et ſane nemo negabit veritates dari quas ratio quidem, in quo nunc eſt ſtatu, nunquam eſſet per ſe ſola inventura; quas tamen philoſophus, poſtquam eæ ipſi ſunt aliunde detectæ, non modo veras eſſe percipit, ſed ita etiam in ipſa ratione fundari agnoſcit, ut neceſſario ſic eſſe debeant nec ex ſana ratione aliter eſſe poſſint. Atque talia ſunt quæ de veris Philoſophiæ principiis, phyſices præſertim, ſuis in locis hic & alibi protulimus. Namque poſtquam ex divina revelatione audivimus, Deum vidiſſe omnia quæ fecerat eſſe optima, hominem in gloria fuiſſe, creaturas tendere ad priorem ſtatum libertatemque, quæ ſint glorificatio; easdem autem nunc eſſe ſteriles, angentes, doloroſas, venenatas, mortales, evanidas, hominemque ipſum vel ipſis brutis ſimilem eſſe & moribundum; & horum omnium cauſam eſſe hominis in Deum ſuum rebellionem & vitium: Deum tamen creaturas in priorem ſtatum glorioſum, (quod reſurrectio vel reſtitutio omnium dicitur,) repoſiturum, ut

omnia

omnia æternùm ſic renovata permaneant; (quæ cuncta ex revelatione (*a*) per Scripturas divinas conſtant,) hæc, inquam, poſtquam e revelatis aſſumta ſunt, facile eſt non modo cum ratione conciliare; ſed & oſtendere & demonſtrare iſta ſic cum ratione convenire, ſic in ea fundari, ut nullo modo res aliter ſe habere poſſit; omniaque phænomena, hactenus inexplicabilia, & cum Dei attributis pugnantia, per hæcce ſic explicare, ut eadem per alia declarari non poſſint. Quod ita eſſe, videbunt qui quæ de Dei æternitate, potentia, pulcritudine, bonitate, ſapientia, felicitate, fertilitateque aliiſque, in libris Oeconomiæ Divinæ meditati ſumus, & ex quibus vera rerum principia, qualia ex revelatione indigitabantur, ſequi neceſſario demonſtravimus; uti & ibidem oſtenſum eſt principia peritura corruptionis miſeriæque, quibus nos cum mundo hoc ad tempus involvimur, ex hominis malo erga Deum regimine, & vitiis, quorum quisque ſatis apud ſe conſcius eſt, ortum ducere, nec non e Dei juſtitia, quam decere, ut homo iis caſtigetur quibus in benefactorem ſuum peccat, ipſa ratio demonſtrare apprime apta eſt.

Cum igitur ratio in viam ſuam rectam vereque rationabilem reduci poſſit per unum atque alterum monitum Revelationis; quid abſurdius, quid ingratum magis, magisque ſto-

 lidum

(*a*) Perpende ſi placet e plurimis loca ſequentia. Gen. 1: 31. c. 3: 16, 17. Pſ. 8: 6, 7. &c. Pſ. 49. (vulgat. 48:) 21. Eſa. 11: 6...10. c. 24:23, &c. 65: 17, &c. Ezech. (typus originis primæ hominis) 28: 12... 16. Sap. 1: 13, 14, 15, 16. Act. 3: 20, 21. Rom. 8: 19, 20, 21, 22, 23. Apoc. cc. 21 & 22.

lidum eſt, quam ejuſmodi auxilium (quo Philoſophi Chriſtiani præ Ethnicis gaudere poſſunt,) non ambabus amplecti manibus? Ergone arbitrantur iſtiuſmodi queruli Philoſophaſtri ſe errare non poſſe? aut vero ſe, cum erraverint, non poſſe per alloquium alicujus de errore moneri & in viam reduci? Atqui hujuſmodi alloquium & monitum detectio & revelatio eſt: humana, ſi ab homine fiat; divina, ſi a Deo, qui ſane quovis alio monitore aptior eſt, rationem exorbitantem ad orbitam rectam revocare, ingenti rationis emolumento atque beneficio.

Hiſce aliquantulum copioſius inſtiti, quod ſciam hinc præjudicium potentiſſimum, inveteratiſſimum idemque pernicioſiſſimum omnibus ad unum fere Philoſophis & philoſophaturis inſidere, per quod a veritate ideali detegenda æternùm amovebuntur, quamdiu ejuſmodi beneficentiſſimo atque perneceſſario auxilio monitoque uti recuſabunt: a cujus privatione vel rejectione, opinionum monſtra in Deum blaſphema, in naturam abſurda, rationem rectam non placantia ſed angentia, totam ſuam Philoſophiam deturpantia, oriri, pluribus oſtendere poſſem, niſi id ab hocce meo eſſet inſtituto alienum.

37. *Logicarum vulgarium defectus præcipui.* XXXVII. Dixeram me de LOGICA, philoſophandi inſtrumento, aliquid etiam moniturum, per quam cum intelligi debeat Methodus rerum ideas veras in mente excitandi, excitatas jungendi & disjungendi, ex his complicationes & conſequentias deducendi; omnia

mnia denique proponere ordine modisque ad uſum verum relatis; aliud quid requirit quam quæ in vulgaribus Logicis oſtenduntur, poſt quorum adeptionem videmus nihilominus homines, ut ut Logicos, longe a veritate unanimi per oppoſitas ſententias abeſſe, nec non ἀλόγως valde ſeſe in omnibus gerere, ita ut quo magis Logici, eo abſurdiores videantur. Non de illis loquor qui nugaces multas Scholarum Logicas in ſpem futuræ oblivionis atque inutilitatis, memoriæ mandarunt. Eos intelligo qui indagandi veri præcepta, nugis inutilibus exonerata, magisque præciſa, &, ut putant, efficacia, remque magis tangentia, adhibuerunt. Verùm non animadverterunt ſatis, cum nonnullis rebus ſic naturâ comparatum eſſe, ut, ubi doceri debent, altius repetendæ ſint quam videatur poſtulare præciſus uſus ad quem ſunt deſtinatæ. Si, quemadmodum homines omnes quoad verum mente ægri & infirmi ſunt, iidem & corpore ægri eſſent; vellent tamen addiſcere exercitium aliquod corporis relaxationi inſerviens, puta artem ſaltandi; non ſufficerent ſane eis præcepta hujus artis ſpecialiora, ſed ab altioribus incipiendum eſſet, ut primo corpora ſana vegete moveri poſſent. Aut ſi quem doceri vellemus juſtitiam & fidelitatem in rebus minoris momenti, ei dandæ eſſent leges quæ etiam in rebus majoris momenti valerent. Vera Logica, ſeu via tuta ducendi & regendi rationem, e totius mentis facultatumque illius omnium bona diſpoſitione exſurgat oportet. Evidens enim eſt, eum,

qui efformare vult, quantum a rationis facultate fieri poteſt, icones rerum quæ in facultatibus ſupremis atque etiam infimis ſunt, vel eas afficiunt, ſano facultatum ſuarum omnium ſtatu ante omnia frui debere, adeoque ad illam ſanitatis diſpoſitionem primo ducendum. Qua de cauſa hinc inde in toto hoc opere, præcepta plura interſperſi, quæ tanquam ad Logicam veram neceſſaria conſiderari poſſunt; adeoque me labore ea hic reponendi levant.

38. *Vera Logica leges capitaliores.* XXXVIII. Si quis tamen optaret ut uno verbo atque conſpectu quæ ſparſa ſunt, nonnullaque alia e magis neceſſariis hoc loco exhiberentur, age, id igitur eſto:

Circa Philoſophiam in genere. 1. Philoſophaturus pro ſcopo habeat, ut animum ſuum in Deo relaxet atque lætificet, perfectiones illius contemplans, tum in ejus idea, tum in ideis creaturarum, quæ ejus potentiam, ſapientiam, bonitatem aliaque ob oculos ponunt; deinde quoque ut inde aptior fiat ad bonum proximi promovendum.

2. Philoſophaturus, cum homo ſit, conſtans facultatibus 1. realibus Divinis, intimis & æternis, ad objecta æterna & realiſſima omniumque maxime neceſſaria factis: 2. realibus externis & naturalibus ad objecta realia, neceſſaria, ſed tranſeuntia hujus mundi datis: 3. facultate picturaria rationis, ſive intellectus activi ad objectorum picturas umbratiles relaxationis ergo effingendas: (quas facultates primi, ſecundi & tertii ordinis, ſimiliterque objecta & lumina ſingularum vocare

care poſſis,) ſic de ſe diſponat, ut tempus, curas ardoremque ſuum inter illas diſpenſet pro ratione & proportione quæ eſt inter æterna, temporaria, & picturatas umbras: ſic ut rationem philoſophationemque ſuam non niſi proportione hac cum cæteris ſervata exerceat; idque eo magis, quod breviſſimum ſaltem hujus vitæ ſpatium ad æterna comparanda ſibi datum eſſe norit. Secus ſi agat, omnia in ſe confundit & turbat, ἀλόγως agit, muſcis capiendis impendens pretioſiſſima momenta, quæ immenſis theſauris colligendis inſumi poterant: a qua iniqua inſania abſorptus tandem, ſic faſcinabitur, ut nugaciſſimis evanidisque nugis totus traditus, putaturus ſit ſe res quam maxime ſerias agere.

3. Caveat ſummopere, ne ideas confundat cum rebus ipſis, maxime in ſpiritualibus, in ideis ſuis acquieſcentiam ſuam terminando, nec aliud lumen aliaque realia exſpectando: memor ſemper, ideas eſſe picturas mortuas, ſteriles, inefficaces, deficientes, non ſatiantes, nec veris defectibus noſtris ferentes ſupplementum: quod a rebus ipſis, per facultates paſſivas admittendis, exſpectandum eſt. *Circa ideas.*

4. In ideis ſuis per activitatem ſuam depingendis, recurrat ſæpe ad ipſa rerum originalia, tum corporea, per experientias rerum externarum; tum ſpiritualia, per intimas facultatum interiorum cum objectis divinis exercitationes, maxime vero cum Originali ſummo, omnis realitatis, veritatis, bonitatis, rectitudinis ſapientiæque fonte,

te, Deo, ad quem iteratis ſæpe vicibus reſpiciendum eſt, cum oblatione deſiderii, intellectûs & acquieſcentiæ iis conditionibus præditorum, quas antea deſcripſimus. Hoc eſt punctum ſaliens ſanitatis intellectûs activi, ſeu Rationis noſtræ. Opinantur multi, ſeſe rationi ſuæ vim, amplitudinem rectitudinemque acquiſituros vel per ſæpe repetita exercitia ejus, vel ſi onerent ſeſe Mathematicis, geometriâ, & maxime quidem operoſis atque inutilibus Algebræ crepundiis; tametſi experimentis vidimus nonnullos, qui in inquirenda veritate & ratione bene diſponenda, Algebram ferè unam tantùm non ut Deam commendaverunt, hoc auxilio in Metaphyſicis abſurditates tam monſtroſas & noxias peperiſſe, ut qui pro medio rationis bene diſponendæ exercitium commendarent ſyllogiſandi in baralipton & friſeſomorum, non ineptius delirarent.

5. Ex rerum ideis, quibus ratio exerceri poteſt, eas ad ejus exercitium præferat quæ ſunt de rebus dignioribus, profuturis & utilibus.

6. Inter ideas de rebus profuturis ſeligat eas, quarum originalia maxime ipſi ſunt vel erunt neceſſaria, vel quæ re ipſa ex uſu erunt.

7. Mere curioſa, quorumque ſpeculationes probabile eſt ad praxin, utilemque uſum futuras eſſe nullas, dimittenda ſunt; qualia ſunt quam plurima ſtudiorum genera, e quibus nullum exſpectant fructum, niſi ut data occaſione una vel altera apud vanos quoſdam homunculos citatione forte vel ſermunculo nonnullo

nullo gloriolam pædagogicam *πολυμαθίας* acquirant ſcioli.

8. Nunquam judicandum eſt dum affectus indebitus, ſeu paſſio aliqua turbida erga objecta aut partes ſectasve aliquas, mentem occupat. Dico de affectibus indebitis atque turbidis. Sunt namque affectus quidam debiti, pro quibus mens facta eſt, quique eam non turbant, ſed illuminant atque ſerenant: veluti deſiderium & amor erga Deum, animi humilitas, & ejus generis ſimiles. Hi ubi adſunt, tunc maxime judicia de rebus ſana ſunt; eadem ubi abſunt, frigida, turgida & parvi facienda. Huc reſpexêre divinius ſolidiusque eruditi, cum dixêre, judicia de rebus ſaniſſima atque ſolidiſſima tunc fieri quando mens in procinctu eſt a mortalibus ad immortalia ut tranſeat, vel cum ſe, acſi in eo migrationis ſtatu eſſet, conſiderat: quod non intellexere, acſi otioſe ſemper de æternis meditabunda eſſe deberet; uti patet ex unius illorum reſponſione, qui rogatus, quo in ſtatu, aut qua in actione eo tempore eſſe optaret, ajebat: Se optare tunc deprehendi agens quæ acturus eſt. Nempe, quicquid agerent, reſpiciebant ſemper de Archetypum ſummum, cujus imagines cum in omnibus viderent, ad eundem etiam, ſemper præſentem, omnia referebant judicata.

Circa judicia.

9. De caſibus mille, qui vel nunquam accident, vel nos non tangunt, de iis aut nunquam, aut caute, & raro judicandum eſt: neque tam de penu atque copia judiciorum concluſionumve eſt laborandum, quam de

rectitudine mentis per harum & ſequentium regularum obſervationem conſervanda.

10. Cavendum eſt, ne ex apparentibus, aut ex iis quæ arte ſuperficiaria, aut verborum lenocinio, aut critica futilitate incruſtata, ſpeciem rerum gravium mentiuntur, judicia fiant, utpote plerunque fallaciſſima; ſiquidem hæ artes, quamvis interdum bonis, potiſſimum tamen, nunc præcipue, aut malis aut nugacibus inſerviant, ſimulque ſuperficiem mentis ſic demulceant & occupent, ut ſibi tunc videatur rebus quam plurimis momentoſis & pretioſis paſci, quando non niſi errores quoſdam, inſulſos pariter & pernicioſos, vel nullius momenti futilitates, abſorbet aut lambit.

Circa ratiocinia. 11. Non omnia ratiocinationibus ſubmittantur: ſiquidem infinita ſint, tum in Deo ejusque potentia & rebus divinis, tum etiam in naturæ principiis primis & vividis, item maximis & minimis, quæ ideis intellectûs activi ſeu rationis humanæ repræſentari non poſſunt, adeoque nec de illis ratiocinationes nec conſequentiæ proferri.

12. Rerum quæ facultates vividas realesque primi & ſecundi ordinis concernunt, ſolida certitudo non exſpectetur nec quæratur e demonſtrationibus ratiocinatis: ſiquidem harum rerum certitudo omni rationis actu atque demonſtratione ſit ſuperior. Cauſam ſpecialem (*a*) alicubi dixi.

(*a*) Oecon. de la Creat. ch. 23. & 24.

13. Etſi quod jam dicam, in aliis quoque exercitiis locum habeat, quia tamen ratiocinatio

cinatio omnium maxime eſt errori obnoxia, non recuſanda ſunt auxilia aliunde quam a nobis venientia; quam ad rem maxime hîc uſui ſunt diffidentia noſtri, docilitas, neglectus propriæ gloriæ aut commoditatis, elevatio animi ad Deum, aliorumque conſultatio. Nempe contrariis de cauſis fere fit ut ſolidiſſima & momentoſiſſima quæque vel apud ingenioſiſſimos non admittantur, aut etiam ne audiantur quidem, quoniam pudet eos de ſe diffidere, aut de valore famæ, eruditionis partæ dubitare; multo magis e docentium cathedra ad diſcentium quaſi ſubſellia deſcendere; inſuperque ea amplecti & profiteri, ob quæ ab aliis & nominis fama & lucroſi officii proventu mulctarentur.

14. Nemo in ratiocinando ſibi pro ſcopo proponat, aliorum cogitata abſolute immutare: hoc enim impoſſibile eſt: ſiquidem mens aliorum libera ſemper ſit ad partes contrarias pertinaciter amplectendas, atque ita vindictæ ſpeciem quandam ſumendam ab illo, qui ſuperbæ aliorum mentis cogitationibus per ſuperbiam non minorem imperitare, eaſque ſibi ſubditas videre vellet. Scopus eſto, cogitata propria, ubi aliis utilia eſſe poſſunt, ſimpliciter & ſine fuco ſinceris mentibus proponere, pleniſſimam omnibus relinquendo libertatem ea vel amplectendi, vel dimittendi. Qua de cauſa multo minus cum malignis atque rixoſis adverſariis contentionis ſerra eſt reciprocanda. Hæc enim mentem & vitiant & laſſant eamque ab utiliori fruge revocant ad aſinorum, quibus veſci volunt,

carduos, non ſine punctis lacerisque manibus tractandos.

Circa methodum. 15. Omnia velle ad tractatus methodicos & ad artis formam reducere, non minus eſt abſurdum atque pædagogicum, quam manducandi, reſpirandi, gaudendi, ambulandi, ſpiritus animales in vaſa debita derivandi artes habere aut cudere velle. Sunt quæ natura duce vividius & facilius fiunt, quam inutili, operoſa, & nauſeabunda arte inculcari poſſint.

16. Rerum ſcriptis tractandarum optima atque utiliſſima methodus eſt, eorum quæ quis apud ſe ſibi attendens eſt expertus, ſimpliciſſima narratio, eaque e mentis diſpoſitione erga alios benevolâ, Deique opera ad illius honorem patefaciendi cupidâ proficiſcens.

Hæ ſunt ex præcipuis regulæ, quibus & minus æquo attenditur, & omnium maxime attendendum eſſet veluti Logicæ perneceſſariæ in philoſophando; etſi, ut dixi, ad altiora pleræque non minus valeant quam ad ea quibus nunc eas deſtinavimus. Primam atque alteram obſervabis facilè philoſophandi officium in genere reſpicere: 3, 4, 5, 6, 7, *ideas* concernere: 8, 9, 10, ad *judicia* referri: 11, 12, 13, 14, de *ratiocinatione* eſſe: 15, 16, ad *methodum* pertinere: quæ quatuor totidem ſunt partes in quas Logicam dividunt, quibus etiam ſingulis præcepta alia, ab aliis petenda, adjungere cuivis erit liberum.

39. *De Grammatica & Critica.* XII. Jam & de altero notitias acquirendi Organo, GRAMMATICA, verbum proferam eodem modo quo de cæteris. Et quidem

quidem primo notabitur, me per Grammaticam, quam veluti rerum noſcendarum inſtrumentum hîc, ut dixi, conſidero, intellectam velle non eam loquendi artem quæ verbis doceat uti quatenus eorum periodis ſonorumque menſura & numero prurientes auriculæ atque imaginatio demulceri poſſunt; ſed eam cujus adeptione e verbis aliorum, Eruditorum præſertim, eas de rebus ideas in nobis excitare poſſumus, quas ipſimet habuerunt dum ſcriberent: quod officium cum Critica ſibi etiam vendicet, ejus quoque obiter quoſdam defectus hîc, abuſus alibi, notabimus hoc in ſubjecto, non autem quatenus librorum exemplaria, auctores, tempora, hiſtoriam atque circumſtantias externas examinat.

Interpretationis leges nos hîc requirere nemo non videt; ſed quarum primarias quæ fundamenti vicem gerant apud Grammaticos apudque turgidiores Criticos fruſtra quæſiveris. In ſuperioribus, præſertim circa finem libri primi, nec non hinc & inde, ſine jactantia ſpondere auſim complures earum reperturum eſſe lectorem qui ſenſu pollet. Reſumam tamen ipſam rem ab ultimo omnium fundamento, a cujus omiſſione omnes interpretationis defectus, qui ubivis ingentes agnoſcuntur, promanaſſe videntur.

Grammaticæ atque Criticæ veriores leges, caſtigatis falſis.

1. Omnis boni interpretis, ſive ejus qui libri cujuſvis ſenſum e verbis concipere nititur, officium palmarium & principale eſt, ſeſe ſuamve mentem aut intellectum transformare, ut ſic dicam, in ſtatum formamve ſcri-

ptoris aut loquentis, cujus ſenſum per verba vult adipiſci. Neque hic audiendi ſunt ii qui ingerunt, nos in interpretando non de loquentis ſive ſcribentis mente, ſed de verbis ejus debere eſſe ſollicitos, ut nimirum eis, quamcumque demum mentem ſcriptor apud ſe intus hrabeat, jungamus eas ideas, quas homines ex uſu ordinario, veluti ex generali pacto, ejuſmodi verbis jungere ſolent. Hæc non minus fallunt quam ſplendent. Obtineant hæc apud rixoſos rabulas, aut in foro litigantium, ubi cum iniquis contendentibus res geritur: nos hic de rebus tranquille inter ſinceriores cognoſcendis agimus. Horum, ubi loquuntur ſeu ſcribunt, ſcopus omnium primus directiſſimuſque eſt, ut auditoris ſeu lectoris mentem menti ſuæ conformem reddant: deinde, ſecundariò, cogitant de verborum ad hunc ſcopum adminiculo: quod valde imperfectum atque incompletiſſimum eſt niſi quis, poſtquam verba audiit, eademque per communes & vulgares idiomatis leges generalius confuſiuſque interpretatus eſt, animadverſo, qui ſatis inde patet, ſcriptoris ſcopo atque mentis ſtatu, omni molimine ſeſe in eum veluti vertere conetur: quo pacto quæ antea ſuperficiaria prorſus & fere nulla erat interpretatio, intima fit & vera. Neque aliter mentem aliorum datur vere aſſequi: quod per ſe ita clarum eſſe puto, uti clarum eſt diſſimilia non eſſe ſimilia.

Ex fundamentali hac inſignique lege, pleraque quæ ſequuntur, veluti conſectaria fructuoſa pendent.

2. Omnem

2. Omnem Interpretem Scriptori ſuo, vel ei cujus verba audit, benevolum atque faventem eſſe debere. Cum enim vera interpretatio non ex ſolo verborum adminiculo, quo admodum imperfecte interpretis mentem inflectere poteſt ſcriptor; ſed ex concurſu libero atque activo interpretis, mentem ſuam ad mentem ſcriptoris omni activitate componere, eique concordem reddere conantis, reſultet; ſi hic iſtud requiſiti ex parte ſua afferre recuſet, ineptus interpres eſt. Hinc nullius malevoli aut irriſoris aliena ſenſa referentis narrationibus fides adhibenda eſt, niſi quis ex profeſſo decipi voluerit.

3. Libros omnes & vanos, & rixoſos, & impios atque profanos, veluti animorum peſtem eſſe fugiendos. Namque ſi quis eorum ſenſa exacte ſcire volet, is in ſcribentium horum & vel improborum vel inſanientium mentem ſeſe quantum poteſt transformare neceſſe habet: quod facere ſi nolit, eccur ea legat quæ conditione negata non capiet? Equidem ii qui prius veritatis lumine atque rectitudine imbuti ſunt, improborum ſenſa per id ipſum detegere ac percipere poſſunt, ſiquidem lumen & ſe & tenebras manifeſtet, ſitque rectum ſui & obliqui index: ſed & illi, ubi id aggrediuntur ſine prævia abundantiſſimaque in bono & vero confirmatione, neque ex officio injuncto, neque ex ſcopo ut tenebras diſpellant, alioſque vel ab iis deterreant, vel ex iis liberent, periculo non carent: quandoquidem profanorum & vanorum hominum verba vel invitis mentibus

ſemper

ſemper plus nimis vanæ improbæque formæ affricant. Quæ cauſa eſt quaré, quo majores quis in eruditione ſolida fecit progreſſus, eo magis ineptas futileſque ſciolorum vanorum, mundanorumque & omnium falſo aut ſuperficiarie eruditorum chartas lectione indignas cenſeat. Contrà, nullum certius eſt vani, falſati atque profani cerebri indicium, quam ſtudïum perreptandi, legendi & ſciendi omnia quæ a quibuſvis ubique fiunt vel ſcribillantur. Verbo, tuto judicare datur, talem unumquemque in animi fundo eſſe, quales ſunt libri, ad quos evolvendos pronus, quorumque lectioni potiſſimum deditus eſt.

4. Libros Spiritus Sancti motu & lumine ſcriptos per grammaticam & criticam interpretari & intelligere velle, impoſſibile eſt. Per ſe namque patet Grammaticam Criticamque non poſſe legentis mentem in mentem ſcribentis, hoc eſt, Spiritus Sancti transformare, eive lumen motuſque divinos imprimere. Non negem, grammatices & critices ope dari poſſe librorum divinorum interpretationem quoad dictionem & literas, qualis eſt cum ex uno idiomate in aliud vertuntur: ſed interpretatio ejuſmodi dictionaria ad vivam, ſpiritualem ſolidamque mentem Spiritus Sancti comparata, eadem plane eſt cum interpretatione cœci, qui ex grammatices, critices, pluriumque idiomatum peritiâ ſuæ linguæ ignaris, puta Græcis, Hebræis, Gallis, voces *lumen*, *album*, *colores*, *videre* & ſimiles, ſingulis per totidem voces

ces alias cuique vernaculas, interpretaretur, dum ipſe interim, ſi cum homine has ipſas res oculis & ſenſu percipiente compararetur, quantumcunque de iis garriret, neſciret tamen revera quid iſthæc verba vere & vivide ſignificarent.

5. Nullus liber divinus ab improbis aut irriſoribus, quacunque ſupellectile inſtructis, vere intelligi poteſt: ſtatus enim & diſpoſitio mentis eorum directe repugnat ſtatui mentis diviné ſcribentis; cum tamen ad interpretationem bene faciendam, huic conformem eſſe, ſit neceſſarium.

6. Igitur, Scripturarum ſanctarum interpretes veri non ſunt grammatici & critici dictionariſtæ; ſed ſoli ſancti, iive qui humiliter, ſincere, & ardenter Spiritui Sancto ſeſe transformandos offerunt. quippe qui ſolus omnipotens, id, quod omni creaturæ poſſibile non eſt, quodque omnem hominum capacitatem, activitatem artesque ſuperat, mentes puta divinas diviniſque ſenſibus conformes efformare, aptus eſt efficere. Hoc notatu dignum eſt, ſi forte miſerum quoddam criticorum genus vel ſanctiſſimis, quando aut peritia primarii idiomatis Scripturæ, aut trita ejus literæ lectione, aut critices lubricitate grammaticeſve pædagogica tumiditate deſtituuntur, proterve inſultare vellent, tanquam Scripturæ interpretibus peſſimis aut nullis, dum ipſimet interim ſyllabicis ſuis crepundiis referti, ipſas Spiritus Sancti operationes intimas rejicere atque irridere haud vererentur. Mirabantur olim grammatici Scribæ, ecqui

ecqui Diſcipuli Chriſti Scripturarum ſubſtantiam tenerent ſine grammatico criticoque ſuo apparatu atque ſtudio. Sed Paulus vice omnium dicebat: (a) *Quæ Dei ſunt nemo novit niſi Spiritus Dei: Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ a Deo donata ſunt nobis; quæ & loquimur, non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina Spiritûs, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes: animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt Spiritûs Dei*, &c. *Transformamur a claritate in claritatem a Domini Spiritu.*

(a) 1 Cor. 2: 11, &c. & 2 Cor. 3: 18.

7. Omnium ſcriptorum ſcopus verus præcipue eſt attendendus; atque ad eum & ſecundum eum omnis interpretatio facienda eſt.

8. Scriptores ſimplices atque ſolidi (divini præſertim) cum exactitudinem externam circa argumentorum, rerum, hiſtoriarumve, quas ad ſcopum moralem præcipuum ſtatuminandum afferunt, circumſtantias, de nominibus, locis, temporibus, non curaverint, nec præciſe obſervaverint, ad leges moroſæ critices minime ſunt examinandi. Itaque

9. Neutiquam errare judicandus eſt Scriptor, quamvis externa nonnulla minus exacte vera, ad ſcopum bonum, ad virtutes & officia debita hominibus commendanda, aſſumat; ſiquidem ad commendanda ea quæ per ſe laudabilia, vel etiam neceſſaria eſſe patet, ſed ad quæ capeſſenda ignavia & torpor hominum animos relaxavit, illa etiam inter alia optime adhiberi poſſint, quæ vel ſcri-

ſcriptori vera videantur, vel auditorum cogitatis aut præjudiciis ſint conformia. Ipſimet ſacri ſcriptores hoc aliquoties in uſu habent. Divinus ille Clemens in diviniſſima ſua ad Corinthios epiſtola ex narratione de Phœnice conſiderationem reſurrectionis laudat: alii alia. Haud recte igitur incedit Critica, quando eo fine ab ea ſanctorum Patrum ſimiliumque ſcripta diceres inſpici, ut iſtiuſmodi prætextibus eos Scriptores in ludibrium verteret. Non advertit iſtiuſmodi critica cœca ſanctiſſimas haſce animas, pro ſcopo nil aliud lectoribus ſuis auditoribusque inculcare, quam Dei æſtimationem, admirationem, amorem, venerationem, imitationem; hominis verò humilitatem, charitatem virtutesque omnes & officia omnia erga Deum, ſe proximosque. At vero limis detegitur, maleferiatæ hujusmodi critices opera, inter argumenta quibus divina iſta commendant Sancti, minuſcula quædam eſſe, quæ grammaticè & criticè non ita ſe habeant: & hinc quidem omnia, & ſanctos piosque ipſos ſcriptores, coram profana plebe aut falſis ſuperficiariisve eruditis, & rejiciunt & deridendos exponunt. quod quam abſurdum & profanum ſit, judicium penes mentes cordatas fuerit.

10. Si quis Auctorem aliquem ita interpretetur, ut in interpretatione fallatur quidem quoad literam, dictionem, grammaticam & criticam: ejus tamen interpretatio ad ſcopum auctoris redeat, eumque promoveat; is non pro inepto, ſed pro vero interprete non quidem dictionis & literæ, ſed rei & me-

medullæ eſſentiæque habendus eſt. Atque ita explodendæ ſunt irriſiones ineptæ illius Critices, quæ Auguſtinum v g. ſanctioresque Patres, haud verita eſt riſui profanorum exponere, & pro peſſimis Scripturarum interpretibus traducere, etſi hi veriſſime ad unum Scripturarum ſcopum, amorem Dei proximique cum horrore peccati & ſanctimoniæ adeptione, omnes ſuas interpretationes vivide referant, at per vias in quibus nonnulla reperire eſt ad grammaticam & criticam dolabram minus lævigata: dum interim iſtiuſmodi Critices de Scripturis interpretationes, Phariſaicam ſpeciem æmulantes, externe quidem exactæ ſunt, tornatæ, dealbatæ, reviſæ, ne quid in litera indecens oculos carnales & criticos offendat, ornatæ etiam phylacteriis & dictis Ovidii, Virgilii, Martialis & neſcio quot impiorum Ethnicorum, egregie ſcilicet Scripturas illuſtrantium: intus vero, ſepulcrorum inſtar, ſpiritu vitaque deſtituuntur, ſiccis oſſibus, omnique putredine, iniquitate, errore, hæreſi, venenoque exitiali perplenæ.

11. Critica non venditanda eſt ut neceſſaria interpreti ad ſcopum ſcriptoris aſſequendum, niſi quando ſcriptor ipſe ex profeſſo criticus eſt: id niſi ſit, interpretationis inſtrumentum a ſcopo diſcordat; atque adeo omnis interpretatio ſeu vitilitigatio critica, falſa eſt, & temeraria, imo & exitioſa ſi tunc ejus ex regulis de divinioribus judicandum eſſet. Quod utinam exemplis non eſſet infeliciter confirmatum noſtro hoc ſeculo, quando

quando eouſque profana Critica extenſa eſt, ut per eam quam plurima divinæ Scripturæ, Jobi, Pſalmorum, Proverbiorum, Eccleſiaſtæ, & Cantici Salomonis, multaque alia e θεοπνεύστοις Dei verbis rejicere haud vereantur: quod ipſum pari ratione vel ad omnem Scripturam, etiam Novi Teſtamenti, extendi poſſet, ſi fræna laxarentur impiæ Criticæ, quæ ſolidiora quæque & maxime fructuoſa antiquioris & ſanctioris Chriſtianiſmi, nec non ſaniorum Ethnicorum monumenta, e manibus & exiſtimatione omnium excutere conatur.

12. Critica per ſe omnium artium maxime eſt ſuperficiaria, ſterilis, periculoſa, &, quando extra ſphæram evagatur, ridicula. Eſt maxime *ſuperficiaria*: quod ſi enim rerum in rationis facultate depictas ideas oſtendimus eſſe ſuperficiarias, quanto magis ſuperficiaria dicenda eſt Critica, quæ non rerum ideas, ſed cortices, verba, aliaque externa; nec hæc quidem, ſed eorum minutias complectitur? Pari ratione cum idearum ſterilitatem vidimus, ipſis *ſteriliorem* eſſe criticam evincere datur. *Periculoſiſſima* quoque eſt, quandoquidem iis, qui pluſculum ei applicantur, diſpoſitiones ingenerare apta eſt, unde ſuperficiarii fiant, vani, ſuperbi, irriſores, impii, frigidi, moroſi, irritabiles, calumniatores, non niſi ineptias ſcholaſticas pædagogica vanitate crepantes & meditantes. Animus *ſuperficialibus* nimis impenſe deditus iiſdem conformis fit, ac interiora negligens, ſoliditate vacuus redditur & *vanus*; dum interim occupatus minutis cogita-

gitatiunculis inter homines rarius occurrentibus (quia haud multi hocce morbi genere laborant) omnibus ſeſe mortalibus præcellere *ſuperbe* ſomniat, cæterosque qui alibi quam inter imaginarios vitreoſque iſtiuſmodi theſauros divitias veras requirunt, *irridet*: & quoniam ſpeculationes ejus ſteriles mortuæ ſunt & *frigidæ*, hinc igneos (ſi quos habuit) pietatis motus deſueſcit, ſitque paulatim *impius* in Deum & in omnia divina; deinde & in homines, charitate rejecta, *moroſus*, atque *irritabilis* & *calumniator*, ſi contradicant; ſi vero audiant, imperioſus, *pædagogica* vanitate inſoleſcens, & ſyllabicas nugas frivolaſque ineptias veluti maximi momenti res magna cum gravitate inculcans, quales Galli vocabulo omnibus jam ſatis noto *des pedants*, ſuo idiomate appellant. Non aſſero tales eſſe omnes Criticæ rei ſtudioſos vel peritos: abſit! ſed demum eos, qui tum immodice ei deduntur, tum vero qui propenſionibus, quas immodica hæc applicatio imprimit, non reſtiterunt: quibus certe reſiſtere ſe debuiſſe, adeoque rem periculo maximo non caruiſſe, fatebuntur quotquot candidi inter eos ab iſtis nævis hoc in negotio ſunt præſervati: at non item minus ſinceri, & critico cucullo toti infruniti. Hi vero, ubi ita exorbitant ut deſumtam ex Scripturarum exterioribus verbis literam, eamque critico pulvere delibutam, proponant, demum veluti ſolidum Scripturarum ſenſum, animarumque cibum, adeo ridiculi ſunt, ut comparari debeant cum coriariis, qui detracta animalibus pelle, eaque cortici-

bus

bus arborum pulveratis macerata, artem ſuam veluti artem parandi ex animalibus cibos, coriaque ſua ut delicias altiles commendarent: aut cum nonnullo, qui in amœno & fructifero horto conſtitutus, neglectis fructibus & floribus paleas, ſpinas, feſtucas, & aranearum telas veluti theſaurum ſacrum colligeret: vel denique cum milite, qui in coloribus armaturæ, gladiorum vaginis, caudæ equinæ pilis ſingulis recenſendis totus verſaretur, idque pro militaris officii functione, victoriæque laudandæ materia reputaret. Sumus namque hîc veluti milites, quibus cum ignorantia, cum errore, cum vitiis pugnandum eſt: ad hoc autem tanquam medium e tenebris adjunctiſque earum eluctandi, affertur nobis a quibuſdam frigida & macra Critica. Quæ inſulſitas! De talibus crediderim Græcos olim adagio dixiſſe: *Exceptis Medicaſtris, nil Grammaticis eſſe ſtultius.* Nec minus abſurde agit vel ſubtiliſſima quæque ſua opinione Critica, quando induſtriâ ſuâ de lumine Dei aut inſpirationibus divinis, (quæ res immenſius omnem criticam excedunt quam bovem aquila volatu) tractare præſumit, atque judicare, qui libri vel auctores ſacri ſeſe inſpirationis vel luminis Dei reſpectu habeant. Tutius quemvis cœcum de coloribus & luce conſules & ſequeris, quam de iſtis quidem divinis rebus literales criticos, quorum extra ſphæram ſuam extravagantes conatus atque diſcurſus ita inepti ſunt, ut non poſſint non movere riſum aut commiſerationem iis, qui vel aliquantiſper ſolidiora & diviniora deliba-

delibarunt. Ab exemplis abſtinebo, ne ſe lædi conqueratur ullus.

13. Criticæ verus uſus atque fructus, non ab ipſa ſola, ſed a concurſu & efficacia ſcopi pendet. Accidere poteſt, ut Critices ope in Scripturæ v. g. hiſtoriis, circumſtantiis, verbis, novus ſenſus detegatur: hic ſenſus per ſe non magis nos juvat, nec meliores reddit, quam qui prius obtinebat; at ſcopo, hoc eſt, amori Dei intimo & ſpirituali adjunctus, egregiorum motuum atque fructuum in anima occaſio eſſe poteſt. Atque hic eſt verus & legitimus ſobriæ & ſanæ critices uſus, ut videlicet externa quædam detegat & illuſtret, ex quorum occaſione ad intima Deo amato tradenda, virtutibus ornenda, & a peccatis & vanitate vindicanda fiat regreſſus. Critica ſobria amori divino, vitæque ſpiritualis ſtudio ut marito copulata, bonos quandoque fructus ad Dei honorem eniti poteſt: aſt ab eo ſeparata, nil aliud facit quam meretricari, ſpurias cogitationes edere, animamque tandem peſſimæ tabis morbo miſere interficere.

14. Ubi de auctoris cujuſcunque ſenſu citra Criticam non conſtat, caute de eo decidendum eſt. Vix quod in nobis ipſis eſt, recte noſcimus: cor noſtrum fallax, tenebræ intus magnæ. Quanta ergo temeritas de aliis, præſertim ubi judicia ſunt de rebus alicujus momenti, judicare velle? Præſtat aliunde lucem omnia ſuo tempore manifeſtaturam exſpectare.

Atque hæc ſunt præcipua quæ citra rem gram-

grammatices & criticesesſent obſervanda, eæ ut ſaniores & utiliores eſſent, quæ tamen apud harum artium profeſſores vel negliguntur, vel prorſus ignorantur. Cætera, de textu aliquoties attente legendo, de idiomatis notitia, de circumſtantiarum loci, temporis, occaſionum ſcribendi obſervatione, de exemplarium collatione, aliorum aptorum interpretum conſultatione, analoga ſenſuum auctoris cum principiis ſuis conformitate, & ſimilia, abundantius quam modò dicta apud eoſdem reperies. Quanquam autem ex iſtis, quæ attuli, axiomatis, plura ad omnis generis libros atque auctores interpretandos referri poſſint, obſervabis tamen me plurimam partem ad ſcripta divina ſanctaque dixiſſe & retuliſſe, quoniam ſcripta cætera non ita cenſentur digna quæ exactius & laborioſius conſiderentur, ſaltem apud ſaniores. Cum de ſcriptis loquor, hoc & de verbis viva voce prolatis dictum velim, quantum id ſubjectum non recuſat. Cæterum aliquantulum hoc in articulo ſi fui prolixior, id neceſſitati, qua abuſus maximos præcaveri æquum eſt, præſertim vero ubi & ad ſacra & ad æterna extendi poſſunt, ab æquis rerum æſtimatoribus imputabitur.

XL. Super eſt ut, quia ſuperius Theologiæ ſuperficiariæ mentio facta eſt, paucis quid ea ſit indigitem. Atque ut oſtendam, quînam a falſa nec non a vera diſtincta ſit, de hujus natura & communicatione paucis dicendum eſt. Theologia vera primitus in hoc conſiſtebat, ut homo loqueretur cum Deo per oblationem facultatum ſuarum realium 40.

40. De Theologia, & in anteceſſum aliquid de vera & ſolida Theologia ejusque communicatione.

 & in-

& intimarum, deſiderii, intellectus & acquieſcentiæ; Deus verò cum homine per communicationem ſuæ virtutis, lucis, & pacis intimæ. Hoc in ſtatu, & ad perpetuam ejus continuationem, hoc eſt, ut æternus eſſet Theologus, conditus eſt homo; cui ad liberalitatis ſuæ magnificentiam teſtandam ſuperaddidit Deus facultates tum externas, reales, quibus homo operibus Dei frui poſſet; tum ſuperficiarias & picturarias intellectus activi ſivè rationis, ut homo imaginibus operum Dei efformandis & conſiderandis acceſſoria uteretur delectatione: Atque his omnibus facultatibus libertas præficiebatur, ut, quia virtutes ſeu perfectiones, lumina gaudiaque Dei, pariter & opera Dei externa infinita ſunt, adeoque etiam infinitæ ſunt icones, quæ de perfectionibus divinis, deque externis Dei operibus fieri poſſint, mens ad placitum & jucundiſſime ſeſe delectaret modo in his, modo in illis, ſic ut a nullis prohiberetur; omniaque ipſi ad lubitum paterent. Verum hac libertate abuſus homo, intimarum divinarumque ſuarum facultatum exercitium cum Deo, primo quidem intermiſit; deinde vero facultates externas rerum corporearum voluptatibus afficiendas tradidit; ſuperficiarias autem rationis, picturis rerum iſtarum externarum effigiandis, parandis, diſponendis dedidit, quibus etiam, omiſſo Deo, delectaretur. Huic hominis lapſui, (quo omnis boni ſcaturigine & effectis miſer æternùm deſtitutus fuiſſet, niſi inde relevaretur) opem ut ferret Deus, primo quidem cum ad intimas

mas ſuas facultates Deo ſuo, ut prius, tradendas revocavit, nempe ut amorem denuo redderet Deo cum corde, animo, intellectu cogitationibusque totis, quod magnum æternumque mandatum eſt omnia complectens, fonſque unus vitæ; deinde ut eum quoque ab externorum voluptate rationiſque ſuperficiariæ iconolatria revocaret, id executus eſt mandatis aliis nonnullis, quæ quidem ſimul & carni moleſta mentem a voluptatibus externarum facultatum continerent, & rationi obſcura, curioſitatem ejus frangerent; ut in lege Moſaica maxime patet, ubi vel mille mandatis ceremoniariis obediendum erat, ratiocinatione omni propulſa. Et hæc cauſa eſt cur Deus mandatis illis rationes ſuas non adjecit, nec explicationes addidit, ut nempe mens diſceret ſimpliciter ſineque activa ſui ipſius conſultatione ac ratiocinatione obedire, idque honoris Creatori exhiberet, quo ſubditi Reges ſuos, vel milites præfectos ſuos proſequuntur, quorum legibus & juſſis illico morem gerunt, non poſtulata imo nec deſiderata mandati ratione: quo ſane ſimplicis obedientiæ honore illi & ſuperioribus ſuis gratiores ſunt, & minus errandi periculo expoſiti, quam ſecus: id quod etiam hominibus cum Deo accidiſſet. Verum enimvero, hi priorem errorem maluerunt continue errare, facultates Deo debitas ab illo ceſſare; alias, externas, voluptatibus demulcere; rationem vero ideis atque ratiociniis de Deo, de attributis, decretis & mandatis ejus, deque explicationibus atque rationibus divi-

norum mandatorum perpingere: quas ideas non tantùm chimæris ſuis erroribuſque perniciosis miſcuerunt; ſed etiam putarunt eas obſequii cultusque divini vices ſupplere. Atque iſta omnia, etſi aliquoties monita, ſic in conſuetudinem abierant, ut ipſe Deus humanitate indutus accedere debuerit, mandata iſta ſua, de tradendis Deo amatorie facultatibus intimis, de externis, deque ſuperficiariis, ſive ratione & ſenſibus reprimendis, homines non modò vivo exemplo docturus, ſed & de omnibus, queis ipſis opus erat, iisdem proviſurus. Quapropter & vita & morte totus intimus Deo fuit Chriſtus; totus extimus abſtinentia voluptatum, pœniſque omnis generis; denique totus in ſimplicitate, ſine ullis ratiociniis, ſineque ſui ipſius conſultatione Deo obediens; ut homines eodem per ejus imitationem redirent. Ac ne hi vel crederent vel profiterentur ejusmodi vias, carni ingratas, perditionis eſſe vias, effectusque irati in ſe Dei, ſe præterea infirmos eſſe nimis quam ut per eas tranſire poſſint, ipſus per eas tranſiit qui Deo ſemper dilectus ad glorioſam vitam inde emerſit, quique in iis Dei benevolentiam veniamque peccatorum pro hominibus deprecatus, eam & meritus eſt & obtinuit pro ſui ſequacibus, quibus etiam ſeipſum ſuaque omnia donare velit merita; tum & omnipotentem impetravit & promiſit Spiritum, quo induerentur, & cujus auxilio omnia poſſent, cæteraque ſi quæ neceſſaria, ſcirent ac agerent quotquot confidenter facultates ſpiritales Deo, corporeas mortificationi abſtinentiæque, ſuper-

uperficiarias ſeu rationem cum ſuis phaleris ſimplici obſequio committere vellent. Atque hoc ipſum cum feciſſent Eccleſiæ primitivi homines, Spiritum promiſſum adepti, qui & vim ſančte agendi & ſupernum lumen de divinis rebus myſteriisque antea ſine ratiocinationibus creditis, & obſcurius vel nullatenus perceptis ſuppeditabat, iterum *veri Theologi*, qualis primum conditus fuerat homo, evadebant, qui a Spiritu Chriſti acti & docti, vitam quidem quoad facultates ſupernas vivebant (*a*) *in cœleſtibus, abſconditam cum Deo in Chriſto*; quoad externas & ſuperficiarias, (*b*) *ſpiritu carnis opera mortificabant*, & *ſapientiam carnalem*, *inimicam Deo reputabant*; dabant autem operam ut ad Theologiam eandem ſolidam; ſive theologicum ſtatum primævum, quotquot ex hominibus poſſent, adducerentur, eo modo iisque viis, quibus ipſi ad ejus adeptionem pervenerant: hoc eſt, hortabantur homines uti facultates intimas ſuas ad Dei amorem elevarent, externas crucifigerent, ſuperficiariaque ratiocinia contemnerent, quo ſpiritus Chriſti ipſis fieret ſapientia. Atque hæc eſt ſumma Theologiæ, omniumque eorum, quæ ſola Paulus animis hominum imprimere allaborabat, (*c*) puta *Charitatem* ſive amorem Dei, ſine quo cætera nulla ſunt; (*d*) *Chriſtum crucifixum*, quicum *vetus noſter homo crucifigeretur*, *corpusque peccati aboleretur*; tum & (*e*) *cogitationum ratiocinationumque deſtructionem* atque *intellectus captivitatem ſub obſequio Chriſti.*

(a) Coloſſ. 3:3.

(b) Rom. 8:5, &c.

(c) 1 Cor. 13:1, &c.

(d) ibid. c. 2:23. & Rom. 6:6.

(e) 2 Cor. 10:4, 5.

Cum autem præter eos qui iſthæc experti

erant, quique prædìti erant Spiritu Chriſti eos regente, illuminante, docente quid in Deo miſerante, quid in hominibus ægris, quomodo cum unoquoque agendum ut obſtacula in eis occulta viisque Dei oppoſita removeantur, nemo eſſet qui ſolidam hanc Theologiam propagare atque communicare poſſet vel auderet: cumque initio ſolidi hi Theologi auditores reperirent bene diſpoſitos, hoc eſt, deſiderio, ſinceritate & ſimplicitate inſignes, paratoſque qui ſe totos in Deum, in crucem, inque regimen ejus candide projicerent, tantos faciebant in illa propaganda progreſſus, ut ob nonnulla unius Petri verba, mox (*a*) ter, mox quinquies mille homines ad eorum ſodalitatem accederent. Non exigebat pia eorum ſimplicitas ratiocinationes ullaſve argumentatiunculas, non rhetorices lenocinia, non futilis critices præciſas moroſitates. Sola (*b*) lex *Domini immaculata*, *convertens animas*, *teſtimonium* unum *Domini fidele*, *ſapientiam præſtans parvulis*, *præceptum Domini lucidum illuminans oculos*, præceptum magnum, Amoris hominis interni ad Deum, crucifixionis & abnegationis hominis externi & ratiocinantis, ſimpliciſſimis verbis propoſitum, illos, deſideriis ad Spiritum Dei directis, ſic convertebat ut Spiritu, ſapientia, lumine Dei ſupremæ facultates implerentur, infimæ & activæ a voluptatibus & erroribus præſervarentur, nec non ſic cuſtodirentur, ut ad finem uſque poſſent perfecte conſervari.

(*a*) Act. 2:41. & cap. 4: 4

(*b*) Pſ. 19: 8, &c.

41. *De dege-*

XLI. Verum enimvero docentium & di-

diſcentium culpâ, mox degeneravit ſolida iſta Theologia in *ſuperficiariam*, atque etiam in falſam. Namque cum ſatanas per Ethnicos Chriſtianis inſultaret, tanquam hominibus idiotis & plebejis, omnis literaturæ politioris atque Philoſophiæ ignaris, (quô vafer genius ſimplicitatem Chriſti in ipſis corrumperet,) primo quidem aures dedêre tentatori, ſic ut humanæ literaturæ ſapientiæque oratoriæ darent operam, bono quidem animo, ut Ethnicos ſcilicet vel vincerent, vel ad ſilentium reducerent; at peſſimo eventu, non attendentes ad exemplum Pauli has artes fugientis, quoniam eis (*a*) *evacuaretur crux Chriſti*, hoc eſt, doctrina de crucifigenda ratiocinatione & voluptate hominis externi, quæ ſane etiam in titillatione aurium per artes Rhetoricas excitata hoſpitantur. Poſtmodum etiam eodem tentationis genere, oratoriis artibus Philoſophicas ſcientias addiderunt, neglecto iterum Pauli conſilio: (*b*) *Videte, ne quis vos ſeducat per philoſophiam & variam fallaciam, prout homines ſibi iſta tradunt; & per elementa mundana, quæ non ſunt ſecundum Chriſtum, in quo vere reperitur perfecta plenitudo divina, in quo etiam plenitudinem habetis.* Tandem duo hæcce mala tertiâ clade cumularunt, critica videlicet inani de litera, de corticibus, circumſtantiis atque quæſtionibus Scripturarum frivolis, ad amorem Dei proximique, nec non ad externi hominis crucifixionem non modo nil facientibus, ſed & illum quidem extinguentibus, hunc vero foventibus: qua in re itidem Pauli monito non

neratione Theologia ſolidæ in ſuperficiariam: & quanam hac ſit.

(*a*) 1 Cor. 1:17.

(*b*) Coloſſ. 2:8.

(a) 1 Tim. 1:4. obtemperarunt: (*a*) *Annuncia ne attendant fabulis* (ſic iſtas nominat quiſquilias,) *&* (exemplo rem indigitans,) *genealogiis interminatis, quæ quæſtiones magis exhibent quam ædificationem divinam in fide. Siquidem finis mandati ſit amor e corde puro, conſcientia bona, fideque ſincera: a quo ſcopo nonnulli declinantes converſi ſunt ad vaniloquia: & cum velint legis doctores eſſe, non tamen intelligunt quæ dicunt,* (ſubſtantiam ipſam rei) *nec de quibus maxime aſſeverant.* Cumque horum trium eæ ſint proprietates, Philoſophiæ quidem, ut ideas picturatas mortuasque de rebus excitet atque diſponat; Critices, ut etiam quiſquilias ridenda operoſaque exactitudine referat; Rhetorices vero, ut hæc apte ornateque coloret: hinc nata eſt *Theologia ſuperficiaria*, quæ in ſummo perfectionis ſuæ gradu, notitia eſt idealis rerum divinarum, Scripturarum, earumque circumſtantiarum, unà cum peritia omnia iſta ordinate & ornate referendi. Quiſquis ſine falſo admixto ideas claras habet atque diſtinctas, quantum fieri poteſt, omnium quæ ſunt in Dei natura, quæ ſunt a Deo facta, quæ ſunt in Scripturis deſcripta, quæ a ratione ex illis deduci poſſunt, quæ illis ornatius proponendis inſerviunt, is demum eatenus titulum *Theologi ſuperficiarii* meritus eſt, neque is, ſi tria quæ diximus mandata, de facultatibus internis Deo, de externis & ſuperficiariis morti dandis, neglexerit, alius revera eſt: in cujus ore verbum Dei deſinit eſſe verbum Dei, fitque verbum hominis vani, nil de verbo

Dei

Dei præter cortices mortuos habentis, invito vel improbante Deo, nec pro rato habente quicquid ejuſmodi ſuperficiarius effutiat: haud ſecus atque Rex aliquis, ſi legato ſuo regium verbum concrediḋiſſet, deinde hic deſerto Rege ad propria ſe conferret, regium verbum nec haberet amplius, nec poſſet ad alios deferre, etſi materialia Regis verba atque ſyllabas recitare poſſet; quod ſane caſſum per ſe foret, nec a Rege ratihabitum. Ita quoque non agnoſcit pro verbo ſuo Deus voces ac ſonos ſuperficiariorum, etſi materialiter eadem ſint quæ dixit Deus: verum approbatione, forma, ſcopo atque efficacia Spiritus ejus deſtituta, divina dici non poſſunt; atque adeo nulla ſunt cum ſuperficiariis declamatoribus ſuis.

42. Theologi ſuperficiarii & ſolidi, ut principiis ſic effectis diſpares.

XLII. Atque hi quidem in degenere Chriſtianiſmo mox ſe ſatis prodidere verbo ad bonum ſterili, dum ex Ethnicis infidelibuſque nullos ad verum Chriſti ſtatum convertebant; eos verò qui ſe Chriſtianos dicebant atque ejuſmodi frigidis delectabantur picturibus, nequaquam Spiritu Chriſti vivido imbuebant; ſed picturis ſuis frigidis atque ſterilibus de Deo, Chriſto, ſpiritualibuſque ideis, nec non prout ex hiſtoria Eccleſiaſtica videre eſt, fertilibus contentionibus ac diviſionibus beabant: ex quibus tamen merito excipias ſanctiores aliquot verioreſque Theologos, quorum plerique, his relictis, deſerta petebant, ibi ſolidiorem Theologiam in animis ſincerioribus propagaturi per Animæ ſanctimoniam, perque verba, quæ in ſim-

plicitate e virtute Spiritus Sancti lumineque divino proferebant, quemadmodum demonſtrant egregiæ Sanctorum Patrum Vitæ, atque vel unius ex illis Macarii Ægyptiaci admirabiles & divina prorſus ſapientia abundantes Homiliæ. Cumque ſuperficiarii viderent acquiſitarum ſuarum ratiocinatarum artium inutilitatem, atque interim adhuc bonæ voluntatis eſſent, ad alios hoſce, ſolida diſcendi gratiâ, ſeſe conferre cogebantur, eosdemque & e ſolitudinibus ſuis evocare, ſi quis nodus vindice dignus incideret, aut ſi cui pertinaci adverſario obviam ire neceſſarium eſſet, quod etiam hi opere magis quam verbo perficiebant, veluti is ipſe faciebat Macarius, qui argutiolis philoſophaſtri cujusdam hæretici reſurrectionem negantis reſpondere verbis quaſi impar, re fidem veritati præſtabat, mortuum e monumento palam ſurgere jubens. Ita quoque narrat (*a*) Sozomenus, tempore Concilii Niceni philoſophos nonnullos, unum præcipue loquendi & *diſputandi* dexteritate præ cæteris inſignem, Chriſtianis veritatibus per argutias ſuas inſultare voluiſſe: id quod cum non ferret ſenex quidam idiota, Chriſtum inter perſecutores antea profeſſus, congredi cum ipſo, irridentibus licet Theologis ſuperficiariis, cæteris autem trepidantibus, non recuſavit: tumque in nomine & virtute Chriſti Philoſopho intrepide injunxit, uti quæ ſimpliciſſime exponebat de Deo Creatore, Verbo ejus per quod omnia creavit, Spirituque Sancto omnia conſervante, deque Verbi incarnatione ad homines in viam reducen-

(*a*) Hiſt. Eccl. Lib. 1. c. 18.

ducendos, & de ultimo judicio, debite tantum audiret, neve de eis diſputare præſumeret; quippe quæ non ratione humana, ſed divina fide (hoc eſt, traditione facultatum, intellectus paſſivi præſertim, Deo illuminanti) percipiantur: at crederet modo. Id quod Philoſophus, divina vi perculſus, protinus & fecit, & interiora ſua a Domini virtute tacta profeſſus, ſuos ſodales ſe ut imitarentur, adhortabatur. Subjungit auctor, idem & Alexandro cuidam Epiſcopo, minus ſubtili, nec diſputatori admodum, accidiſſe, cum Philoſophi omnes per unum ex ſuis ſubtiliſſimum Chriſtianos ad certamen provocaſſent: ſiquidem is oblatum certamen acceptans, hiſce verbis ſolùm erga adverſarium uſus: *Philoſophe, in nomine* Jesu Christi *tibi injungo ut taceas*, eum cum ſociis ſuis ita ad mutum adſtrinxit ſilentium, ut omnes vim Dei in ore loquentis, ſimplicis, at ſolidi Theologi, cernerent & admirarentur. Plura ſimilia allegari poſſent, nunc temporis forte inutilia, vel etiam ab irriſoribus ridenda, tum ob defectum ejuſmodi ſolide Theodidactorum, tum quia deſunt qui audeant cum fide, hoc eſt, committendo deſiderium, intellectum acquieſcentiamque Deo, confidentiâ freti illum potenti luminoſaque vi ſua in ipſis infinities melius operaturum, quam poſſit vel omnium creaturarum ratiocinans & rhetoricans activitas omnis, quæ ne ſuperficiariam quidem Theologiam acquirere aut communicare valet.

XLIII. Namque etſi Theologia ſuperficiaria 43. Theolo-

gia ſuperficiaria etſi in rationis facultate reſideat, non tamen per illam ſolam acquiri poteſt.

ria in rationis humanæ facultate idearia reſideat, non tamen in ea adeſſe poſſet niſi ex origine altiori, & alio quam proprio auxilio eam haberet ratio: quod ſimiliter de omnibus, vel de præcipuis quæ in ratione ſunt aut eſſe poſſunt, verum eſſe, antea oſtenſum eſt. Iſta vero adminicula, non in ſolis Scripturis, aut in alicujus, etſi Solide eruditi, viva voce conſiſtere poſſunt; ſed requiritur aliquid divinius, nimirum vel Deus ſolidaque Theologia quæ præceſſerit, vel idem Deus cum & in bona voluntate diſcentis operans. Non quod Dei vel Theologiæ ſolidæ operatio in ſuperficiariam iſtam terminetur; ſed quod qui ſolidam per operantem Deum perque ſuam illi traditionem habuit, is ſi facultates ſupremas a Dei lumine & amore declinet, ſoliditate & realitate tunc privetur, remanente tamen pictura vel idea umbratili earum quas poſſidebat vel experiebatur rerum divinarum: vel etiam inde, quod cum ſuperficiariæ addiſcendæ activitate rationis incumberet diſcipulus, idque bono ſcopo, boniſque deſideriis ageret, Deus precum & bonæ voluntatis fautor, luminibus gratiiſque nonnullis ſolidis eum affecerit, a quibus poſtmodum ille deſciſcens, imagines tantum ſuperficiarias inde retineat. Alioqui hiſce ſine adminiculis bonis, quamvis vel Angelus Theologiam ſuperficiariam, idealiter veram, aliis vellet inſtillare, non magis tamen id ſine aliquo in diſcentibus divino lumine benevoloque animo efficere poſſet, quam vel excitare, non dico ideas colorum vivas in ſenſibus,

ſibus, ſed ideas colorum in ſola imaginatione eorum qui nunquam viderunt; vel non magis quam alteri vultum alicujus, quem nunquam viderit, ita verbis exprimere, ut inde ejus ideam ſibi in imaginatione æque bene repræſentare poſſit ac ſi oculis ſuis eum vidiſſet. Quod nemo non impoſſibile eſſe agnoſcet: idque etiam demonſtrat experientia in illis qui Scripturis divinis humana activitate incumbunt, quorum fere unuſquiſque in diverſas ab aliis partes tandem ſecedit. Et quemadmodum, ſi quis cœcus, v. gr. audiviſſet aut etiam memoriæ impreſſiſſet omnia quæ Phyſicus aliquis, vel Carteſius in Phyſica & Dioptrica de lumine coloribuſque explicuit, poſſet quidem illa recitare, forte etiam unum atque alterum de his ratiocinium ſatis rectum ex ſuo addere, id alios docere, ſibique forſitan aliquid in imaginatione depingere, & tamen revera neſciret quid diceret, ejuſque imaginata certo eſſent falſa: ita qui nunquam bene diſpoſito animo (quo aperitur mentis oculus) Deum in intimis operantem (cujus operatio lumen eſt) reſpexit, is etſi omnia quæ ſanctiſſimi quique de divinis rebus dixere aut ſcripſere, memoria teneat, ſibi de his activitate intellectûs ideas efformet, ratiocinetur, recitet, doceat; neſcit tamen revera quid dicat, falſa imaginatur, meroque caſu accidit, ut quædam haud abſurda ratiocinio exprimat, etſi ſibi aliiſque magnus ſoliduſque habeatur Theologus, qui tamen certò ne quidem ſuperficiarius adhuc eſt, quamvis hoc ſi eſſet, nullus eſſet, teſte Pau-

 lo;

lo; ſtultus eſſet, teſte Chriſto comparante eum qui verba ſua audiverit ſeu perceperit, nec tamen in praxin reduxerit, cum homine inſano, qui in ſuperficie arenoſa domum, ingenti ruina dilapſuram conſtruxiſſet.

44. *De reductione ſuperficiariorum ad ſolida.*

XLIV. Cæterum ne quis juſtam querendi anſam, etſi præciſam, pertinacius captet, ex præcedentibns conſtare arbitror, quæ ea in ſuperficiariis hiſce cum philoſophicis tum theologicis diſciplinis continentur, poſſint veluti poſtliminio vel accommodative pro hominum infirmitate ad uſum bonum transferri: quamvis pro eo qui via omnium rectiſſima ad ſolida tendere velit, his dimiſſis, eo modo qui in priori libro deſcriptus eſt, progredi tutius fuerit.

45. *Non ſine cauſſa pluribus hic de iſtis non agi.*

XLV. Hactenus ad Eruditionis ſuperficiariæ naturam, dignitatem, proprietatesque exponendas, de ratione, ideis, ratiociniis, ſcientiiſque in genere ea diximus, quæ ad illud quod ſuſcepi propoſitum, ſufficere videntur. Et quamvis ea methodi ſeveritate, qua cum de Eruditione ſolida principio agerem, uti conatus ſum, rem totam hic non exegi; crediderim tamen, ſubſtantiam eorum quæ eruditionis ſuperficiariæ acquiſitionem, poſſeſſionem & communicationem concernunt, me hinc inde ex occaſionibus natis ſic propoſuiſſe, ut nihil quod præcipuum ſit, intactum eſſe arbitrer, etſi non in partes ſuas expanſum: eſſet enim res invidiæ plena, eorum quæ maximi fere apud omnes æſtimantur, tenuitatem ac fere nullitatem pluribus exponere. Namque etſi ſuperficiarii, ſi qui ſint, eruditi,

eruditi, in poſſeſſione eruditionis ſuæ ſint quietiores, modeſtiores, virtutibus ornatiores, magis cæteris hominibus ſeſe accommodantes, cenſuræque patientiores, quam ſoleant eſſe falſi; neque etiam admodum curent vi aut artibus pravis ſua communicare, aut etiam tueri: quoniam tamen ſic ſe plerumque gerebant, quando cum Sophiſtis certamen erat, vel cum a nugacibus arbitrabantur ſe impeti, quid iidem eſſent facturi cum a veritate ſolida ſeſe crederent impugnari, (rectius ſanari dicendum foret;) haud adeo tutum eſſet experiri: quandoquidem amor proprius, qui gaudet & lætatur cum ab iis impugnatur qui ineptis telis contra eum pugnantes victoriæ anſam ſubminiſtrant, ſi videret de ſua turpitudine deque ſuo occaſu ſerio agi, non poſſet non furore percelli, etſi occultius. Sunt namque virtutes ſuperficiariorum, quies, pax, modeſtia, æquitas, lenitas, prorſus, ut eruditio eorundem, ſuperficiariæ, quæ oblatione veritatis ſolidæ concuti facile poſſunt; eorumque affectus ſubtiliores cum ſint, ſunt etiam, cum excitantur, pernicioſiores, rationis, virtutis veritatiſque ſpeciem mentientes, dum odio tacito & veluti ridendo, veritates ſolidas ludunt, contemnunt, dedignantur, atque ab iis, tanquam a rebus nullis, moderatiori modo avocant, quotquot timent ne ſe relictis ad ſolidiora adſpirent. Sunt namque ex amore proprio, (cujus motibus non adverſantur,) & diſcipulorum ſuis conceptibus mancipandorum cupidi, & ex tumiditate, qua ſe inflari ſinunt, quibuſvis aliis veritati

tati

rati ſolidæ magis inimici, minusque falſis eruditis apti, qui ad eam ex amimo convertantur. Sed quid brevitati meæ excuſationem quæram in ratiſſimo ſuperficiariæ eruditionis crimine, cujus ſi ſe reos per me declarari timerent multi, rogo, ex initio ſequentis libri credere id dediſcant; ſimulque habeant rationem cur paucis de eruditionis ſuperficiariæ poſſeſſione & communicatione hic egi, eam eſſe quam illic pronunciaturus propero, ſubjecturus quæ de Eruditione falſa ſuſcepi dicenda.

Eccleſ. VIII. 17.

Intellexi, quod omnium operum Dei nullam poſſit homo (propria induſtria) *invenire rationem eorum quæ fiunt ſub ſole: & quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniet: Etiamſi dixerit ſapiens* (ſive Philoſophus) *ſe noſſe, non poterit* (tamen) *reperire.*

EP-

LIBER TERTIUS,

qui eſt

DE

ERUDITIONE

FALSA.

I. INter res humanas nonnullæ ita ſunt comparatæ, ut quando acquiſitæ ſunt, ſtatum fixum non habeant; ſed illico mutationem patiantur, eamque vel in melius, vel etiam in deterius. Hujuſmodi Eruditionem Superficiariam eſſe agnoſcimus: quippe quæ acquiſita, non patitur ſe in ſtatu ſuo mere ſuperficiario poſſideri, (quæ cauſſa eſt cur de poſſeſſionis ejus ſtatu multa non dixerimus;) ſed ab eo vel in falſam tranſit, vel ad veram enititur & pervenit. Etenim, vel mens in ſuperficiaria illa eruditione non ſubſiſtet, ſed ex idealibus notitiis ad Originale Summum elevabitur, ab illo & ejus & creaturarum ſuarum nobis neceſſariarum ſolidam communicationem petitura illis modis viiſque, de quibus in libro primo egimus; atque ſic ad veram ſolidamque Eruditionem itura eſt: aut vero in eadem Superficiaria terminabitur, omittetque id ipſum quod jam faciendum dixi. Et hoc in caſu primum tenebris, dein erroribus, tandemque inſania percellitur

1. Ab eruditione ſuperficiaria in veram vel in falſam neceſſario tranſitum fieri.

tur

tur ita mens, ut ejus omnis eruditio præcedanea prorſus falſetur: etſi quam deinceps acquirit, eam falſam eſſe omnino neceſſe eſt: deſtituitur ſiquidem ſolido fundamento, omniumque rerum radice & nutriente ſucco, Deo nempe, ejuſque vitalibus effluviis. Quapropter omnino emarceſcat oportet. Quemadmodum namque ſi quis iconibus pingendis ita totus dederetur, ut rebus omnibus renunciaret, is eo pacto vitæ, calori, luci etiam ſic valediceret, ut quamvis penicillum pictorium pertinacius aliquamdiu motitaret adhuc, inconcinnæ tamen & abſurdæ ejus motitationes eſſent, queis non elegantes imagines, ſed chimæræ, aut incompoſiti convulſique ductus repræſentarentur: ita etiam quæ rerum ideis in ſe excitandis incumberet mens ab origine omnis realitatis rivuliſque ejus abſtinens, ea non poſſet non (cibo quippe ſolido vitalique calore & lumine deſtituta) ſic languida & impotens fieri, ut omnia ejus excitandi ſibi ideas conamina nil aliud eſſent quam inconcinnorum figmentorum molimina, tametſi caſu inter hæc etiam nonnihil realitatis cujuſdam parvulæ repræſentativum occurrere poſſet.

2. *Neglecto vero ſcopo, omnem eruditionem fieri falſam, neceſſe eſt.*

II. Quemadmodum obliquitatis & mendacii plura ſunt genera, pluraque ad ea media, quam rectitudinis & veritatis; ſic etiam Eruditionis falſæ plures ſunt ſpecies pluresque viæ quam Eruditionis ſolidæ. Has etſi ſingulatim omnes recenſere & explicare nec facile ſit, neque etiam utile, de eis tamen

men quædam tangemus, ubi prius aliquid de noſtro argumento dixerimus generalius.

Eruditio omnis cum ſit præparatio ſubjecti rudis ad ſcopum ſuum, ea quæ falſa eſt, ſi nomen ſaltem eruditionis aliquatenus mereatur, ſcopum habeat oportet ad quem ſubjectum ſuum diſponat vel diſponere tentet. Quando autem re ipſa falſa eſt, ergo aut ſcopum non ferit, aut ſcopus ipſe falſus eſt, vel alia quædam ſolida & ei neceſſaria deſiderantur: de his ultimis in poſterum diſquiremus: nunc de ſcopo.

Scopus hominis, a Deo ei conſtitutus & aſſignatus, eſt beata æternitas, ſive ipſemet Deus æternus, ſummus ac felix, aut æterna & felix cum Deo communicatio, cui per traditionem rudium noſtrarum facultatum, rerumque pro divino placito uſum, hocce vitæ brevis tempore præparanda mens eſt: id quod per Eruditionem ſolidam fieri, libro primo potuimus cernere. Sed & dantur (quod dolendum eſt) alii plures hominis ſcopi, non a Deo quidem propoſiti, ſed ab ipſo homine, qui factori perfectorique ſuo terga obvertens, ſibi ex ingenii libidine ſcopos viasque proprias efformat queis totam impendat vitam. Tales Dei deſertores propriorumque ſcoporum fabricatores, ubi Deum tanquam ſcopum ex anima ejecerunt eique facultates negarunt ſupremas, patet non poſſe non deſtitui divino lumine, atque ignorantia tenebriſque erga Deum ergaque ea quæ ab illo ſunt percelli. Patet & eoſdem, ubi ſe ipſos tan-

tanquam ſui ſcopos in Dei locum ſurrogarunt, non poſſe quoque non propriis fictiſque luminibus, hoc eſt, figmentis chimæriſque variis, aliquam lucis ſpeciem varie mentientibus, abundare: quod quidem pro multiplici animorum diſpoſitione diverſi diverſis exequuntur modis.

3. *Diverſi, generaliteſque quidam modi, quibus id fit, indicantur.*

III. Etenim nonnulli ſic ſe ipſos pro ſcopo habent, ut delectationem & voluptatem ſuam quærant in admiratione & contemplatione activitatis & induſtriæ proprii ingenii ſui ſuarumque inventionum, (quod coram Deo inter omnia crimina caput eſt, & abominatio maxima;) & iſti huic ſcopo media convenientia adhibentes, atque ut plurimum ſibi ſolis agentes, inventionibus propriis (eis ſæpe ſpretis quæ aliorum, etiam erudite ſolidorum ſunt,) toti deduntur. Alii dum pro ſcopo animi voluptatem ſuique admirationem habent, eam conquirunt quæ ipſis accedat ab hominibus, idque vel a plebecula & multitudine, quales animi ut plurimum ſacris Theologiciſque ſtudiis, linguis etiam peregrinis addiſcendis & polymathiæ inutili ſeſe applicant: in quibus dent operam oportet ne a vulgaris plebique uſu trito gratis recedant; ſed ut recepta placita, & ſuæ quiſque ſectæ proprias opinationes mordicus teneant atque propugent; ſi vero a Magnatibus etiam æſtimationem famamque exſpectant, tunc ſcopi hujus gratia fit, ut ediſcant mores, hiſtorias, jura aut artes quibus magnatum commodis vel deliciis inſerviendo, eorum favorem demereantur, & quibus vel pompoſa

poſa ædificia, vel ſpectacula jucundaque exercitia, vel rara acquiſita, ve exitioſa belligerandi media, & cætera ejusmodi, perficiantur. Nonnulli ut commoda opesque ſibi ipſis, (dum etiam ſuus ſibimet ipſis ſcopus ſunt,) accumulent; quibus acquiſitis vel ſolo divitiarum ſpectaculo (quæ avarorum eſt inſania) ſe delectent, vel earum opera, ſi non omnia, ſaltem plurima quæ ad voluptates terreſtriores & animales faciunt, comparent; vel etiam potentiam (opibus enim omnia cedunt) auctoritatemque in alios exerceant, eiſve habeantur commendabiles, ſeſe quoque vel omnibus eiſdem, quæ jamdiximus, ſtudiis atque artibus ſacrorum & jurium, morum & mathematum; vel etiam aliis philoſophantium medicorum puta, literatorum, & ſi quæ hujusmodi plura, addicunt præcipue.

IV. Hic, ne calumniæ locus relinquatur, ea quæ initio partis proxime præcedentis declaravi, iterum ingeminare cogor; a me videlicet nequaquam hic intelligi eos qui ex bono ſcopo boniſque viis ejuſmodi ſtudiis navant operam: adeo ut nullus, qui bene actorum ſibi conſcius eſt, credere ſe debeat a me hic tangi. Sed ſic rem ſe habere velim credant omnes; me in theſi exponere quid omnibus omnino, nullo excepto, accideret, ſi ſcopo vero oblivioni tradito, ſeſe ſtudiis quibuſvis applicarent; aut etiam quid de facto eis acciderit quos in genere, nullius perſonâ deſignatâ, agnoſcunt omnes omni tempore, hocce etiam noſtro, repertos eſſe plus

4. Monitum ad cavillationum, nec non & deceptionum cautionem.

plus nimis, qui quavis in arte & ſcientia indebite ſeſe erudire conati ſunt, non ex Dei proximorumve juſta dilectione: ſed ex voluptatum, famæ, opum potentiæque proprio amore. Quo poſito, omnes quibus ſe imbuere potuerunt, ſcientias & artes, ſacras atque profanas, neceſſum eſt falſas fieri. Non quod per eas ad ſcopos illos ſuos adduci non poſſint: ad hoc enim valent plurimum, tametſi interdum & hic fallant, nec attingantur ſcopi. Sed quod iſtiuſmodi ſcopi (atque ideo etiam eorum media viæque) non ſint res ſtabiles & ſolidæ, verum evanidæ atque fallaces, a quibus ſæpe in vita, in morte ſemper deciditur.

5. Falſi ſcopi Eruditionem fruſtraneam eſſe, generalibus quibuſdam documentis declaratur.

V. Et tunc quidem deprehendendum erit ejuſmodi erudito, quàm falſus ſit ipſe, & quàm ſit falſa ejus eruditio, quando videbit ſibi, cum Dei deſertoribus, qui fonte vivificantis aquæ relicto venenatis e lacubus aquas haurire maluerunt, pereundum eſſe: tametſi nec ſemper eouſque ſit exſpectandum ut falſæ eruditionis documenta appareant, quæ & dum vivitur ſatis ſeſe produnt; ſiquidem ea mens tota ſit & tenebris & erroribus horumque annexis penetrata, eorum quæ ſolida ſunt prorſus ignara, interimque cognitiunculis quarundam feſtucarum atque vanarum minutiarum cum incredibilis arrogantiæ gibbo tumida: aut ſi de ſolidioribus diviniſve utcunque ſit ſollicita, in eis pertinaci errore placita amplectatur figmenta amori proprio demulcendo apta, eaque cum furore & vitioſis affectibus, nec non cum

odio

odio & perſecutione ſolide eruditorum, propriique animi ſui anxietate & conturbatione propugnet.

6. Eruditionis falſæ cauſæ aliæ quatuor, de quibus ſpeciatim in ſequentibus.

VI. Hiſce omnibus, quæ ex neglectione veri ſcopi falſique ſubſtitutione, eruditioni falſæ generandæ atque corroborandæ inſerviunt, accedunt & alia, ad eandem formandam & ſtatuminandam non minus facientia: qualia ſunt, 1. ipſe modus animos teneros ab ineunte ætate erudiendi: 2. materiarum ſeu documentorum quibus imbuuntur falſitas: 3. Magiſtrorum conditiones: 4. inſtrumenti denique ſui, ſive rationis, corruptio. Quæ, ut eruditionis falſæ aliqualem ideam habeamus, reſumemus paucis ſingula, ab ultimis retrogradatim incipientes.

7. Rationem, (unam ex his cauſſis,) corruptam ut eſt deſerto Deo, ſervitute inſuper affectuum & præjudiciorum oppreſſam, non poſſe non parere eruditionem falſam.

VII. Ratio humana, eruditionis, de qua agimus, acquirendæ inſtrumentum, quia & corruptiſſima eſt & cœciſſima, milleque catenis præjudiciorum tum a ſe ipſa, tum ab aliorum auctoritate venientium capta, mille etiam affectuum jugis veluti ſervitute quadam oppreſſa, non poteſt non parere falſam eruditionem. Tametſi enim eruditi nonnulli rationem ſuam ab affectuum & ab auctoritatis alienæ vinculis, nec non a propriorum præjudiciorum jugo in libertatem aſſerere enitantur; id tamen fruſtra erit & in caſſum ibit, quamdiu a Deo & ab ejus per facultates ſupremas amplexatione receſſuri ſunt. Solus erga Deum amatorius affectus nos a pravis affectibus liberare poteſt: ſolo Dei lumine conſtare poteſt, cui auctoritati (incipientibus enim auctoritas quædam neceſſaria eſt,)

eſt,) nuncius ſit mittendus: neque etiam tirones præjudicia ſua ex ſe poſſunt deponere, quin eo ipſo tum nova, atque depoſitis pejora, aſſumant; tum e veteribus præjudiciis quam plurima, ipſis occulta, latenter & perniciose retineant, ut ut Carteſius cum quibuſdam ex ſuis opinetur, errorem, quem detegere humanæ induſtriæ impoſſibile fuerit, nocere non poſſe, eo nempe quod non percipiatur: tametſi revera eo erit nocentior, quo occultior, & quo minus ab ullo, præterquam a ſolo Dei lumine, detegendus.

8. Præjudicia quædam de ratione, quæ quo magis ſunt occulta, eo ſunt nocentiora, recenſentur.

His omnes fere doctos præditos eſſe, oſtenditur.

VIII. Ejuſmodi autem præjudicia latentia, quæ vel a maximis dubitatoribus retinentur, & a ſola Dei luce clare ut erronea deteguntur, hæc ſunt & ſimilia. Rationis activitatem depravatam non eſſe: poſſe eam ſibi ipſi ſuppetias ferre: poſſe labore ſuo detegere veritatem, & ſe ipſa bene uti: judicare item bene de lumine, de claritate, de bonitate aliiſque rerum affectionibus: excitare ſibi ideas rerum, eaſque cum conſequentiis bene diſponere: Ideas non eſſe (quod revera ſunt) ſteriles, mortuas, inefficaces, obſcuras, & quæ ejuſmodi in ideis itemque in ratiociniis ſuperiori libro notavimus: Lumen rationis non ex Deo in ſuperioribus facultatibus lucente, ad rationem reflecti & accedere debere: eum (ſiquidem ejus auxilio opus ſe habere cogitent,) non debere tamen negare adjutorium hominibus tum curioſulis, qui ex mera libidine ſe ipſos admirandi, amandi, voluptatibus ſuis proſpiciendi, rationem peccaminoſam mille pha-

phaleris honorare vel onerare contendunt; tum Dei amandi, ſerviendi, laudandi oblivioſis, adeoque ingratis & impœnitentibus: non debere itaque Deum eos qui tales ſunt tenebris & inſania potius percutere, quam aliquali lumine perfundere. Hæc & ſimilia perniencioſiſſima præjudicia in animis eruditorum primitus & medullitus latere, etſi prius non animadverſa, quis eſt ex omnibus ſibi attendentibus qui non fateatur? Aliter ſi foret, ſique abeſſent a nobis hæ præjudiciorum exitialium peſtes, philoſophari certe inciperemus a pœnitentia & revocatione intima noſtrarum ingratitudinum in Auctorem noſtrum benefactoremque perpetuum a deprecatione pœnarum ac tenebrarum juſte nobis debitarum & adhærentium, a laudibus immenſis amoreque obſequioſo & tenerrimo Majeſtatis ut Maximæ ita Optimæ, quæ rebellibus aditum ad bona ſua gratioſum hactenus non interclusit; tum quoque a contemtu ægræ potentiæ & activitatis rationis noſtræ, & a ſubmiſſis petitionibus ut Deus ſeperiora quidem noſtra potiſſimum reformaret, ſibique tota vendicaret; rationi autem cæteriſque externis facultatibus tantum auxilii interim præſtaret, quantum ſapientiæ ſuæ notum eſt id conducturum ad diſponenda atque debite uſurpanda externa & evanida pro intimorum & æternùm duraturorum adeptione & promotione. At vero inter eos qui eruditionem quærunt, quotuſquiſque eſt qui hac via ſolide oſtendat ſe dicta præjudicia vere depoſuiſſe? quis, cum ſe per dubitationem de

omnibus præpararet, in cenſum dixerit adduxiſſe etiam dubitationem de rationis ſuæ rectitudine, ſufficientia, potentia, quæ ſane ſatis dubiæ eſſe debent ex debitis Dei judiciis in peccatores curioſos, impotentes, ingratos, confuſos, qui non incipiunt ab illo a quo omnia ſunt: nec ſe ſuaque omnia ad illum referunt atque terminant, ad quem tamen omnia ſpectant & remeare debent?

Rara avis in terris nigroque ſimillima cygno.

Quæ cum ita ſint, non aliter fieri poteſt quin eruditio tantorum & tam culpandorum præjudiciorum affectuumque ſervituti ſuperexſtructa, ſit omnino falſa, quin etiam in dies evadat falſior & portentoſior quo magis temeraria ratio ſcopum ſummum realemque deſerens, activitate limitata, debili, ægra, luxata, ideiſque umbratilibus, imperfectiſſimis & fere nullis innixa, ædificium ſuum elevare conabitur: quod non tantum, ut ut ſplendidum appareat, confuſum & Babylonicum fiet; ſed & tandem eò pro operis coronide deducet illos qui ipſi miſeræ toti innituntur, ut ex alto opinione ſua ædificio, in atheiſmi barathrum ferantur præcipites. Cum enim ea mentis & facultatum noſtrarum ſit indoles, ut ſola objecta agnoſcant cum quibus ſeſe exercent, cætera vero pro nullis habeant & ignorent; hinc eſt quod mens, ſi facultates ſupremas non exerceat cum rebus ipſis divinis ipſoque Deo; ſed ſolam rationem (quæ ex inferioribus eſt) cum umbris tantum idealibus Dei divinorumque excolat; neceſſario ſane eo lapſura eſt, ut &

Deum

Deum ipſum ſit neſcitura, & ideæ Dei umbratili obſcuræque multa ex corruptione & tenebris ſuis admiſcens, ejuſmodi portentum ideale inde cudat, unde negatura ſit exſiſtere poſſe aliquid ei ſimile; quod hac aliiſque de cauſis, diverſimode pluribus accidiſſe, oſtendi ex profeſſo (a) ubi atheiſmi genera novem, in quæ multifariam eruditi aliique incidunt, e rationis nimiò exercitio vel amplexu prodire demonſtravi, & Rationis excuſatiunculas palliativas, quibus lethalem ſuum morbum diſſimulare, coloremque validæ ſanitatis ſibi ſuperinungere satagit, ibidem diſſipatas exhibui; quapropter hîc de argumento iſthoc plura addere ſupervacaneum foret.

(a) Cogit. Ration. in Diſſert. prælimi- nari.

9. *A magiſtris pædagogiſque iniquius adhibitis, ineptis, & quibus plus æquo creditur, eruditionem falſam non poſſe non prodire.*

IX. Accedo ad Magiſtros, quatenus inſtitutione ſua falſæ eruditionis cauſa vel promotores eſſe poſſunt. Hi cum vel viva voce doceant, (qui e viventiúm numero ſunt,) vel libris ac ſcriptis mutis, (quæ & poſt mortem auctorum ſuperſunt;) de utriſque nonnihil dicendum eſt ſpecialius. Sed ne omnis malæ eruditionis culpa in eos ſolos refundatur, agnoſcendum utique eſt, (id quod verius,) ante omnes alios hic primò in cura liberorum peccari ab ipſorum parentibus: non modo quando ex nullo ſcopo divino agunt, neque ut creaturas generent, quæ Deum æterno amore, honore, obſequio, laudeque proſequantur, meræ potius libidini carnis propriæque voluptatis prurigini inhiantes; ſed etiam quando, ubi jam nati ſunt, animæ eorum curam ſeriam plane deſerunt, non magis de prole

ſua ſolliciti, quam de fœtu agreſtiori ſtupidiores feræ. Ipſi quippe prædis conquirendis, rapiendis nummis, vel aliis voluptatibus toti intenti & dediti, liberorum interim animos formandos quo ſecurius negligant, totam eam curam in alios devolvunt, Ethnicos, qui nulla difficultate & ſine ſcrupulo natorum corpora exponebant, eo magis aſtorgia vincentes, quo animæ infinitis paraſangis corpora antecellunt. At negotiis ſcilicet gravioribus & majoris momenti vacare tenentur parentes.quaſi vero negotia momentoſiora dari poſſint, quam natos proprios æternitati beatæ vel miſeræ præparare! Huic ſupinæ negligentiæ cum providentia divina utique favere non poſſit, hinc fit ut infelices iſtiuſmodi erudiendorum liberorum animulæ in pædagogos incidant vel impios, vel ineptos, qui malis parentum exemplis domeſticis, exempla propria pejora, peſſimaque præcepta ſuperaddentes, perniciosæ eruditionis fundamentis, nunquam poſtea delendis, recentes diſcipulos ſibi commiſſos imbuunt. Neque aliter fieri poteſt, ubi pædagogi iſti tum pietate & ſapientia vera deſtituti, tum frigidis ac inanibus variarum notionum farraginibus referti ſunt, cumque præterea ex rei ſuæ vel anguſtia vel amore, nil aliud in inſtituendo præter lucelli mercedem aucupantur, & ſimul parentum juventutis ſibi commiſſæ, ad commoda item ſua promovenda, favorem: quem quidem mirifice ſibi demereri videntur, ſiquidem lepidarum ſuarum mentium formam

mam deformem in diſcipulorum mentibus, veluti in ſpeculo expreſſerint, cum omnibus futilibus & periturîs notiunculis nugiſque, quibus interdum liberaliter ſatis exuberant. Atque id parum eſſet niſi etiam eo tenderet infelix quorumdam opera, ut a Dei internis motibus, aut ab eorum animadverſione & obſequio, præpediantur teneræ mentes, quò ſolis rebus externis & evanidis reddantur ſenſibiles.

Quoniam vero iſtiuſmodi magiſtrorum mentes, etſi ſuis bullis ſuperabundent, plerunque tamen adeo ſteriles ſunt, ut ne quidem illas ex ſe ipſis habeant, (nedum ſplendida & fertilis de omnibus veritas ex eorum cordibus ſcaturiat,) ſed potius ſi quæ habent, ea ex aliorum ſcriptis hinc inde excerpta & compilata ſint: ideo ad librorum acervos non ſecus ac claudi ad grallas & ipſi confugere & compellere alios conſueverunt.

10. Adultos officium ſui cura propria inſtituendi male negligere, id-que in alios ſecurius refundere.

X. Sed antequam de his nonnulla hîc ſubjiciamus, duo adhuc monenda reſtant. Alterum quidem: hæc non tantum in ætate tenera, ſed & in provectiori ſæpe ſic ſe habere. Nempe quotuſquiſque eſt inter adultos viroſque, qui ſui ipſius recte erudiendi curam vere & ſerio gerat, quique propria conſcientia proprioque lumine in mentis receſſu de rerum ſoliditate doceri, & experientia ſua convinci cupiat ac ſtudeat? Aliorum ſcilicet is labor eſto. Ipſi quidem argenti comparandi curam non abdicabunt aut in alios rejicient, neque nummos aliena fide ſic recipient, ut eos in arcam recondant antequam

 bene

bene examinaverint ſintne adulterini, necne: at vero in Mente ſua tenebris, præjudiciis vitiiſque eluenda veræque eruditionis candore & decore illuſtranda, ut ipſimet tantum laboris ſuſcipiant, quid adeo opus ſit? Suffecerit, ſi animas ſuas eodem loco habeant, eademque cura dignentur, qua quiſque induſia ſua proſequitur, videlicet illas lotricibus aut lotoribus quibuſdam ſpiritualibus certo pretio lavandas uti tradant, lotas vero atque lævigatas qualicunque modo recipiant, donec eas iterum ab externarum rerum pulvere purgandas exiſtiment, ſicque ad lotores ſuos per intervalla recurrant, cum quibus per circulum continuum ad finem uſque vitæ tale exercitium fiat. Et horum quidem lotorum officium & cura eſto, de animis eluendis & poliendis deque diverſis methodis & inſtrumentis quibus res ſuas peragant, ſollicitos eſſe, ac inter ſeſe diſputare: ipſis autem ſuffecerit diſcipulis, Mentium formas, ſpecie candidas, politas & aliquali ruditate exutas ab eis porrecto nummo & aliena fide recipere. Hæc niſi ita ſeſe habere videas, lector, haud ſane multum te perſpicacem eſſe merito crediderim. E vulgo quidem vix ullus, cui vel tantillum ſinceritatis ſupereſt, negaverit, omnes laborem Eruditioni ſolidæ adipiſcendæ neceſſarium defugere, nec animi ſenſus anxios & perduros, quos in illa acquirenda ſuſtinendos eſſe ſuis locis vidimus, ſubire aut perferre velle: ſed potius ante tempus lætari, ſecuros eſſe, & genio ſuo dulciter indulgere. Quapropter eos etiam Magiſtros conquirentes qui id offi-

cii

ciis eis præſtent, eoſdem divina permittente juſtitia, & procurante naturæ calliditate, abunde ſatis conſequuntur, qui ſcilicet, ut ſacræ prophetiæ verbis utar, *aures prurientes eis titillent*, qui *eos, dum mancipia corruptionis ſunt, liberos pronuncient*, a quibus denique *veluti mulierculæ diſcant ſemper, nunquam autem perveniant ad agnitionem veritatis*, ſolidæque eruditionis: cujus inter veræ eruditionis notas cum hæc ſit præcipua, eis videlicet quæ in intimis animi penetralibus ſunt geruntùrque, ita contentum eſſe, ut quamvis Magiſtri cæteri omnes, omneſque libri & totus mundus cum iis perirent, nil tamen Eruditioni huic ea propter ſit deceſſurum, conſequens omnino eſt, eam non poſſe non ingratam eſſe illis Magiſtris qui ſemper omnibus perneceſſarii eſſe cuperent.

2 Tim. 3: 7. & cap. 4: 3. & 2 Petr. 2: 19.

XI. Alterum, quod dixi obſervandum, illud eſt: Magiſtrorum operam nequaquam abrogatam optari quando unumquemque ſuæ & ſuorum eruditioni operam dare debere hic monetur. Neglectum ſaltem ſui & ſuorum caſtigatum volui, quem plerunque comitatur ſuccenturiatio pædagogorum ineptorum: & hos quidem notari cupiam ac improbari, nequaquam autem bonos, qui ſane bonis parentibus, in ſe ſuiſque erudiendis ut impigris, ita nec undiquaque huic officio ſufficientibus, a ſingulari divinæ Providentiæ gratia adminiſtrantur, veluti beneficium ingens bonorumque deſideriorum & precum pretioſa compenſatio, unde & æterna animarum

11. Non ideo tamen ſubſtitutionem Magiſtrorum eſſe abrogandam.

marum ſalus pendeat quam ſæpiſſime. Hæc hujus loci non eſſe videri poſſent, niſi calumniæ prævertendæ cauſa interponerentur: quæ libris etiam eadem ratione applicari debent: de quibus nunc dicemus.

12\. *De libris, quatenus ad eruditionis conſtitutionem ſpectant, deque eorum originibus.* *Eruditionem a libris non pendere.*

XII. Omnem Eruditionem vel in libris contineri vel a libris pendere, quam plurimis perſuaſum eſt: ſed contrarium potius eſt verum. Ipſi libri pendent ab eruditione. Hæc libros prior produxit, non ita illam libri: neque hi ſane intellectum dant, ſed intellectus hos, ut lepide Divus Antonius in literatos quoſdam ſophiſtas, ipſi de ineruditione ſua literali tacite inſultantes, retorquebat. Iſthæc ergo ſententia Criticorum ineptioribus eſt relinquenda, quorum omnis eruditio periret, quique cornicula Æſopica nudiores redderentur, omnes libri ſi tollerentur e medio. Omnis Eruditionis veræ fons primarius, atque ſedes & habitatio, in Mente eſt, quæ ſi nunquam ab origine ſua receſſiſſet, omnigenam ſine libris habere potuiſſet Eruditionem, non tantum quoad res divinas, ſed etiam quoad corporeas: ſiquidem & poſt lapſum ſine hiſce adminiculis eam de facto adepti ſint ante & citra omnes libros primarii quotquot Eruditi, uti ex hiſtoriis ſacris profaniſque pateſcit.

13\. *Librorum bonorum origo prima, verusque uſus.*

XIII. At vero cum ejuſmodi animæ ſolide eruditæ in aliis mentibus, nec ſibi ipſis nec interno veritatis germini ſatis attendentibus, perque alligationem ad res corporeas diſtractioribus, non poſſent diſpoſitiones ſuis ſimiles excitare ſine ſigno eis dato in

rebus

Malorum quorumdam origines & propagines.

rebus externis, quibus adhærebatur; hinc primò voces, deinde & ſcripta adhibuerunt, illas auribus, hæc viſui corporeo objicientes, quo animæ primò craſſius inde commotæ, ſubtilius poſtea in ſe redirent, & ad interna attenderent lumina, a quibus proprie eruditiores evaderent. Atque hæc eſt vera librorum & ſolidorum & primariorum origo, nempe, prodire eos ab hominibus intus lumine & eruditione gaudentibus, qui, ut aliæ animæ itidem ad intima ſua ſibi attendendo retrocederent, eis ad exemplum & imitationem narrabant ſeu ſcribebant quæcunque ipſimet apud ſe experiebantur.

At quando cæteri legendis libris iſtis (audiendis etiam Magiſtris) ſic incumbebant, ut ſibi ipſis intus non ſatis attendentes, parum aut nihil luminis in ſe haberent, & nihilominus vel ex gloriolæ deſiderio ad commendationem ſui, vel ex commodorum aliorum cupiditate, ipſi magiſtrorum inſtar ſcriptitare vellent: hinc primum omnis generis libri abſurdi, vani, falſique enati ſunt: & *ſyſtemata* quidem, cum auctorum vel librorum primariorum veros ſenſus, eorumque cohærentiam ſe percipere, idque aliis commodius referre poſſe putaverunt; vel quando ipſimet propriorum figmentorum compaginem & ſtructuram imaginati ſunt: *variorum* vero & particulariorum argumentorum volumina, quando varia ſua quæ hinc inde ſine nexu habuerunt cogitata, vel deliramenta, voluerunt expromere: *commentariorum* autem, cum aliena ſenſa & ſcripta explicare

præſumſerunt: *diariorum*, *actorum* & *relationum*, quando eorum quæ legerunt bona malaque, farragines, epitomas aut veluti indices conſcribere volebant: *confutationum* tandem & *diſputationum* tunc cum aliena, ſæpe veriſſima, ſæpiusque nullo modo a ſe intellecta, deſtruere nitebantur, quo ſua in locum eorum ſurrogarent. Hi autem primi repetitorji vel indebite ſcripti libri, novis lectoribus etiam lecti, qui eos adhuc ineptius capiebant quam proprii auctores, quique novas hallucinationes & ineptias antiquis addebant, pepererunt iterum atque iterum novos voluminum omnis generis acervos, immanesque interpolationum ſarcinas, quæ in dies veluti morbus quidam ſacer aut ignis furens incrementum nullo obſtaculo remorante capientes, totum orbem quaſi diluvio quodam ſic inundarunt, ut præter chartas erroribus aut quiſquiliis deturpatas, vix ſolidi quicquam appareat, omnibus primariæ veræque eruditionis libris ad unum fere ſuppreſſis, oblivionique aut contemtui traditis, ut ut hi ſatis per ſe numero ſint rari, atque pauciſſimi ſemper fuerint.

14. *Paucitas primariorum bonorumque librorum & auctorum.* *Numeroſitas & ſpecies nonnullæ malorum.*

XIV. Quantulum enim ejuſmodi librorum reperire eſt, qui ex intimo & luminoſo proprii cordis fundo ab Auctoribus conſcripti ſint, eo ſcopo, ut provocentur iis lectores ad admirationem & amorem Creatoris & Auctoris omnis boni, enarratis ejus mirabilibus virtutibus operationibuſque tum in animorum intimis, tum in univerſitate rerum externa? qui libri ſane ſoli aliquid ſolide

lide fructuoſi & ad eruditionem veram ſine fraude facientis continere poſſunt, merenturque ſoli inter primarios annumerari. At vero vix numerum faciunt, dum præter alios veteranos prodeunt in dies copiæ interpolatorum auctorculorum, nomina ſua chartis publicatis illini geſtientium, tanto numero, ut, quod dixit nonnemo, *in cavea ſi forent concluſi omnes, itidem ut pulli gallinacei, tamen haud poſſint, opinor, uno anno circumiri.* P. Cn. nævus. Ita fit ut mali quique libri affatim ſuperabundent, iique potiſſimum charactere triplici. Quidam enim (quæ maxima turba eſt) præter trivialia nemini non nota, & nauſeabunda ſaltem interpolatione, nullo lumine nullaque arte incruſtata, nihil aliud continent. Alii materiam ſimilem, vel etiam figmenta ſua, aut minutias forte quaſdam obſervatiunculaſque, at ſine ſolidis fundamentis, tametſi non ſine arte aliqua & ingenio, exponunt. Cæteri (Ethnico animo Gentilium impurorum imitatores,) vel vana, vel obſcœna nugamenta terſo ſtylo politiſſimiſque modis deſcribunt. Quibus omnibus cum ſublevandus & expurgandus eſſet Chriſtianus orbis eo modo, quem apud diviniuseruditos olim in uſu fuiſſe (*a*) Acta (a) Act. 19:19. tradunt Apoſtolorum: ii tamen & ubique non modo tolerantur; ſed & tales lactucas nunc potiſſimum labra hominum petunt veluti veræ eruditionis cibos, & diverſas pro ſuo quiſque palato, diverſoque item prætextu.

XV. Sunt enim qui ideo eos requirunt, 15. *Libri,*

promiſsi nec ſunt nec uſum præſtant uti præ ſe ferunt & putantur.

quod primariorum originariorumque librorum nonnulli dicantur explicatores. Sed quamvis hoc præ ſe ferant, (eos non tango qui lumine divino intus gaudent) tamen in ſolidiorum librorum expoſitione textûs ſenſum gloſſis atque interpretamentis ſuis ita pervertunt, ut & lucem extinctum eant, & quod contrarium eſt textui ſcopoque ejus, id prorſum verbis & factis inde eliciant atque commendent: unde ipſe textus omnino fit caſſus, haud ſecus atque in compoſitione Muſica, ubi circumſtrepentium vocularum organiculorumve interludentes ac luxuriantes ſoni, & veluti gloſſæ tonum textumque præcipuum ſic interſecant, abſorbent atque ſuffocant, ut is jam non poſſit amplius animadverti. Et hoc quidem in rebus minoris momenti levius eſſet quam ut querelæ juſtæ locum dare deberet. Ad maximas atque omnium omnino ponderoſiſſimas idem agendi modus perrepsit, quem profecto palam produnt ferme omnes inter diverſas Chriſtianiſmi ſectas quotquot ſunt Divini Codicis explicatores, commentatores & ex uno eodemque textu oppoſitorum Syſtematum atque Inſtitutionum conditores; ita ut nullus jam lector, quiſquis is ſit & quocunque apparatu inſtructus, poſſit certum quendam ex iis interpretem aut abbreviatorem conſulere & aſſumere, quin eo ipſo ab omnibus aliarum Sectarum explicatoribus ei contradicatur, ſenſuſque, quem ex auctore ſuo diſcet, ut falſus ſcripturiſque oppoſitus condemnetur,

quam

quam ſententiam auctores ipſi contra ſeſe reciproce pronunciant, dum ſinguli unum quidem ſcripturæ ſenſum ſeparatim, omnes vero conjunctim diverſos & oppoſitos amplectuntur. Quod indicium certum eſt, ut in his, ſic in aliis, primariorum librorum dilucidationem a ſecundariis iſtiuſmodi libris nequicquam debere exſpectari ad acquirendam eruditionem, quam fruſtra quoque nonnulli quærunt apud eos, quorum intentio minime fuit e fundamento erudire, ſed veluti indices aut relationes breviores memoriæ gratia factitare, quæ etſi ſuum habeant uſum bonum ubi bona fide quæ utilia eduntur, indicant; tamen inter ſcriptores illos ſi nonnulli reperiantur vel minus periti, qui ex omnibus promiſcue bonis maliſque ſua ſine delectu ſineque recenſitis librorum fundamentis coacervent; vel minus ſinceri, qui præjudiciis aut ſectæ ſuæ pluſculum devoti, Punica fide ea referant & deturpent quæ ſibi judicant adverſari; atque ita ſolidiſſima quæque, ſed ipſis minus ſapientia, vel contemtui vel etiam odio perverſis relationibus exponant, non poſſunt inde niſi fraudes lectoribus fieri. Et ab his quidem, a quibus ſaltem hiſtoriæ vel indicis fides exſpectabatur, ſolidæ eruditionis media ſeu inſtrumenta, ab eis falſo interverſa aut adulterata, contemnere diſcunt lectores: ab illis vero de quibuslibet, mente confuſâ, per rhapſodiarum inconcinnarum numeroſas farragines ſuperficiarie garrire. Verbo, non video, quinam apud omnes qui ex alio principio

ſco-

ſcopoque quam ex quo bonos libros prodiiſſe diximus, aliena interpolarunt aut retulerunt, vel propria etiam prodiderunt, eruditionem aliam niſi falſam, conquirere poſſint eæ mentes, quæ auctores eos ut audiant & capiant, ſimilem cum illis ſibi formam intus ut ſuperinducant, allaborare tenentur.

16. *In profanos, vanos & ſordidos Ethnicorum libros Magiſtrosque, qui eos eruditionis gratia juventuti proponunt.*

XVI. At eruditionis veræ fundamenta ſi fuerint æternorum & durabilium prætermiſſio, internæ tenebræ, ſuperficiariorum, periturorum, vanorum, falſorum, obſcœnorum & impiorum commendatio, ea ſane partim apud ſimiles, partim vero (quoad ultima recenſita) apud Archetypos ſuos, impuros iſtos Ethnicos, animorum juventutis corruptores & conſtupratores non fruſtra quæſiveris. Propudioſum eſt hujuſmodi canes a puerorum inſtitutoribus Chriſtianis (ſcilicet!) qui non ignorant quanta denunciaverit Chriſtus mala eis qui pueris offendicula præbent, præſtare molarem lapidem collo ſibi alligari, cumque eo in mare demergi; nefandum eſt, inquam, & horrendum ab iis inquinatiſſimos & impios gentium canes ætati teneræ omnisque formæ ſuſcipiendæ capaci, tradi, prælegi & laudari, unde *prima fides* (ut Tertulliani verba adhibeam) *Diabolo ædificatur ad initium eruditionis.* Quamvis enim (quod a pauciſſimis fit, & rariſſime) ab horrendis ſuis ſordibus caſtrarentur, remanet tamen regnatque in illis ſpiritus profani Ethniciſmi, amoris proprii, ambitionis atque gloriæ, vindictæ, voluptatum, gulæ atque

atque luxuriæ, irriſionis, impietatis, vanitatis, nugacitatis, atque adeo omnis generis malorum ſemina in unum quaſi acervum collecta, quæ legentium mentibus non poſſunt non pedetentim inſinuari, maximè verò ætati teneræ, quæ cum eos legendo cogitationes ſuas hiſce formis diabolicis induendas debeat tradere ac confidere, verè ad initium ejus eruditionis fidem ſive confidentiam Diabolo in eis ædificari dictum eſt. Ego ſane, quod me attinet, vere fateor, me nunquam in illis animi gratiâ vel unicam legiſſe pagellam, quin inde poſtea me ſenſerim in bono debilitatum; qua boni jactura, me ab illis curioſius legendis deterruit divina dignatio. De illis autem Ethnicis non loquor quorum lectione ſanctius ad meliora ducimur, veluti ſunt libri nonnullorum Pythagoreorum, Epicteti & ſimilium, quos Chriſtiano ſpiritu præditos jure merito agnoſcebat cum multis aliis Juſtinus Martyr, uti ex Apologiis ejus patet. Et dolendum eſt, hos non ita manibus hominum verſari, atque illos, in quibus vel omnes vel plerique ex recenſitis peſſimæ notæ characteribus viſuntur, quique à literatis veluti media ad eruditionem veram ita extolluntur, ut qui ex hujus Babylonicæ meretricis poculo exuberantius biberint, (a) *pectora divina, cæleſtia ingenia, inexhauſtæque doctrinæ fontes atque theſauri*, proclamentur, non ſine riſu, aut commiſeratione potius eorum qui ſolidiora aliquantulum norunt, quibus magis

(a) Vide (ut minorum gentium literatos prætercam)

magis volupe eſſet cum Auguſtino exclamare : (*a*) *O flumen tartareum, jactantur in te filii hominum cum mercedibus ut hæc diſcant; & magna res agitur, cum hoc agitur.*

Terentium Heinſii, in cujus Præfatione Scaliger, eo quod in ſenectute ſic deliraret, ut totus Terentianis nugis ſeſe traderet, dicitur *pectus divinum, quod* futili illa *lectione expleri non poterat.* Ita in Præfat. Annalium Grotii, ſimiles, atque hic, tituli ei tribuuntur, quod ſtylum & artes Ethnicorum vaniſſimorum in ſuis hiſtoriis eſſet imitatus. (*a*) Confeſſ. Lib. I. cap. 16.

17. *Prætextus malorum librorum, Eruditioni falſa inſervientium, quatuor aut quinque præcipui.*

XVII. At vero non deſunt ſtudiorum humanitatis, (uti vocantur,) patronis cauſſæ, cur vanos atque locutulejos iſtos graculos ita commendent. Quæ vero? ſcilicet abundant egregiis ſententiis. Eorum cum hiſtoriæ tum ſcribendi modus ad ſacra intelligenda faciunt. Latinus inde ſermo Græcusque diſcendus eſt. *Didiciſſe fideliter artes Emollit mores nec ſinit eſſe feros.* Vide à renatis literis quanta politura, quanta lumina, quæ omnium rerum reformata facies orbi acceſſerint! quam antea non obſcura tantum ſecula, ſed & barbara & Cimmeriis tenebris plane immerſa!

18. *Confutantur omnes.*

Primus quod multa bona, egregiaque in illis occurrant ſententia.

XVIII. Ego vero ejuſmodi craſſe hallucinantes ſic miſeror, ut niſi bono animo ita cœcutirent, iſtiuſmodi mendaciis, quæ omnia confutabo, nil reponendum ducerem. Non dicam, paucula bona, quæ iis paſſim intermixta eſſe poſſent, operæ pretium non eſſe in tantis ſterquiliniorum acervis, tanta cum temporis jactura, neceſſariiſque aliis poſthabitis, quærere; ſententiaſque,

tiaſque, ſi quas utiles profani protulerunt, ſic aliorum opera collectas jam eſſe & ſeorſim exſtare, ut neceſſe non ſit ex impuris & venenatis fontibus (e qualibus ſane non purius bibuntur aquæ) eas adhucdum haurire: ſed crediderim ſalutis humanæ inimici inſtinctu eos auctores ſuis impuris bona interſperſiſſe eo conſilio, ac veneficis ſuis venenis bonos intermiſcent cibos, ut ſcilicet cum bonis exitioſa ſeſe ingerant hominesque conficiant. Quis vero ejuſmodi cibis vellet veſci quia & iis bona interpoſita ſunt? Quaſi vero in ſanctis cœleſtium animarum ſcriptis non haberemus affatim divinas ſententias, easque ſine ulla mali ſuſpicione puriſſimas & ſaluberrimas. Ex pluribus divinæ Scripturæ, vide vel unum Proverbiorum Salomonis aut Syracidæ librum: aut e ſanctioribus, Chriſtianorum quidem, Joannis Climaei Scalam, vel Nili Admonitiones, aut Kempiſii libellum: Ethnicorum vero, Sextii Pythagorei ſententias, ne plures non ignotos commemorem.

XIX. Falſum eſt ex Ethnicorum hiſtoriis & ſtylis, Scripturas ſolide & ſecundum Dei mentem poſſe intelligi: at forte aliquatenus & ſuperficiarie atque ſecundum mentem Diaboli, hoc eſt, eo modo quem Diabolus ipſe eruere, habere & communicare poteſt, literali ſcilicet externo, tenebris & erroribus mixto, ipſumque non beante, ſed miſeriorem & pejorem reddente, id fieri poſſe non nego. Hiſtoriarum Scripturæ ſoliditas typica eſt, & plerumque adhuc tota futura.

19. Secundus, de uſu ethnicarum hiſtoriarum & locutionum ad Scripturæ interpretationem.

eſſe: tu, uti unius forte ex illis judicio Auguſtani ævi graculus habearis, ætatem in futilibus iſtis inaniter conſumes. Age ſi tanti facis iſtiuſmodi inanias, fac ut vel ſolam Romani ſoni pronunciationem genuinam tota vita expiſceris, & eris mihi magnus Apollo. Non dedignatus eſt Deus, ubi per organa ſua locutus eſt, craſſiore & ſimpliciore ſtylo ſemper uti, imo dedignatus eſt ſtylum exquiſitum, ob cauſas libro primo expreſſas: & nos puderet in his Deum ſequi, & eo loqui more qui animos ſinceriores, candidos, rerum magis quam verborum tenaces, deceat! Falſorum eruditorum iſthæc eſto occupatio, iſtaque ſimplicioris idiomatis, in ſanctiſſimis atque ſolidiſſimis quibusque conſpicui, redargutio. Ego equidem crediderim, ſic coram Deo rem ſe habere, in ſcholis eos, qui in infimis cathedris communia litterarum, lectionis & ſcriptionis elementa docent, etſi tanquam imæ profeſſionis atque viliſſimæ habeantur a mundi magiſtris, a Deo pro primis & præcipuis haberi: tum proximos ab his, qui linguarum peregrinarum rudimenta tradunt; ut qui uno gradu ſuperiores ab hominibus reputantur, jam uno gradu coram Deo inferiores ſint: atque ita gradatim, prout inter homines adſcendere creduntur ad digniora, potiora & eruditiora, coram Deo econtra ordine inverſo eos deſcendere ſemper ad viliora, inaniora & futiliora; donec tandem qui omnium primas ſedes attigiſſe & exquiſitiora profiteri putantur, in deliramenta deſinere ac evaneſcere

coram

coram Deo judicentur. Nec dubito, quin omnes, dummodo ex eorum quæ docentur neceſſitate ac uſu & fructibus provenientibus rem penſare volent, idem judicium facile ſint facturi.

XXI. At, at, a literis humanioribus renovatis, omnia renovata & polita audivimus. Scilicet! Diabolus nimirum, qui antea feritate aperta, ac craſſa turpitudine tumultuoſe ſeſe prodebat, unde boni quique haud falſi, in quiete ac ſine rumore ſolide Deo ſibique agebant, ab inimico aperto facile caventes; is animarum hoſtis, jam Angeli lucis ſpeciem veſtemque ab eruditione mundana nactus, ſinceriores elegantius atque tutius ſeducit, dum pulſo æternarum rerum ardore, divinoque lumine intus prorſum extincto, pro craſſis terreſtribuſque vitiis, ſpiritualia, proque externarum quarundam rerum, plerumque inanium ignorantia, tenebras de rebus internis & divinioribus horribiles, ideas caſſas, obſcuras, chimæricas & futiles, errorum & hæreſeos fontes, reſtituit; quæ omnia, ipſamque cum vitiis quibuſvis injuſtitiam, & doctius proponere & ſubtilius defendere didicit, vel adhibitis Scripturis ipſis per literaturam ſuam verſipellem ad quævis adaptatis: ſic ut errores pernicioſiſſimi jam appareant veluti veritates divinæ; vitia vero exitioſiſſima, qualia amor ſui, amor gloriæ, delectationum, pecuniæ, rerum ſeculi, jactura temporis Deo ſubducti, rixæ, odia interna, contemtus aliorum, ſimpliciorum irriſiones, rerum æternarum oblivio, imo & divinarum illuſio, jam

21. Quartus prætextus, omnia ab iſtiuſmodi literis renovatis, renovata & polita eſſe, confutatur; & contrarium oſtenditur.

jam in virtutum & ſagacioris prudentiæ ſpeciem figuratæ & politæ ſint jucundis atque artificioſis iſtiuſmodi eruditionis ſeculi artibus; quarum genio & debemus feralia illa ſchiſmata, a bono quovis lugenda, queis nullas niſi hujuſmodi falſatas virtutes atque veritates debet orbis Chriſtianus; id quod vel pueri luce clarius detegere poſſunt, ſi animadvertant, Chriſtianiſmum, qui Chriſto teſte e charitate mutua & propriæ voluntatis oblivione ut æterni Patris voluntas ſola ſuſcipiatur, agnoſci debebat, jam inde non amore & æternarum rerum amplexatione, ſed odiis & terreſtrium rerum curis ubique concreviſſe. Unde ſequitur, judice Deo, tenebras, animarumque coram illo barbariem & brutalitatem, ne dicam Diabolicam malignitatem, incrementa inde cepiſſe, atque in dies, dum ſeculum magis magiſque lucidum falſa iſta eruditione fieri putatur, augeſcere. Sed quid pluribus id argumenti perſequar, quod nemo bonus ex ſe non perſpiciat, nemo vero ex iis qui minus ſinceri ſunt, quique ſe non divino æternoque ædificio; ſed mundano & perituro veluti lapides polliendos, & erudiendos devoverunt, non rejiciat atque improbet, ut ut rationibus æterno pondere validis urgeri ſe ſentiant? His, ne iræ eorum acuantur, concedamus, eruditionem ſuam ad ſuos ſcopos eſſe & validam, & utilem, neque falli: ſed ad ſolidum permanentemque ſtatum id neutiquam fuerit. Atque hoc nobis ſatis eſto.

22. *De ſcien-* XXII. Enumeravimus inter quatuor ſuperiora

rioſa eruditionis falſæ acquirendæ media, ipſam eruditionis, quæ proponitur, materiam, hoc eſt, ſcientias ipſas, quando eæ ne quidem ſuperficiariæ ſunt; ſed falſæ, erroneæque, e principiis falſis falſas concluſiones deducentes & proponentes; quales fere ubique gentium vulgo obtinent. Hoc ita eſſe, non eſt cur multum allaboremus oſtendere. Ipſimet qui ſcientias tradunt, hoc ipſum aperte declarant, dum ſeſe mutuo refutant ac conficiunt; at eo tamen modo, qui refutatis non ſuccenturiat meliora. Sola quippe veritas lumine ſuo & errorem confutat, & vero adſtruit quod ad plenam mentis acquieſcentiam quærebatur. Etſi autem hoc officio conatus ſim in eis quæ edidi, quantum pro viribus licuit defungi; notabo tamen hîc obiter nonnulla quæ errorum ſunt origines in ſcientiis illis præcipuis, de quibus in libro præcedente quædam monueram. *tiis quatenus ad eruditionem falſam pertinent.*

XXIII. Omnia illa omiſſa, quæ in libro proxime præcedente oſtendi in cauſis eſſe cur ſcientiæ ad perfectionem ſuperficiariam & idealem non attingant, eadem quoque efficiunt ut in errores deveniant. Namque ſi quis deſtitutus quibuſdam ad operandum neceſſariis operari tamen velit, eum perverſe operari neceſſe eſt: prout ſi quis deſtitutus viribus neceſſariis, lumine viaque plana ad ambulandum, ambulare tamen vellet, is certe non poſſet non cadere atque errare. Verum, inquiet quiſpiam, ejuſmodi in ſcientiis lapſus atque errores non ſunt tanti, ut idcirco tota eruditio dicenda ſit falſa, ſiquidem ejuſmodi defe- *23 Per falſa idealia removeri veritates ſolidas.*

defectûs ideas rationis tantum concernunt, quibus licet nutantibus, eruditionem veram remanere poſſe ex eo ſequitur, quod hæc conſiſtat in facultatum quas reales diximus atque in ſuperiores & inferiores diſtinximus, bono cum objectis ſuis neceſſariis ſtatu. Ad quæ reſpondeo, me nequaquam aſſerere eos, quorum cæteroqui facultates reales eruditione ſolida politæ ſunt, ideo vera eruditione ſua deſtitui falſaque imbui, quod in nonnullis, quæ ideales ſcientias ſpectant, ipſi fallantur. Minime hîc de talibus agitur: ſed de illis tantum qui ſolide realique eruditione repulſa, pro eruditione tota acquirenda nil ſibi proponunt præter ideas ejuſmodi quæ in ſcientiis venditantur, quæ ſane ſi falſæ fuerint, jam tota eorum eruditio falſa ſit neceſſe eſt. Neque tantum hoc, ſed & potentiſſimum ad eruditionem aſpirandi & perveniendi impedimentum fuerint iſti circa ideas meras errores. Namque ex quo humanum genus veluti brutum naſcitur, neque ad ſuperiora & *ſolida* niſi per externa, per ſenſus craſſos, per imaginationem, per rationem denique & ejus ideas aſſurgit, fit inde ut ii, quibus externa & ſenſus & imaginatio & ideæ ſupprimerentur aut falſarentur; veluti ſi aut nulla verba aut falſa auribus perciperent, falſaſque imaginatione verſarent imagines, non poſſent certe eâ ratione ad vera, divina, ſublimia pertingere; ſed potius per corrupta illa media ab iis amoverentur. Eodem modo, ſi ratio erroneis falſiſque ideis, dum ſcientias diſcit, repleatur, impeditur mens, (quamdiu ratio-

tioni

tioni vult inſiſtere) à ſuperioribus & divinioribus inveniendis, imo & quærendis: per falſas enim ideas dum originalia ipſa divina deturpantur, obſcurantur, imo odioſa & velut inania repræſentantur, ſequitur eadem contemni ac fugi, vel etiam derideri à miſera, & rationis ideis ſeducta Mente, contrariis ut ſeſe dedat. Unde patet errores circa ideas in ſcientiis propoſitos, ut ut Mentibus quæ quoad facultates ſupremas ſolida gaudent eruditione, nullius momenti eſſent, pernicioſiſſimos tamen illis eſſe quæ eruditione vera nondum ſunt præditæ: atque adeo ſollicite cavendum, iis ne tales propinentur: ut ſi quando ſpes ſit illas ſolida quærere poſſe, eis a ratione, per falſas ideas ſeducta, non occludatur janua; ſed potius per ideas, vera quantum fieri poteſt repræſentantes, adjuventur. Hiſce quo magis prodeſſe poſſit falſitatum ſcientias vitiantium detectio, paucula etiam de quibuſdam dicemus.

74.

De falſitate præcipuarum ſcientiarum vulgo obtinentium.

Et primo quidem de generalioribus erroribus in fundamentalioribus Metaphyſices.

XXIV. Quæ ſuperius de iis quibus impeditur, ne Metaphyſica, Phyſica, Ethica, Logica etiam atque Critica, ipſaque denique Theologia, fiant ſuperficialiter perfectæ, retulimus; ea hîc poſſunt recenſeri tanquam fontes errorum, qui in iſtas diſciplinas & ſcientias derivantur apud omnes eos, qui omiſſis veritatibus vel diſpoſitionibus quas ibi recenſuimus, tentant eas ſcientias acquirere. Poſſunt igitur ea ſuis è locis repeti, & veluti huc pertinentia conſiderari. Quibus nunc adjungimus ſequentia.

In METAPHYSICIS (præter alios errores in Diſſertatione initio operis hujus præfixa annotatos, falſaque præjudicia mox ante recenſita, nec ab ipſis quidem Carteſianis depoſita, ex quibus tamen omnia ſua falſantur,) falſa ſtatim eſt doctrina de tranſcendentalibus, de idearum æternitate, deque veritatibus idearum æternis & immutabilibus, de earum neceſſitate ad Dei Omniſcientiam conſtituendam, ex quibus ſtultum dogma de fato, vel de neceſſitate rerum fatali, de libertatis vel negatione vel in dubium revocatione, deque feris & abſurdis quibuſdam omnium rerum & recularum decretis, nec decretis modo, ſed & ad quævis concurſibus prævіis ſimultaneiſque, & neſcio quot monſtris, quibus Deus & natura, opera item naturæ & gratiæ, activitaſque creaturarum & actus Dei confunduntur, obtenebrantur, negantur. Subſtantiæ quoque & accidentium, imo dicere auſim, omnium pene rerum, ideas nullas, ne quidem generales & dilutas, niſi abſurdas & chimæricas habent. Quæ non dicta modo, ſed & probata à me videre potuerunt, qui Cogitationes & Oeconomiam inſpexerunt.

25: Veritates præcipuæ, capitalibus iſtis erroribus oppoſitæ breviter demonſtrantur, videlicet circa

XXV. Sed ne hîc ſola errorum indicatione aut ad ſcripta alia remiſſione agam, demonſtrationibus brevioribus præcipua evincere animus eſt.

1. Deus (omnium conſenſu) eſt ens perfectiſſimum: Ergo eſt ſibi ſe ſolo ſufficientiſſimus: nam ſi ſibi non ſufficeret ex ſe ſolo, certè in ſe & ex ſe deficeret; quod eſt contra

tra definitionem agnitam. Si ſibi ſe ſolo ſufficit, igitur nullius rei idea, præter ideam ſui ipſius, eſt ei neceſſaria ad ſui perfectionem. Ergo *idearum*, veritatumque de illis *neceſſitas*, *æternitas & immutabilitas abſolutæ*, falſæ ſunt, ſuntque ideæ non niſi ex arbitrio & ſtatuto Dei, a quo arbitrio abſtinere potuiſſet, vel aliter de eo ideiſque diſponere, is qui ſe ſolo contentus eſt ac perfectiſſimus.

rerum ideas; Dei omniſcientiam; hominis libertatem; fatum; tranſcendentales veritates, unum, verum, bonum: ſubſtantiam.

2. Igitur ad perfectionem Omniſcientiæ Dei non requiritur niſi ſola cognitio ſui ipſius, qui omne perfectiſſimum eſt: non autem cognitio aliarum rerum aut idearum, quæ abſolute nil ſunt, arbitrariè aliquid ſunt, & imperfectæ ſunt: quæque non cognitionis abſolutæ & perfectiſſimæ; ſed cognitionis arbitrariæ Dei objecta ſunt, picturas ſuas, plures, pauciores, videre aut effigiare geſtientis, & cum illis ludere volentis: quæ objecta, ut ut ſe habeant, plurave ſint an pauciora, cognitionem arbitrariam, quia arbitraria eſt, imperfectionis arguere non poſſunt. Hæc Dei cognitio arbitraria ſi nulla volet cognoſcere, non ideo imperfectionis Deum arguit: econtra, perfectionis: nam nec Deum ipſum concernit ſeu pro objecto habet; & vero potius ſic patet Deum cæteris non egere, eiſque carere poſſe: quod ſi plura velit, cognoſcet & plura, & quæcunque volet; indeque ſequetur Deum ſibi ſufficientem ſic eſſe, ut eis quæ volet eſſe vel cognoſci, ſufficiat eo modo ponendis uti volet.

Terentium Heinſii, in cujus Præfatione Scaliger, eo quod in ſenectute ſic deliraret, ut totus Terentianis nugis ſeſe traderet, dicitur *pectus divinum*, *quod* futili illa *lectione expleri non poterat*. Ita in Præfat. Annalium Grotii, ſimiles, atque hic, tituli ei tribuuntur, quod ſtylum & artes Ethnicorum vaniſſimorum in ſuis hiſtoriis eſſet imitatus.

magis volupe eſſet cum Auguſtino exclamare: (*a*) *O flumen tartareum, jactantur in te filii hominum cum mercedibus ut hæc diſcant; & magna res agitur, cum hoc agitur.*

(*a*) Confeſſ. Lib. I. cap. 16.

17. *Prætextus malorum librorum, Eruditioni falſa inſervientium, quatuor aut quinque præcipui.*

XVII. At vero non deſunt ſtudiorum humanitatis, (uti vocantur,) patronis cauſſæ, cur vanos atque locutulejos iſtos graculos ita commendent. Quæ vero? ſcilicet abundant egregiis ſententiis. Eorum cum hiſtoriæ tum ſcribendi modus ad ſacra intelligenda faciunt. Latinus inde ſermo Græcusque diſcendus eſt. *Didiciſſe fideliter artes Emollit mores nec ſinit eſſe feros.* Vide à renatis literis quanta politura, quanta lumina, quæ omnium rerum reformata facies orbi acceſſerint! quam antea non obſcura tantum ſecula, ſed & barbara & Cimmeriis tenebris plane immerſa!

18. *Confutantur omnes.* *Primus quodmulta bona, egregiaque in illis occurrant ſententiæ.*

XVIII. Ego vero ejuſmodi craſſe hallucinantes ſic miſeror, ut niſi bono animo ita cœcutirent, iſtiuſmodi mendaciis, quæ omnia confutabo, nil reponendum ducerem. Non dicam, paucula bona, quæ iis paſſim intermixta eſſe poſſent, operæ pretium non eſſe in tantis ſterquiliniorum acervis, tanta cum temporis jactura, neceſſariiſque aliis poſthabitis, quærere; ſententiaſque,

tiaſque, ſi quas utiles profani protulerunt, ſic aliorum opera collectas jam eſſe & ſeorſim exſtare, ut neceſſe non ſit ex impuris & venenatis fontibus (e qualibus ſane non purius bibuntur aquæ) eas adhucdum haurire: ſed crediderim ſalutis humanæ inimici inſtinctu eos auctores ſuis impuris bona interſperſiſſe eo conſilio, ac veneficis ſuis venenis bonos intermiſcent cibos, ut ſcilicet cum bonis exitioſa ſeſe ingerant homineſque conficiant. Quis vero ejuſmodi cibis vellet veſci quia & iis bona interpoſita ſunt? Quaſi vero in ſanctis cœleſtium animarum ſcriptis non haberemus affatim divinas ſententias, easque ſine ulla mali ſuſpicione puriſſimas & ſaluberrimas. Ex pluribus divinæ Scripturæ, vide vel unum Proverbiorum Salomonis aut Syracidæ librum: aut e ſanctioribus, Chriſtianorum quidem, Joannis Climaci Scalam, vel Nili Admonitiones, aut Kempiſii libellum: Ethnicorum vero, Sextii Pythagorei ſententias, ne plures non ignotos commemorem.

XIX. Falſum eſt ex Ethnicorum hiſtoriis & ſtylis, Scripturas ſolide & ſecundum Dei mentem poſſe intelligi: at forte aliquatenus & ſuperficiarie atque ſecundum mentem Diaboli, hoc eſt, eo modo quem Diabolus ipſe eruere, habere & communicare poteſt, literali ſcilicet externo, tenebris & erroribus mixto, ipſumque non beante, ſed miſeriorem & pejorem reddente, id fieri poſſe non nego. Hiſtoriarum Scripturæ ſoliditas typica eſt, & plerumque adhuc tota futura.

19. Secundus, de uſu ethnicarum hiſtoriarum & locutionum ad Scripturæ interpretationem.

futura. Eam explicat Deus lumine ſuo puris mentibus quæ ſuæ ſunt, ubi id eorum ſaluti conducere judicat, extra quem caſum iſta nec optanda, nec curioſe ruſpanda ſunt: perindeque externos etiam eventus hiſtoriæ præteritos cum præſentibus oſtendit Deus ſuis quando e re eſt: dum impii aut frigidi literati (qui hæc forte irridebunt) ex lecturis libriſque ſuis non modo nil recte ſcient; ſed & pro interpretamentis prophetiarum Scripturæ hiſtoriarumve, (quæ omnes ſunt etiam typicæ & propheticæ, nil niſi fabulas dabunt, quales Grotii de Antichriſto deque cæteris propheticis, quæ apparatu omni ſuo Ethnico &, Critico voluit explicare: nec vero eventus, in quibus ipſimet vivunt, videbunt in Scripturis deſcriptos, neque cognoſcent tempus viſitationis ſuæ (uti ait Scriptura,) donec ipſi exciſi ſint.

20. *Tertius, de Latino ſermone ex Ethnicorum profanis ſcriptis diſcendo.* (a) *Conf. lib.* 1.

XX. De Latino ſermone ab Ethnicis diſcendo, ajo cum Auguſtino: (a) *Ita vero non cognoſceremus verba hæc, imbrem aureum, & gremium, & fucum, & templa cœli, & alia verba, niſi Terentius induceret nequam adoleſcentem proponentem ſibi Jovem ad exemplum ſtupri, dum ſpectat tabulam quandam in pariete, ubi inerat pictura hæc: Jovem quo pacto* [illegible]*ſſe ajunt in gremium quondam imbrem aureum, fucum factum mulieri, &c.... non omnino per hanc turpitudinem verba iſta commodius diſcuntur, ſed per hæc verba turpitudo iſta confidentius perpetratur. Non accuſo verba, quaſi vaſa electa & pretioſa: ſed vinum erroris quod in eis nobis propinatur ab ebriis doctoribus.* Quaſi vero

vero nobis deeſſent in Cyprianis, Lactantiis, Sulpiciis, Minutiis, Hieronymis, Salvianis, aliiſque quam plurimis piis Cæſares, Cicerones, Salluſtii, & omnis generis ſufficientiſſimi, ut ſic dicam, Latiniſtæ Chriſtiani, ſoluta æque ac ligata oratione optima ac ſanctiſſima quæque animis noſtris cum puritate ſermonis inſtillantes, ne in Græcis eloquentiſſimos Patrum ſimiliter commemorem. Neque nobis defuerunt ultimis hiſce ſeculis, qui ſermone Latino præſtantiſſima & laudabiliſſima quæque tradere allaborarunt. Sebaſtianus Caſtalio, vir ut pietate ſic eruditione vera excellens, omnes Latinæ linguæ opes in Bibliis, aliiſque divinis libris, Kempiſio nempe, Theologia Germanica, & ejuſmodi vertendis congeſſit: ipſeque libros terſi ſtyli & bonæ materiæ ad adultorum in divinis, & puerorum in ipſa latinitate inſtructionem, compoſuit: nec minus fecit magnus Eraſmus: præcipue quando per egregias ejus in Novum Teſtamentum Paraphraſes conatus eſt conſequi, ut pro vano Ethniciſmi ſpiritu, qui e fucatis Gentilium ſcriptis hauriebatur, e Chriſti doctrina clarius & ornatius ad hominum palatum ægrum exhibita, hauriretur veri Chriſtianiſmi ſpiritus. Aſt, inquies, ex illis non diſcetur puritas Romani ſermonis qualis erat tempore Auguſti Cæſaris. Quæ nugæ! Dantur forte in toto terrarum orbe duo tresve pædagogi, in pulvere ſcholæ obſcurè latitantes, qui ſibi imaginantur iſtiuſmodi ſtylorum inania nugamenta ſe callere, atque idcirco ſolos ſe viros

eſſe: tu, uti unius forte ex illis judicio Auguſtani ævi graculus habearis, ætatem in futilibus iſtis inaniter conſumes. Age ſi tanti facis iſtiuſmodi inanias, fac ut vel ſolam Romani ſoni pronunciationem genuinam tota vita expiſceris, & eris mihi magnus Apollo. Non dedignatus eſt Deus, ubi per organa ſua locutus eſt, craſſiore & ſimpliciore ſtylo ſemper uti, imo dedignatus eſt ſtylum exquiſitum, ob cauſas libro primo expreſſas: & nos puderet in his Deum ſequi, & eo loqui more qui animos ſinceriores, candidos, rerum magis quam verborum tenaces, deceat! Falſorum eruditorum iſthæc eſto occupatio, iſtaque ſimplicioris idiomatis, in ſanctiſſimis atque ſolidiſſimis quibusque conſpicui, redargutio. Ego equidem crediderim, ſic coram Deo rem ſe habere, in ſcholis eos, qui in infimis cathedris communia litterarum, lectionis & ſcriptionis elementa docent, etſi tanquam imæ profeſſionis atque viliſſimæ habeantur a mundi magiſtris, a Deo pro primis & præcipuis haberi: tum proximos ab his, qui linguarum peregrinarum rudimenta tradunt; ut qui uno gradu ſuperiores ab hominibus reputantur, jam uno gradu coram Deo inferiores ſint: atque ita gradatim, prout inter homines adſcendere creduntur ad digniora, potiora & eruditiora, coram Deo econtra ordine inverſo eos deſcendere ſemper ad viliora, inaniora & futiliora; donec tandem qui omnium primas ſedes attigiſſe & exquiſitiora profiteri putantur, in deliramenta deſinere ac evaneſcere coram

coram Deo judicentur. Nec dubito, quin omnes, dummodo ex eorum quæ docentur neceſſitate ac uſu & fructibus provenientibus rem penſare volent, idem judicium facile ſint facturi.

XXI. At, at, a literis humanioribus renovatis, omnia renovata & polita audivimus. Scilicet! Diabolus nimirum, qui antea feritate aperta, ac craſſa turpitudine tumultuoſe ſeſe prodebat, unde boni quique haud falſi, in quiete ac ſine rumore ſolide Deo ſibique agebant, ab inimico aperto facile caventes; is animarum hoſtis, jam Angeli lucis ſpeciem veſtemque ab eruditione mundana nactus, ſinceriores elegantius atque tutius ſeducit, dum pulſo æternarum rerum ardore, divinoque lumine intus prorſum extincto, pro craſſis terreſtribuſque vitiis, ſpiritualia, proque externarum quarundam rerum, plerumque inanium ignorantia, tenebras de rebus internis & divinioribus horribiles, ideas caſſas, obſcuras, chimfiricas & futiles, errorum & hæreſeos fontes, reſtituit; quæ omnia, ipſamque cum vitiis quibuſvis injuſtitiam, & doctius proponere & ſubtilius defendere didicit, vel adhibitis Scripturis ipſis per literaturam ſuam verſipellem ad quævis adaptatis: ſic ut errores pernicioſiſſimi jam appareant veluti veritates divinæ; vitia vero exitioſiſſima, qualia amor ſui, amor gloriæ, delectationum, pecuniæ, rerum ſeculi, jactura temporis Deo ſubducti, rixæ, odia interna, contemtus aliorum, ſimpliciorum irriſiones, rerum æternarum oblivio, imo & divinarum illuſio, jam

21. Quartus prætextus, omnia ab iſtiuſmodi literis renovatis, renovata & polita eſſe, confutatur; & contrarium oſtenditur.

jam in virtutum & ſagacioris prudentiæ ſpeciem figuratæ & politæ ſint jucundis atque artificioſis iſtiuſmodi eruditionis ſeculi artibus; quarum genio & debemus feralia illa ſchiſmata, a bono quovis lugenda, queis nullas niſi hujuſmodi falſatas virtutes atque veritates debet orbis Chriſtianus; id quod vel pueri luce clarius detegere poſſunt, ſi animadvertant, Chriſtianiſmum, qui Chriſto teſte e charitate mutua & propriæ voluntatis oblivione ut æterni Patris voluntas ſola ſuſcipiatur, agnoſci debebat, jam inde non amore & æternarum rerum amplexatione, ſed odiis & terreſtrium rerum curis ubique concreviſſe. Unde ſequitur, judice Deo, tenebras, animarumque coram illo barbariem & brutalitatem, ne dicam Diabolicam malignitatem, incrementa inde cepiſſe, atque in dies, dum ſeculum magis magisque lucidum falſa iſta eruditione fieri putatur, augeſcere. Sed quid pluribus id argumenti perſequar, quod nemo bonus ex ſe non perſpiciat, nemo vero ex iis qui minus ſinceri ſunt, quique ſe non divino æternoque ædificio; ſed mundano & perituro veluti lapides polliendos, & erudiendos devoverunt, non rejiciat atque improbet, ut ut rationibus æterno pondere validis urgeri ſe ſentiant? His, ne iræ eorum acuantur, concedamus, eruditionem ſuam ad ſuos ſcopos eſſe & validam, & utilem, neque falli: ſed ad ſolidum permanentemque ſtatum id neutiquam fuerit. Atque hoc nobis ſatis eſto.

22. *De ſcien-* XXII. Enumeravimus inter quatuor ſuperiora

rioſa eruditionis falſæ acquirendæ media, ipſam eruditionis, quæ proponitur, materiam, hoc eſt, ſcientias ipſas, quando eæ ne quidem ſuperficiariæ ſunt; ſed falſæ, erroneæque, e principiis falſis falſas concluſiones deducentes & proponentes; quales fere ubique gentium vulgo obtinent. Hoc ita eſſe, non eſt cur multum allaboremus oſtendere. Ipſimet qui ſcientias tradunt, hoc ipſum aperte declarant, dum ſeſe mutuo refutant ac conficiunt; at eo tamen modo, qui refutatis non ſuccenturiat meliora. Sola quippe veritas lumine ſuo & errorem confutat, & vero adſtruit quod ad plenam mentis acquieſcentiam quærebatur. Etſi autem hoc officio conatus ſim in eis quæ edidi, quantum pro viribus licuit defungi; notabo tamen hic obiter nonnulla quæ errorum ſunt origines in ſcientiis illis præcipuis, de quibus in libro præcedente quædam monueram.

tiis quatenus ad eruditionem falſam pertinent.

XXIII. Omnia illa omiſſa, quæ in libro proxime præcedente oſtendi in cauſis eſſe cur ſcientiæ ad perfectionem ſuperficiariam & idealem non attingant, eadem quoque efficiunt ut in errores deveniant. Namque ſi quis deſtitutus quibuſdam ad operandum neceſſariis operari tamen velit, eum perverſe operari neceſſe eſt: prout ſi quis deſtitutus viribus neceſſariis, lumine viaque plana ad ambulandum, ambulare tamen vellet, is certe non poſſet non cadere atque errare. Verum, inquiet quiſpiam, ejuſmodi in ſcientiis lapſus atque errores non ſunt tanti, ut idcirco tota eruditio dicenda ſit falſa, ſiquidem ejuſmodi defe-

23 *Per falſa idealia removeri veritates ſolidas.*

defectûs ideas rationis tantum concernunt, quibus licet nutantibus, eruditionem veram remanere poſſe ex eo ſequitur, quod hæc conſiſtat in facultatum quas reales diximus atque in ſuperiores & inferiores diſtinximus, bono cum objectis ſuis neceſſariis ſtatu. Ad quæ reſpondeo, me nequaquam aſſerere eos, quorum cæteroqui facultates reales eruditione ſolida politæ ſunt, ideo vera eruditione ſua deſtitui falſaque imbui, quod in nonnullis, quæ ideales ſcientias ſpectant, ipſi fallantur. Minime hîc de talibus agitur: ſed de illis tantum qui ſolide realique eruditione repulſa, pro eruditione tota acquirenda nil ſibi proponunt præter ideas ejuſmodi quæ in ſcientiis venditantur, quæ ſane ſi falſæ fuerint, jam tota eorum eruditio falſa ſit neceſſe eſt. Neque tantum hoc, ſed & potentiſſimum ad eruditionem aſpirandi & perveniendi impedimentum fuerint iſti circa ideas meras errores. Namque ex quo humanum genus veluti brutum naſcitur, neque ad ſuperiora & ſolida niſi per externa, per ſenſus craſſos, per imaginationem, per rationem denique & ejus ideas aſſurgit, fit inde ut ii, quibus externa & ſenſus & imaginatio & ideæ ſupprimerentur aut falſarentur; veluti ſi aut nulla verba aut falſa auribus perciperent, falſaſque imaginatione verſarent imagines, non poſſent certe ea ratione ad vera, divina, ſublimia pertingere; ſed potius per corrupta illa media ab iis amoverentur. Eodem modo, ſi ratio erroneis falſiſque ideis, dum ſcientias diſcit, repleatur, impeditur mens, (quamdiu ra-

tioni

tioni vult inſiſtere) à ſuperioribus & divinioribus inveniendis, imo & quærendis: per falſas enim ideas dum originalia ipſa divina deturpantur, obſcurantur, imo odioſa & velut inania repræſentantur; ſequitur eadem contemni ac fugi, vel etiam murideri à miſera, & rationis ideis ſeducta Mente, contrariis ut ſeſe dedat. Unde patet errores circa ideas in ſcientiis propoſitos, ut ut Mentibus quæ quoad facultates ſupremas ſolida gaudent eruditione, nullius momenti eſſent, pernicioſiſſimos tamen illis eſſe quæ eruditione vera nondum ſunt præditæ: atque adeo ſollicite cavendum, iis ne tales propinentur: ut ſi quando ſpes ſit illas ſolida quærere poſſe, eis a ratione, per falſas ideas ſeducta, non occludatur janua; ſed potius per ideas, vera quantum fieri poteſt repræſentantes, adjuventur. Hiſce quo magis prodeſſe poſſit falſitatum ſcientias vitiantium detectio, paucula etiam de quibuſdam dicemus.

74.
De falſitate præcipuarum ſcientiarum vulgo obtinentium. Et primo quidem de generalioribus erroribus in fundamentalioribus Metaphyſices.

XXIV. Quæ ſuperius de iis quibus impeditur, ne Metaphyſica, Phyſica, Ethica, Logica etiam atque Critica, ipſaque denique Theologia, fiant ſuperficialiter perfectæ, retulimus; ea hîc poſſunt recenſeri tanquam fontes errorum, qui in iſtas diſciplinas & ſcientias derivantur apud omnes eos, qui omiſſis veritatibus vel diſpoſitionibus quas ibi recenſuimus, tentant eas ſcientias acquirere. Poſſunt igitur ea ſuis è locis repeti, & veluti huc pertinentia conſiderari. Quibus nunc adjungimus ſequentia.

In METAPHYSICIS (præter alios errores in Diſſertatione initio operis hujus præfixa annotatos, falſaque præjudicia mox ante recenſita, nec ab ipſis quidem Carteſianis depoſita, ex quibus tamen omnia ſua falſantur,) falſa ſtatim eſt doctrina de tranſcendentalibus, de idearum æternitate, deque veritatibus idearum æternis & immutabilibus, de earum neceſſitate ad Dei Omniſcientiam conſtituendam, ex quibus ſtultum dogma de fato, vel de neceſſitate rerum fatali, de libertatis vel negatione vel in dubium revocatione, deque feris & abſurdis quibuſdam omnium rerum & recularum decretis, nec decretis modo, ſed & ad quævis concurſibus prævijs ſimultaneisque, & neſcio quot monſtris, quibus Deus & natura, opera item naturæ & gratiæ, activitaſque creaturarum & actus Dei confunduntur, obtenebrantur, negantur. Subſtantiæ quoque & accidentium, imo dicere auſim, omnium pene rerum, ideas nullas, nè quidem generales & dilutas, niſi abſurdas & chimæricas habent. Quæ non dicta modo, ſed & probata à me videre potuerunt, qui Cogitationes & Oeconomiam inſpexerunt.

25. *Veritates præcipuæ, capitalibus iſtis erroribus oppoſitæ breviter demonſtrantur, videlicet circa*

XXV. Sed ne hîc ſola errorum indicatione aut ad ſcripta alia remiſſione agam, demonſtrationibus brevioribus præcipua evincere animus eſt.

1. Deus (omnium conſenſu) eſt ens perfectiſſimum: Ergo eſt ſibi ſe ſolo ſufficientiſſimus: nam ſi ſibi non ſufficeret ex ſe ſolo, certè in ſe & ex ſe deficeret; quod eſt contra

tra definitionem agnitam. Si ſibi ſe ſolo ſufficit, igitur nullius rei idea, præter ideam ſui ipſius, eſt ei neceſſaria ad ſui perfectionem. Ergo *idearum*, veritatumque de illis *neceſſitas*, *æternitas & immutabilitas abſolutæ*, falſæ ſunt, ſuntque ideæ non niſi ex arbitrio & ſtatuto Dei, a quo arbitrio abſtinere potuiſſet, vel aliter de eo ideiſque diſponere, is qui ſe ſolo contentus eſt ac perfectiſſimus.

rerum ideas; Dei omniſcientiam; hominis libertatem; fatum; tranſcendentales veritates, unum, verum, bonum; ſubſtantiam.

2. Igitur ad perfectionem Omniſcientiæ Dei non requiritur niſi ſola cognitio ſui ipſius, qui omne perfectiſſimum eſt: non autem cognitio aliarum rerum aut idearum, quæ abſolute nil ſunt, arbitrariè aliquid ſunt, & imperfectæ ſunt: quæque non cognitionis abſolutæ & perfectiſſimæ; ſed cognitionis arbitrariæ Dei objecta ſunt, picturas ſuas, plures, pauciores, videre aut effigiare geſtientis, & cum illis ludere volentis: quæ objecta, ut ut ſe habeant, plurave ſint an pauciora, cognitionem arbitrariam, quia arbitraria eſt, imperfectionis arguere non poſſunt. Hæc Dei cognitio arbitraria ſi nulla volet cognoſcere, non ideo imperfectionis Deum arguit: econtra, perfectionis: nam nec Deum ipſum concernit ſeu pro objecto habet; & verò potius ſic patet Deum cæteris non egere, eiſque carere poſſe: quod ſi plura velit, cognoſcet & plura, & quæcunque volet; indeque ſequetur Deum ſibi ſufficientem ſic eſſe, ut eis quæ volet eſſe vel cognoſci, ſufficiat eo modo ponendis uti volet.

3. Si autem placeat ei noſſe creaturam *liberam*, cui donet facultatem ſe ipſam ex proprio (ipſique donato) arbitrio regendi, tunc ſequitur evidenter contradictorium eſſe, ſi ſtatuatur ejuſmodi creaturæ omnes actus regimenque totum præſciri, decerni, agi, præcurri, & influi phyſice a Deo, uti loquuntur. Unde omnia iſta barbara *fata* atque fictitia de omnibus decreta in fumum abeunt: aut vero oſtendendum eſt, impoſſibile eſſe Deo ſe ipſum per creaturæ conſtitutionem non poſſe repræſentare qua ens liberum & activum: quod non facient qui nec ejus omnipotentiam negare, nec omne jus & fas (in libertate fundatum) delere tentabunt.

4. Porro ſi ſolus Deus eſt abſolutum ens, falſa ergo eſt doctrina de *ente tranſcendentali*, ſive de notione entis Deo & creaturis univoce competente: abſolutum enim & arbitrarium, ſive abſolutum & non abſolutum, univoca non ſunt.

5. Jam poſito, Deum ex arbitrio decreviſſe ſe ipſum depingere, atque adeo entia idealia excogitaſſe, deinde illa produxiſſe, falſum iterum eſt eorum entium *naturæ omni* competere *ex ſe* hæc attributa, unum, verum, bonum: multo minus univoce cum Deo ea participare. Quando Deus vult ponere entium naturas, tunc nil ex naturarum neceſſitate ſeu neceſſaria conſtitutione ponit tanquam ad naturam illorum pertinens, niſi fundum intimum atque facultates; non autem facultatum objecta, vel ex objectis reſultantes perfectiones. hoc ultimum eſt ex ſuperveniente

niente *gratia*, non ex naturarum neceſſitate aut facultatibus. Jam autem in entibus veritas & bonitas non ex naturæ ſuæ conſtitutione aut facultatibus, ſed ex reſultatione actuum alius cujuſpiam objecti interni (Dei) enaſcuntur. Ens omne poſitum in natura ſua hoc includit, ut ſit *unum*, ſive fixum & manens, indiviſumque. Sed *veritas* entis, hoc eſt, ejus luminoſus ſtatus, reſultatio lucida & vera ſuarum perfectionum ad ſe, quæ etiam pulcritudo entis eſt; deinde ejus *bonitas*, hoc eſt, communicatio proprietatum ſuarum decentium jucunda, tum ſibi inter ſeſe, tum aliis extra ſe, quæ eſt glorioſa quædam entium in ſe & inter ſe concordia & felicitas; hæ duæ, inquam, in nullis entibus ſunt, niſi Deo in illa ſeſe inſinuante, eaque continuo luminoſitate & jucunditate ſua afficiente, ordinante & ornante: quæ operationes gratiæ ſunt, Verbique Dei & Spiritûs S. propriæ; quibus operationibus quæ deſtituuntur entia, entia quidem *una* ſunt, ſed nec *vera*, nec *bona*; at *falſa & confuſa, anxia & mala*. Alia entium veritas & bonitas non datur: proinde ea Metaphyſicorum chimærica eſt, qui eſſentialem realitatem cum pulcra veritate & jucunda bonitate, naturamque cum gratia confuderunt. Quod reale ſolùm debuit dici, id male & verum & bonum dixerunt, etſi obſcurum, confuſum & peſſimum eſſet; quales ſunt tenebroſæ, fraudulentæ, anxiæ æternumque miſeræ impiorum ſeu dæmonum mentes.

6. At dicent, id ipſum quod confuſum & peſſimum nominas, id in genere entis & ſubſtantiæ verum & bonum eſt. Error! Ens, qua ens, nullum verum & bonum eſt niſi ſolus Deus. De cæteris non in idea & natura entis continetur natura veritatis & bonitatis; ſed ea ex Dei ſupervenientis liberali inſinuatione & gratioſa operatione ſuperaccedit naturæ. Hæc alibi (*a*) conatus ſum pluribus variiſque modis explicare, quando oſtendi, in rebus eſſe quædam a Deo ſic poſita & data ut naturæ rei partes eſſent; at alia a Deo eſſe donata non acſi partes naturales eſſent rerum ſive entium, ſed veluti eorum ſtatum perficientia, quibus res privari poſſent; non autem primis, quæ proprie *naturalia* & realia dicuntur; altera vero ex *gratuita* donatione (ut dixi) ſuperadduntur naturæ tum corporalium, tum ſpiritualium rerum. Et hujus generis ſunt entium veritas & pulcritudo, bonitas & jucunda concordia, atque ſimilia, quæ an Metaphyſicorum tenebris aſſueti illico capient aut admittent, non auſim aſſeverare. Bonitas namque & veritas ſua abſoluta, & tranſcendentalis & ſubſtantialis difficulter, ob diuturnam amicitiam, eorum imaginationem deſerent, ut & alia cogitata & voces admittant alias. Et ſane diſtinctio uſuſque alius in vocibus, queis hactenus obſcuros, confuſos falſoſque conceptus junxerunt, eſſent introducenda; neque amplius realitas, natura, unitas, veritas, bonitas, perfectio, & quæ hujus generis, ſic confundendæ eſſent, ut chaos potius omnia promiſcue referrent,

(*a*) Cogit. Rat. in notis p. 617. & Oecon. tom. 3. p. 366. it. Tom. 7. cap. 1. & in Differt. ſupra.

ferrent, quam conceptus diſtinctos & luminoſos formarent.

7. Quæ de *ſubſtantia* & *accidente* dixerunt, non minori itidem obſcuritati & captioni obnoxia ſunt. Ex peſſima Ethnicorum, maximè verò Ariſtotelis Metaphyſica tenebroſa, peſſime iſta ad rerum fundamenta & explicationem aſſumſerunt. Alio lumine, quam Ariſtotelico, in rerum perquirendis fundis opus fuiſſet. Melius conſideranda proponerentur in rebus omnibus primo earum *fundus*, ſive natura & entitas; deinde *facultates* (quæ cum fundo unitæ, nec unquam ab eo ſeparandæ, *unitatem* conſtituere dici poſſint;) poſtea *objecta* facultatum; hinc *actus* facultatum & *modi* eorum in objecta; & tandem reſultatio novique actus objectorum & facultatum poſtquam in ſe unite egerunt. Atque iſta ſola quicquid in rebus eſt præcipuum exhaurire poſſe, exercitatis non erit dubium. At per vias ſubſtantiæ & accidentis, generumque accidentium novem, nil niſi nugas & affanias proferri experientia docet plus ſatis. Ipſi quid ſua ſit ſubſtantia ſuaque accidentia, ſane neſciunt; mihi vero nunc opportunum non eſt iſta pluribus perſequi, quæ ne ſic quidem tetigiſſem, niſi inde tenebras & errores exitioſos in omnibus divinis atque naturalibus, imo & ipſum Atheiſmum nonnulli arceſſiviſſent.

XXVI. De Physicis quotquod ſcripſerunt, aut aliquid ſe ſcire putant, nil aliud ſimiliter agunt quam quòd ſe ipſos mutuo ignorantiæ & errorum convincant. Sincerio- 26. *Phyſices diverſa ſyſtemata, falſa.*

CARTESII phyſicam tripliciter falſi convinci poſſe.

res autem fateri tenentur omnia ad minimum dubia eſſe & incerta, quando de cauſis naturalibus atque earundem effectis ratiocinari volunt. Carteſiani quidem ſe præ cæteris hic ſapere ſibi perſuadent; at non difficulter falſitatis convinci poſſunt circa phyſicam fere totam, tum (1) ex propriis ſuis Metaphyſicis principiis, quæ ipſi male ſecuti ſunt; tum (2) ex veritatibus aliunde indubitatis, quibus phyſica ſua principia & quæ ex iis deducuntur, repugnant aperte; tum denique (3) ex aliis quam plurimis hallucinationibus in quas inciderunt dum propria principia minus recte ſecuti, eadem quadam vi detorſerunt ad concluſiones minime ex iis ſequentes, ſed quibus opus habebant ut rerum phænomenis eſſent conformes.

27. *1. Ex principiis Metaphyſicis.*

XXVII. Ex Metaphyſicis principiis principia phyſica ſic deſumſit CARTESIUS, ut quamvis agnoſcat Deum eſſe *perfectiſſimum*, & *ab eo non niſi perfectiſſima opera prodire poſſe*, eundemque & *ſimplicem* eſſe & *conſtantem* non modo, ſed & *potentem* ſive activum, (Cart. Med. IV.) & *bonum* ſeu realitatum communicativum atque fertilem, & *pulcherrimum*, aliaque: tamen principia ſua phyſica ſic conſtituat in aliquibus ex iſtis attributis, ut ad cætera non attendat, nec etiam ea quæ ex uno principio ſequuntur, vere vel ex toto aſſumat: quod fallaciæ diviſionis & inconſequentiæ genus quoddam eſt. (Princ. part. II.) Verbi gratia, Ex *ſimplicitate* Dei una deducit unam motus ſecundum lineam rectam tendentis proprietatem, & nil præterea: (ibid.) ex *conſtantia* deducit & rerum & motus

motus continuationem in ſtatu ſuo ſuaque quantitate: Ex Dei infinita *potentia* & *bonitate*, opera Dei non nimis ampla & pulcra & abſoluta poſſe cogitari, cavendumque ne in eorum perfectionibus quoſdam limites nobis non cognitos, præfigamus: Ex *imperſcrutabilitate Sapientiæ* ejus, omnes rerum phyſicarum fines nobis eſſe abſconditos. Princip. P. III. Medit. IV.

At vero, quid lineæ rectæ commune cum *Simplicitate* Divina, vel cum repræſentatione ejus perfectionis, quæ collectim omnes Dei perfectiones in unum complectititur? An motus ſecundum lineam rectam ex eo ſequitur, vel probatur, vel illuſtratur, quod Dei omnes perfectiones ſint ſimul unitæ? Cur ex hac ſimplicitate non concluſit potius, Deum non ſic unum attributum ſolum repræſentare in operibus ſuis, vel in uno aliquo opere, ut repræſentatio aliorum attributorum inde ſeparetur? atque adeo & Dei ſufficientiam ſeu non indigentiam, liberalitatem, felicitatem, ſui ſecum concordiam ſeu pacem, luminoſitatem, gloriam, amorem, juſtitiam, unitatem, activitatem, & ſimilia, debere non excludi quando Dei opera eorumve leges & rationes conſiderantur in relatione ad cauſam ſuam, Deum ſic ut analoga inter illa & hunc, velut inter typum & Archetypum deprehendatur conformitas? Hæc ſane ex *Simplicitate* Dei, hoc eſt, ex omnium ejus perfectionum indiſſolubili connexione, magis ſequuntur, quam ex eadem motus ſecundum lineam rectam.

Cur etiam ex Dei *Conſtantia* non concluſit,

rerum ſyſtemata non debere interitui & deſtructioni eſſe obnoxia?

Cur ex ejus *potentia* & *activitate* & *fertilitate*, ut ſic dicam, non deduxit, motûs quantitatem datam non manere, ſed augeri in rerum natura, conſtituiſſeque Deum principia non ſterilia & veluti mortua, aut mere paſſiva; ſed activa, fertilia, & quæ ex paucis datis infinita producant?

Cur ex Dei *pulcritudine*, *concordia*, *luminoſitate* non deduxit principia, e quibus ſequeretur, in operibus Dei nulla eſſe deformia ſive monſtroſa, nulla ſibi adverſantia ſeque deſtruentia, nullaſque tenebras; ſed meram lucem, concordiam, pulcritudinem?

Quare ex *ſimplicitate* Dei & *Unitate*, atque perfectiſſima infinitorum attributorum *Multiplicitate*, nec non ex *Amore*, quo Deus omnia ſua ſimul in ſe velut in centro unit, ſingulaque etiam (ut ſic dicam) ſeorſim in ſe velut in propriis centris complectitur, (amore enim divino quævis attributa ſibi ipſis adhærent, ſe probant, in ſe feruntur; dein id agunt omnia ſimul in unum ſimplicitatis & unitatis centrum tendentia:) cur inquam inde deduci potius non poſſit, Deum ad ſe qua talem repræſentandum, impreſſiſſe materiæ motum quidem totius generalem quo feratur ea ad commune centrum, quibuſque vero partibus ſpeciales motus ad centra ſua propria, qui & attractionis, & rerum nexûs, & aliorum effectuum cauſæ fuerint.

Quare ex eo quòd Deus, dum *Amore* & *Deſiderio* ſua omnia in unum, prætereaque ſingu-

ſingula etiam in ſe quæque attrahit & concentrat, non tamen ita ſe ſuaque ſibi occultat; ſed ſe omniaque veluti ex centro ſibi in proſpectum & contemplationem expandens, luminoſe intuetur, non concludas inde eundem, ut ſe perfecte repræſentaret, poſtquam univerſam materiæ molem fecit ad unum centrum commune, ſingulas autem partes ad ſua quasque centra tendere, non ſinat eas ita in molem compactam tenebroſamque condenſari; ſed impreſſa reſultatione tum totius ex centro communi ad circumferentiam, tum uniuſcujusque ex centro proprio extrorſum verſus, totam omnesque partes reddat ita lucidas, ut ex univerſæ materiæ centro ſumma lux, ex cujuſque vero etiam particulæ centro lux quoque ſua eniteat; atque ſic nil occultum, nil tenebroſum; ſed omnia & lucida & diaphana ſint?

Quamobrem ex *imperſcrutabilitate Sapientiæ Dei* pronunciavit Cartesius veluti oraculum, omnes rerum phyſicarum fines nobis in ea eſſe occultos; non autem, eos quidem nulli creaturæ eſſe perveſtigabiles propria induſtria, ſique Deus non eſſet ſui communicabilis; at vero quoniam ſit liberalis, adeoque omnis luminis communicativus, eos præ cæteris omnium cognitioni primitus expoſuiſſe? Aut cur ex dicta imperſcrutabilitate Dei concludit potius fines rerum occultos eſſe, quam principia, regulas, leges, modos, ſecundum quæ Deus res effecit? Dei ſane agendi modus videtur occultius quid eſſe, difficiliusque eſt eum ſcire

vel divinare; quam quidem finem cur agat Deus, agnoſcere.

28. *Cauſa finalis cognitio in phyſicis contra* CARTESIUM *aſſeritur.* XXVIII. Namque ex *Sufficientia* Dei demonſtrari poteſt, Deum non agere propter ſui indigentiam; ſed eum ex placito bono liberalique velle extra ſe communicare ſeque, ſuoſque effectus. Se autem cum communicare non poſſit ſubjectis eum recipere aptis, ex hoc fine feciſſe res cogitantes, deſiderii, intellectus, & acquieſcentiæ facultatibus immenſis præditas. Ex eo autem quod ipſe (uti ens perfectiſſimum & digniſſimum) ſit ſcopus ſui & omnium, nec ſe poſſit negare, effectus ſuos, hoc eſt, res univerſi, non poſſe non eſſe Dei ejuſque perfectionum repræſentativas, ſive, rationes cur ſint, & cur tales vel tales ſint, deſumendas eſſe ex eo, quod Deus eas hoc fine hacque intentione ſic fecit, ut illæ ejus perfectiones perfectionumque infinitas combinationes infinitis ſyſtematibus, proprietatibus, effectiſque ſuis repræſentarent. Et quoniam Deus eſt Omnipotens, ſequitur, finem & intentionem quam habet in rebus producendis non eſſe inefficacem & effecto deſtitutam, ſed efficaciſſimam, hoc eſt, ſequitur cauſam finalem eſſe eam quæ res efficit, atque cauſam efficientem ad cauſam finalem eſſe referendam, rerumque adeo ipſarum non haberi cauſas ſolidas & ſufficientes donec ad finalem (quæ efficientiam complectitur, eſtque ejus motrix & exemplar) deventum ſit. Atqui hic poſſem ingenuas mentes omnes, quæ ſibi debite attendunt, teſtes conſcii ſui ſenſus vocare, num poſ-

poſſint ſolide in alicujus rei cognitione veluti completa acquieſcere, quando tamen neſciunt qua mente & intentione, quo ſcopo & ad quid res ea facta ſit, etſi alioqui ſcirent (quod difficilius & occultius revera eſt) quibus modis & mediis eadem eſſet facta? Quis pateretur ſibi ſatisfieri, ſi quærenti, v. g cur exercitus hoſtilis urbem aliquam cingat obſidione? reſponderetur, quoniam ſpiritus animales ex cerebris hoſtium in eorum muſculos eo modo fluxerunt, qui neceſſarius erat ad movenda eorum corpora tum verſus arma, tum verſus eum locum. Aut ſi poſtulanti cauſam ob quam ſuas ſcripſerit Meditationes Carteſius? itidem dicatur, id ex eo eſſe, quod ejus glandula pinealis impulerit ſpiritus in tubos admovendæ manui ad pennam & pennæ ad atramentarium aptos, ſimiliterque poſtea ad digitos calamo munitos eis modis motitandos e quibus fierent in papyro literæ & vocabula, unde ejus Meditationes conſtant. Quis, inquam, ita contentus eſſet ſi præter hæc nulla in reſponſione mentio fieret de mente qua vel hoſtis ſua direxit, vel Carteſius vocabula ejuſmodi adhibuit, idque ideo ſcilicet, quod illa in animis hoſtium vel Philoſophi occulta ſit, nemo autem eorum intentionem ac ſcopum ſine temeritate poſſit ſcrutari, perinde uti Carteſius de finibus Dei idem dixit. Cujus rei cauſa fuit hæc, quod non poſſet in Meditatione ſua IV enodare difficultatem haud (*a*) adeo inſolubilem; quare nempe, poſito finem Dei eſſe facere ſemper id quod eſt optimum, ſequeretur

(*a*) Hujus & ſimilium ſolutionem vid. Oecon du peché cap. 1.

retur tamen hominem eſſe errori (qui imperfectio eſt) obnoxium. hinc cum non poſſet aliter reſpondere quam dicendo, fines Dei hac in re non ſatis ſibi perſpectos eſſe, concluſit ab omnium finium conſideratione pariter eſſe abſtinendum: haud aliter ac ſi quis concluderet, nullos amplius hoſtium ſcopos, nullam in cauſa Carteſianorum ſcriptorum mentem ideo quæri debere, quod hac in quæſtione difficultas, & forte hallucinatio una atque altera interdum occurrat; quodque hoſtium finis in conſilio eorum occulto lateat, uti & mens Carteſii apud ipſum nobis jam ſit inacceſſibilis; ac proinde in cauſis phyſicis motuum deducendis ſubſiſtendum eſſe.

Quæ quidem ſi ridicula ſunt, uti revera ſunt, non minus profecto ridiculæ dicendæ ſunt in admirandis & perfectiſſimâ intelligentiâ factis operibus Dei, tum cauſæ finalis rejectio, tum vero deductio illa fabuloſa de fabricatione omnium rerum ex muſicis quibuſdam de motu legibus brutis. Quid quod Carteſius ipſe leges ſuas & principia ex finibus revera deſumſit, etſi verbis id diſſimularit.

29. *Ipſum Carteſium pro validis principiis ſtatuere & allegare cauſſas finales.*

XXIX. Namque quando dicit motum, v. g. quem Deus materiæ impreſſit, fieri ſecundum lineam rectam, idque eſſe ex *Simplicitate* Dei: idem prorſus eſt ac ſi diceret; quia ſcopus ac finis Dei fuit, repræſentare in operibus ſuis ſimplicitatem ſuam, ideo taliter de motu ſtatuit. Simili modo, quando durationem ſtatûs rerum & permanentem mo-

motûs quantitatem ex Dei immutabilitate atque *conſtantia* deducit; idem eſt ac ſi dicat, Deum in diſpoſitione ac regimine rerum eum finem ſibi propoſitum habuiſſe, ut immutabilitatem ac conſtantiam ſuam repræſentaret, & inde has in iſthac rerum ordinatione depinxiſſe. Similiter ſe res habet in omnibus aliis ubi ad perfectiones vel attributa Dei provocat. Vera finalis cauſæ allegatio iſta eſt, quæ quomodo etiam ſit rerum efficiens ſimili illuſtrabo.

XXX. Quemadmodum quando aliquid agere volumus, ad quod certa corporis noſtri poſitio certusque ſitus requiruntur, ſequitur ex vi intentionis optatæ ſpiritus animales in muſculos eo influere modo, corpuſque totum ita diſponi, uti par erat ad hunc ſitum atque effectum: ita, quando Deus ex fine repræſentandi ſe, ſuas perfectiones, infinitasque multiplicitates combinationis earum inter ſe, excogitavit in conceptu ſuo tum Univerſi Syſtema unum atque in eo capitalia aliquot generaliora, tum vero infinita particulariora corporum ſyſtemata, in quibus combinationes generaliorum proprietatum ineſſent, & quæ infinitis modis agerent; is Dei ſcopus, ea intentio non inefficax, ſed potens, ſic diſpoſuit univerſi materiam moleſque ejus diverſas, uti tales evaderent; nec non etiam eis immediate impreſſit principia motusque varios quibus in talia ſyſtemata formarentur, taliaque effecta ex eis ſequi poſſent. Quin, quod plus eſt, ex conſtantia Dei impreſſiones illas divinas motuſque principia, in unoquo-

30. Quod cauſſa finalis ſit & ipſa cauſſa efficiens. Qui ea detegi poſſit in ſingulis.

unoquoque ſyſtemate a divino ſcopo omnipotente pro cujuſque ſyſtematis natura & conſtitutione poſita, ſemper ibidem manere; nec unquam ex ſe divinaque ordinatione evaneſcere, evidenter datur concludere. Alia jam non addo; ſed, quæſo, nonne iſthæc omnia bene inter ſe cohærent, idque magis certe quam linea recta & ſimplicitas Dei apud Carteſium? Annon major eſt conformitas inter Deum Omnipotentem & ſufficientiſſimum, volentem ſe ſuaſque perfectiones & earum combinationes infinitas repræſentare, & hanc effectorum, uti jam diximus, poſitionem; quam inter Deum volentem repræſentare Simplicitatem ſuam, & lineam rectam pro regula motûs?

Jam ſi qui eſſent quibus Deus ſe ſuaque ſic communicaret, ut detegeret eis in ſe (Deo) primò quidem, (quod facilius videtur eſſe,) divinas ſuas perfectiones earumque inter ſe luſus & combinationes quatenus ſunt exemplaria rerum; deinde vero (quod apparet reconditum magis) vim intentionis divinæ, & qua ratione illa res efficiat & moveat; ii cauſſas rerum noſcerent à priori vere & ſolide: & nemo alius. Etenim jam a peccato rerum cauſſæ (quod male Carteſius de ſola finali) in Sapientiæ divinæ abyſſo reconditæ ſunt, atque illic per mentem Dei cupidam, ejuſque amicitiam & communicationem precibus rite efflagitantem, quærendæ ſunt, quantumvis iſthæc ſcioli, irriſores aut impii ignare rideant aut ſalſis ſeu inſulſis potius cachinnis excipiant, quando ipſi

potius

potius ſua ridere deberent (cum Socrate (a) apud Platonem) dum principia bruta & mechanica ad rerum præſtantiſſima mente factarum rationes reddendas allegant, quibus deinde fabellas ſuas ſuperexſtruunt ſecundum ejuſmodi leges e quibus oſtendi poſſit eos æque potuiſſe eſſe truncos quam homines, ſi cui luberet cum iſtis principiis ingenium ludendo exercere.

(a) in Phædone pag. 73. edit. Ficin.

XXXI. Et hoc ſatis ſubolfecit Carteſius, inquiens, (b) *principia ſua eſſe tam vaſta & tam fœcunda, ut multo plura ex iis ſequantur, quam in hoc mundo aſpectabili contineri videamus; ac etiam multo plura quam mens noſtra cogitando perluſtrare unquam poſſit*: hoc eſt, principia ſua eſſe vaga & inſufficientia ad hoc ut ſint cauſſæ determinatæ & propriæ effectuum qui revera exſiſtunt. Neque idem alienus videtur fuiſſe apud ſe a ſententia noſtra de rerum ortu ad perfectiones Dei repræſentandas, quem modo expoſuimus: ait enim (c) nec ſe credere res ita productas eſſe uti ipſe deſcribit; tum vero ſubjungit, *attendendo ad immenſam Dei* POTENTIAM, *non poſſe exiſtimari illum unquam quicquam feciſſe quod non omnibus ſuis numeris fuerit abſolutum*; idque *rationem naturalem plane perſuadere*. Cui ſi addas, tum ex *Conſtantia* Dei, impreſſiones quaſque, quas rebus quibuſvis indidit eas producendo, durare nec evaneſcere debere; tum ex ejus *bonitate* atque *fertilitate*, eaſdem impreſſiones eſſe ſui productivas, deſignabis generalius cauſſas atque effectus & proprietates rerum quales modo

31. *Principia ſua ſuſpecta reddit ipſe Carteſius, noſtraque confirmat, Inſtantia dua quibus mox reſpondendum.*

(b) Princ. part. III. artic. 4.

(c) ibid. artic. 45.

modo recenſuimus, ut mirandum ſit Carteſium hæc ipſa e datis principiis non concluſiſſe.

Et hic quidem eſt defectus ille primus, e quo diximus Carteſianos multorum in phyſicis falſorum argui poſſe.

Aſt, inquiet aliquis, ſi Carteſius ex principiis recenſitis talia deduxiſſet, non tantum ſuæ Phyſicæ, ſed omnibus phænomenis naturæ rerum, prout jam ea eſt, contradixiſſet. Hæc namque nec realitatum & motuum productrix eſt, nec corruptioni non obnoxia, nec luminoſa, concors, glorioſa, nec, uno verbo, talis, qualem ex principiis a Dei proprietatibus ſupra deductis, eam diximus eſſe debere: ſed potius tota, in multis ſaltem, mechanicia eſt & veluti mortua, tenebriſque & corruptione, pugnis & deformitatibus deturpata: quod & cum principiis Carteſii concordat, & eorum veritatem experimentali probatione confirmat. Inſuper, ſi rerum finales cauſæ conſulendæ eſſent, cur eas Deus a nobis occultaſſet?

Phyſicam Carteſianam multis veritatibus certis adverſari; & proinde falſam eſſe.

32. XXXII. Hiſce dum reſpondebo, oſtendam ſimul (quod alterum eſt modo (*a*) a me notatum) qui Carteſii principia multaque ex iis deducta veritatibus quibuſdam aliunde indubitatis adverſentur. Carteſii mens & verba ſunt: (*b*) *Auctoritatem Divinam noſtræ perceptioni eſſe præferendam. Memoriæ noſtræ pro ſumma regula eſſe infigendum, ea quæ nobis a Deo revelata ſunt, ut omnium certiſſima eſſe credenda: & quamvis forte lumen rationis quam maxime clarum & evidens, aliud quid nobis ſuggerere videretur,*

(*a*) ſupra num. XXVI.

(*b*) Princip. P. I. art. 78.

retur, *ſoli tamen auctoritati divinæ potius*, *quam proprio noſtro judicio fidem eſſe adhibendam.* Atqui e divina revelatione (*a*) conſtat, naturam rerum conditam fuiſſe in ſtatu in quo omnia erant *optima*, ſic ut & terra ex ſe omnis generis bona, ſine ullo *labore*, etiam ſine *ſpinis* & *carduis* produxiſſet; homines vero & *anxietates* & *dolores* neſciviſſent; tum *mors* & mortis cauſa conſequenter, rerum videlicet pugnæ intemperieſque elementorum, putrefactiones, tenebræ, exceſſus, atque *vanus* & *inglorius* creaturarum ſtatus, quæ Paulus per peccatum introducta eſſe aſſeverat, ignorata fuiſſent. Eadem divina revelatio præterea affirmat, omnia in ſtatum ejuſmodi *glorioſum*, *luminoſum*, *potentem* atque *concordem* reponenda eſſe, id quod *reſtaurationem*, *relevationem*, *repoſitionem rerum in* primævam *libertatem* appellat, & hunc naturæ felicem glorioſumque ſtatum *æternum* fore declarat, excepta portione impiis debita, quam Deus lumine ſic deſtitutam relinquet, ut in ea & miſeri maneant perpetim & mori non poſſint. His igitur quæ de ſtatu ſolido, vero, primævo naturæ, a quo quidem ipſa per peccatum dejecta eſt, ſed in quem tamen eſt reponenda, revelat cognitor naturæ, idemque ejus fabricator perfectiſſimus Deus, æquum fuiſſet a Carteſio (omnibuſque cæteris) aſſenſum præberi; idque eo magis, quod eadem ex Divinis attributis ſequi recta evincat ratio, uti modo oſtendum eſt: atque a deo rerum principia quæ quærebat ut eſſent vera, cum hiſce debebant concordare & accommodari;

(*a*) Vide ex pluribus: Gen. 1:31. & c. 3: 17, 18, 19. Deut. 32:4. Pſal. 49: (vulg. 48:) ℣. 21. Iſa. capp. 11:5. & 65:17. & 66: 22. Ezech. 28:12. &c. Sap. 1: 13, 14. Act. 3: 20. Rom. 5:12. & c. 8:19, 23. Apoc. 17: 17. & cap. 19. & 21, 22. Et confer. Cog. Rat. Append. p. 612. & Oecon. de la Creat. in Præfat. & Tom. I. II. & V.

modari: quibus cum repugnent, certiſſime ſequitur eadem eſſe falſa. Quod autem videantur interdum vera eſſe & cum rerum naturæ experimentis conformia, id ſic ſe habet.

33. *Cur principia Carteſii, etſi falſa, cum experimentis tamen ſint interdum conformia.*

XXXIII. Homo peſſime ſeſe erga Deum Creatorem ſuum geſſit, ejusque creaturis eſt abuſus. Ergo, ex *juſtitia*, Deus ea, quæ modo diximus in entis natura non eſſe eſſentialia, ſed ex Dei gratioſa liberalitate accedere, maximam partem ſuppreſſit, ſivitque ex hominis inordinatione omnia fieri languida, tenebroſa, confuſa, æruginoſa, rigida, cadaveroſa: ita ut ad veram & primævam naturam comparata non aliter ſe habeant, quam cadaver ad vegetum hominis corpus. Quemadmodum autem circa cadavera, eorum motum, conſervationem, putrefactionem, aliaque poſſunt multa obſervari certa, unde leges certæ & exprimentis conformes fiant, ſed quas tamen abſurdum eſſet pro principiis naturæ corporum viventium venditare, cum non ſint niſi obſervationes de ſtatu acceſſorio, corrupto, mortuo & non manſuro cadaverum; ita de principiis Phyſices Carteſianæ deque dogmatibus & experientiis ejus idem plane dicendum eſt. Sunt obſervationes nonnullæ ſuperficiariæ de ærugine acceſſoria nec duratura, ſive de cadavere naturæ; ſed quæ a principiis veris naturæ vegetæ & primævæ, vel ejuſdem a morbo ſuo reſtitutæ magis abſunt ac cœlum a terra, aut tantundem atque principia Ariſtotelica a rerum veritate. Et ſane id experientia ſplendide confirmat.

Namque

Namque ſi Philoſophi Carteſiani præ cæteris vera naturæ principia nacti eſſent, fieri non poſſet quin eorum ope vita humana & longius produceretur, & a morbis facillime liberaretur, aut ab iis immunis conſervaretur: cum tamen non videamus Carteſianos cæteris hominibus diutius vivere, aut etiam minus morbis eſſe obnoxios.

Eâ vero juſtitiâ qua Deus liberalitatis ſuæ gratioſa fluenta ab ingratis inhibuit, eâdem & particulares rerum ſingularum cauſas finales, quæ & efficientes ſunt, iis cognoſcendas offerre noluit, niſi admodum paucis, quibus nunquam licitum fuit cum profanis aut minus diſpoſitis eas communicare. Generales tamen ſatis proſtant attendentibus, quod alibi me (a) oſtendiſſe puto.

(a) Cogit. Rat. p. 417. &c. Oecon. de la creation.

34.

3. Phyſica Carteſiana falſitatem tertiò oſtendit inconſequentia ex propriis principiis, Exempla illius circa Carteſii vortices, tria elementa, lucem, phænomena ſolis & ſtellarum, gravitatem, magnetam.

XXXIV. Longior forem, ſi ſingulatim oſtendendum eſſet, (qui tertius ſupra dictus errorum fons eſt) quomodo & ex propriis principiis brutis mancisque multa aliter derivaverint Carteſiani atque par erat; aut potius quomodo detorſerint & ad rerum phænomena accommodaverint concluſiones ſuas, quæ ſane aliæ ex datis confici debuiſſent. Sufficiat ſola unius atque alterius indicatione, non autem deductione justa (quæ & cuivis attendenti facilis erit & hic eſſet prolicior) nunc palam id facere.

35.

Vortices Carteſianos ex mera vi

XXXV. Viderint & judicent ſinceriores, annon ex legibus brutis de mutu, negato interventu cauſæ agentis quæ ex intelligentia & vi intentionis ſuæ omnia diſponat, debeat ſequi, Carteſianos vortices, hoc eſt, in-

gentes

& legibus naturæ bruta, ne quidem eſſe probabiles, aut etiam poſſibiles. gentes materiæ fluidiſſimæ moles, quarum partes ſingulæ omni tendunt conamine ut a ſuo vortice in omnes alios recedant, non poſſe, non dico per annum, ſed ne per menſem quidem aut diem unum ſubſiſtere, quin ſimul in unum chaos confundantur. Mirus eſt Carteſius in repagulis & æquilibriis condendis quæ vorticibus ſuis apponat, quaſi inter muros æneos, aliquibus tantum particulis pervios, unuſquiſque verſaretur.

36. *Genera tamen, figuram, ſitum trium elementorum Carteſii ex principiis ſuis non ſequi uti proponit.*

Globulos ſecundi elementi debuiſſe potius eſſe ellipticos, non ſphæricos.

XXXVI. Sed nec in elementorum ſuorum generatione figuraque & ſitu conſtituendis minus mire agit. Poſtquam gratis ſuppoſuit materiam ſuam in partes æquales per motum diviſam eſſe & quaſque partes ſua circa centra rotare, concludit primo eas fieri debere globulorum inſtar rotundas. At vero debent potius ellipticæ fieri: nam quia rotantur ſingulæ circa ſuum axem, atque adeo ſingulæ circa ſuum polum lentius moventur minuſque deteruntur quam circa eclipticam, ubi longius ſpatium æquali tempore conficiendo, celerius utique moventur, magiſque idcirco & vehementius in corpora circumfuſa impingunt: (quod, nî fallor, in tornandis vitris a Carteſio non præviſum, ejus omnes machinas reddidit ineptas) patet inde, particulis figuram ovalem ſive ellipticam hinc accedere debere, non vero ſphæricam: niſi forte ad evitandum hoc incommodum, ſupponere velit Carteſius globulos ita eſſe diſpoſitos (quod de vorticibus dixit,) ut prope unius globuli polos ſint eclipticæ alterius; vel eos non circa fixum axem certum, ſed ita

ita gyrare, ut puncta ſingula totius ſuperficiei ſuæ ſphæricæ fiant ſucceſſive puncta axis. Verum tantæ varietatis cauſam, ubi opus erat, ageretque de primordio impreſſi motus, non modo nullam aſſignat Carteſius; ſed & id regulis motus adverſaretur. Etenim, dum infiniti illi globuli, qui totum verticem Solarem conſtituunt, & diverſa in eo efficiunt plana, quæ circa diverſas axis verticis ſolaris partes tanquam circa ſua (quorumque planorum) centra gyrantur; globuli inquam illi omnes & ſinguli ſuos axes particulares ita accommodare debent ad axem communem vorticis, ut ei fere paralleli ferantur. Ratio hujus parallelismi inter axes globorum & axem Vorticis ſolaris hæc eſt, quod cum in unoquoque globulo toto eadem ſit undique ſoliditas, debeant omnes globorum partes & facies recedere æqualiter, quantum fieri poteſt, ab axe vorticis ſolaris circa quem gyrantur: id quod non fieret ſi unus globuli cujusque polus reſpiceret introrſum magis verſus axem vorticis ſolaris, alter vero globuli polus ei axi obverſus eſſet: tunc enim gyrando circa axem Vorticis, pars ſeu facies globuli introverſa, minorem circulum, obverſa ambitum majorem circa axem vorticis efficeret. Vide hanc ad rem quid de Luna dicat Carteſius, *Princ. III.* §. 152. atque ita axis uniuscujusque globuli ab ecliptica plani ſui, in quo verſatur, ſecari ſic debet, ut pars ejus infra, pars vero ſupra eclipticam ſit, qualis præter propter ſitus eſt terræ circa ſolem gyrantis: quod & inſtantiam

alla-

allatam ſubvertit, & ellipticam figuram globulis aſſignat. Inſuper, ſi puncta ſingula ſuperficiei globulorum confuſe & ſucceſſive fiant modò puncta axis, modò circuli nunc majores nunc minores: perit tota colorum atque adeo Iridis Carteſiana explicatio, in qua quippe ſupponit globulorum axes veluti fixos eſſe, eundemque ab illis ſitum durabiliter ſervare, ut circularis eorum motus cum progreſſivo vel directo comparatus, colores diverſos & fixos repræſentet. Atque hæc de ſecundo, quod ſic appellat Carteſius, elemento.

37. Materiam primi elementi non debuiſſe ad centrum confluere in Spheram, ſed ad axem totius vorticis in modum columnæ.

Hunc locum & ſitum debuiſſe quoque a tertio elemento occupari.

XXXVII. Primum autem elementum eſt materia ſubtiliſſima, ex angulis globulorum abraſa, quæ dum formatur & augetur, quod plus ejus eſt quam ut interſtitia globulorum repleat, nec per eclipticam elabi totum poteſt, ad centrum vorticis repelli dicitur. At cur non potius ex ecliptica, per quam ulterius erumpebat in vortices innumeros contiguos, ſiquidem motûs infinite celeris erat capax, nec deerant poli vel ſpatia inter globulos vorticum circumſtantium eam recipere apta? Sed benè: eat ad ſui vorticis centrum. At vero cum totus vortex circa axem gyrans conſtet diverſis planis circularibus quæ plana ſingula circa diverſas axis partes tanquam circa propria centra volvuntur; cur ad centrum ſphæræ, ſive plani maximi, omnis illa materia confluet, non autem ſingulæ particulæ in ſingulis planis ad ſuorum centra planorum potius repellentur? atque ita, cur non ad axem formabitur in columnæ ſpeciem?

ciem? Niſi potius is locus tertio elemento de jure debebatur: nam cum hoc ineptum ſit ad motum, debuit omnino, ex legibus motus, ad centra omnium circulorum, quos totius vorticis diverſa plana circa diverſas axis partes deſcribunt, repelli: hoc eſt, debuit tertium elementum totum axem vorticis occupare. Nec dicas, id inde expelli debuiſſe a materia primi elementi per polos vorticis ex vicinis vorticibus affluente: nam cum tertium elementum ſupponatur formari ex primo & in primo, imo & in ipſis vorticum centris, procul dubio (quod Carteſius de cruſta terræ interiore & aliis adjacentibus dicit) materia primi elementi in maſſis illis columnaribus tertii elementi, meatus & poros ſibi ad tranſitum illum ſuppoſitum ſufficientiſſimos ſervare, ne dicam excavare potuit. Atque ſic tum Solis loco, tum in vorticibus aliis omnibus, ubi tertii elementi quantitas aliqua reperitur, haberemus columnas compactas, eaſdemque obſcuras & totum vorticis ſui axem a polo ad polum occupantes: quod mirum ſane & alterius mundi foret ſpectaculum.

XXXVIII. Jam de *luce*: ſi ea efficeretur a globulis vorticum quatenus a vorticis centro recedere conantur, quoniam non tantum adeſt conatus recedendi a centro totius ſphæræ ſeu Eclipticæ, ſed & a centris omnibus circulorum quos plana diverſa globulorum non modo circa eclipticæ centrum, ſed & circa totam axis longitudinem a polo ad polum deſcribunt, ſequeretur inde manifeſtiſſime ſolem teretem eſſe debere inſtar columnæ, pariterque

38. Juxta Principia Carteſii de luce, Solem debere lucere teretem, inſtar columnæ; ejuſque ſolam occidentalem plagam vi-

M

dendam eſſe, atque eam inſtar trabis, eo magis fulgentis quo magis a centro Solis recedit.

riterque & ſtellas omnes. Inſuper quia maxima receſſio ſeu maximus recedendi conatus qui per hanc gyrationem efficitur, non fit niſi ſecundum tangentes circulorum, quos deſcribunt globuli inter ſuperficiem Solis & circumferentiam vorticis ſui gyrantes, ſequeretur tum in Sole illo columnari nil nobis videri præter ſolam occidentalem partem eam, a qua tangentes ad nos veniunt; tum & a ſingulis globulorum circulis qui ſolem inter & terram circumfluunt, venientes lineas tangentes, hoc eſt, radios ibidem interjectos videri debere, atque ita Solis pars occidentalis tanquam caudata, cometæ inſtar, conſpicienda eſſet, cauda ſemper creſcente a mane, ad veſperam uſque, dein poſt occaſum ſola cauda ad mediam fere noctem uſque decreſcens appareret: quod e ſola figuræ R inſpectione patet, in qua *S* ſit ſol gyrans juxta ordinem literarum *a b c d* cum globulis ſui vorticis, inter quos verſetur tellus *T*, circa axim proprium gyrans ſecundum viam 1, 2, 3, 4. Si globuli omnes conentur recedere a centro ſecundum tangentes circulorum, quos circa Solem deſcribunt, evidens eſt, globulos ſolos ſolaris lateris *a*, quod latus e terra proſpicientibus eſt pars Solis occidentalior, tendere verſus *T* vi hujus gyrationis: globulos autem qui ſunt in parte *b* non tendere ad *T*, ſed verſus *l*: multo minus eos qui ad *c* (partem Solis orientalem) tendere ad *T*, ſiquidem omnium longiſſime inde recedant, puta verſus *m*. Proinde habitantibus in *T* verſus 3, ſola pars Solis *a* videri

Fig. R.

deri

deri poſſet: at illis qui habitant verſus 4, videri deberent radii omnes globulorum, qui ſunt in circulis quorum tangentes ex occidentali parte vorticis ad 4 terminantur, v. g. in circulis *e, f, g, h, i*, tuncque cauda ſolis ibi apparitura eſſet ejus fere longitudinis cujus eſt ſemidiameter circuli quem tellus annuo motu circa ſolem deſcribit: habitantibus vero ad 1, ubi inſuper recipiuntur radii ex ſpatio inter *i* & *k*, eadem cauda adhuc longior conſpiceretur: at inde progrediendo ab 1 ad 2, ſola cauda trabis inſtar paulatim diminuens tandemque diſparens verſus *x* aut *o* iis qui in 2 & ultra verſantur. Atque notandum eſt, caudam illam occidentalem meridionali & orientali Solis parte eo ſplendidiorem apparere debere, quo magis patet globulos e locis & circulis *efghikx* ad *T*, vi gyrationis ſuæ vehementius ruere, quam eos qui ſunt in parte ſolis *b* & *c*. Imo & cauda hæc vividior ſplendidiorque apparere deberet, quo magis a ſole abſunt circuli unde tangentes ad terram veniunt; atque ita fulgida magis videnda eſſet in *x* vel *o*, quam in *p*: & magis in *p*, quam in *q*, vel *i*, & ſic deinceps: tum quia globuli a ſole remotiores celerius & majori vi moventur quam propiores; tum etiam quod in remotioribus circulis puncta a quibus tangentes, ſeu radii, procedunt verſus *T*, minus diſtent a *T* quam in circulis Soli propioribus, ut patet in punctis ſeu radiis *x*, *k*, *i*, *h*, *g*, &c. Et ſane ſi ſpatium *T* vacuum fieret, non illuc properarent ad id replendum globuli contenti in ſpatio con- Fig. R.

Fig. R. co *a T c*: ſed potius illi qui ſunt in ſpatio *a e f g h i k x T a*, & quidem qui circa *x k i* omnium vehementiſſime, cæteri paulo minus vehementer.

39. *Carteſius fruſtra probare conatur radios ex ſingulis punctis Solis quaquaverſum in vertice diffundi.*

XXXIX. Scio non deeſſe Carteſio unam atque alteram ratiunculam, vel potius comparatiunculam, ab ipſo (ut putat) motu globulorum deſumtam, quibus oſtendere conetur eos qui in *b* & *c* ſunt, ad *T* quoque tendere debere; ſed hæ revera ſi tantillum examinentur, mancæ ſunt ac nullæ: &, ſi quæ eſſent, tendentia tenuis globulorum in *b* & *c* verſus *T*, præ vehementia illorum qui in *x*, *k*, *i*, *h*, *g*, *f*, *e*, *a*, ita evaneſceret, ut, veluti in ſtellis meridiano tempore, plane ſentiri non deberet. Quare Carteſius non diu his inſiſtit; ſed ad materiam ſubtilem in ſole *S*, qua negotium peragatur, ſe recipit. Verum & hæc materia primi elementi (ut ei dicitur) fruſtra fingitur in Sole omnes ejus particulas, eiſque circumjacentes globulos, quaquaverſum impellere, atque ita ſolem totum viſibilem reddere; tum quia ipſa etiam circulariter moveri cenſetur perinde ut globuli, atque adeo motum eorum, ſi quem imprimit, auget tantum verſus eam partem qua illi jam prius tendebant; tum quia, etſi ille cauſetur eam materiam, quando nova ſemper per polos ſolis tanquam per tubum ingreditur, eadem vi, perinde ut aër in fabricatione ampullæ, quaquaverſum ad totam ſuperficiem internam globulorum circumjacentium repelli, id tamen novas potius difficultates parit, quàm priorem ſolvit;

quam

quam etiamſi ſolveret, tamen pars ſolis occidentalior millecuplo clarior apparere deberet quam altera, adjuta quippe propria globulorum ſuorum gyrantium tendentia ad nos, quò cæteræ ſolis partes globulos circumpoſitos non ita determinant.

40. *Per materiam primi elementi, corpus ſolis per polos ingreſſam, non poſſe Solem reddi lucidum.*

XL. At vero nihil infelicius eſt iſto de materia per Solis polos ingrediente invento. Namque, ſi materia illa primi elementi per Solis polos corpus ejus ingreſſa, ibique quaquaverſum mota, minorem habeat conatum recedendi a centro Solis, quam globuli circumjacentes, ſequitur ex legibus motus, hos non poſſe per illam pelli, neque adeo per eandem lumen nobis communicare: ſin majorem habeat, ſequitur itidem neceſſario, eam debere inde elabi, globulis ei cedentibus & verſus centrum Solis ab ea repulſis, adeoque per illos non lucem ſed tenebras potius nobis communicari. Niſi forte Carteſius intra concavam ſuperficiem Solis circum materiam ingredientem primi elementi muros quoſdam atque parietes fabrefaciat, perinde uti vitriarii, qui dum ventum per tubulos intra materiam eis adhærentem immittunt, eadem inflatione ampullas ſive parietes vitreos conficiunt, quibus parietibus impeditur ne intruſus elabatur aër, fitque ut hicce quaquaverſum uniformi modo diffundatur. At tunc ſolares iſti parietes dubio procul verterentur in maculas, quæ Solem potius obſcurarent vel extinguerent. Et vero quî fiet ut materia illa dum verſus globulos impellitur non elabatur, ſiquidem inter ternos quoſque

globulos reperiat ſpatia triangularia infinita, ejus totius recipiendæ & tranſmittendæ eo capaciora, quo plura ſemper & majora accurrunt, prout a Sole longius receditur.

Fig Q.

41. *Materiam ſubtilem corpus Solis per poros ingredientem, non debere in globum concervari, ſed in cylindrum, vel ellipſin aut rhombum extendi.*

Fig T. Fig. V.

XLI. Imo novum incommodum: materia ex polo vorticis ſolaris *A* (fig. Q.) ſecundum axem ejus ad Solem per hujus polum unum *a* impetuoſe accurrens, non deberet ibi reflecti in circulum *a b c d*, ſed per polum Solis alterum *b* pergere ad finem uſque vorticalis poli alterius *B*, a quo etiam reciproce materia alia eodem modo ad Solem per *b* decurrens inde ultra ad polum oppoſitum A fluere deberet; atque adeo vel nullum Solem, vel Solem teretem inſtar cylindri ſeu columnæ *A c B d A*, vel ellipſeos, uti in figura *T*, aut coni duplicis per baſes juncti ſive rhombi, uti ad *V* haberemus: idque propterea, quod globuli rotantes circa totam axis vorticalis longitudinem, conentur ſinguli recedere a centris circulorum, quos ab uno polo vorticis ad alium circa diverſas longitudinis axis partes deſcribunt; atque adeo enitantur totum vorticis axem relinquere vacuum, quem non poteſt non occupare materia ſubtilis, verſus polos eadem via qua appellitur progrediendo, cum facillime ei cedant globuli axis verticalis jam aliunde ad aufugiendum parati, nedum eam repellere apti ſint.

42. *Ex Carteſii principiis, generalia phænomena terræ & circa*

XLII. Neque ſolum hæc incommoda atque falſa, quibus cuncta cœlorum phænomena deſtruuntur, ex Carteſii principiis vorticibuſque ſequuntur neceſſario; ſed & alia generaliſſimis oppoſita quæ terram concernunt,

nunt, quæque circa terram obſervamus, *terram, perverti.*
qualia ſunt, v. g. *figura* terræ, *gravitas* ac *ma-*
gnetiſmus. Et primum quidem, quia terra
(juxta Carteſium) antequam a Sole abſor-
beretur, erat ipſa parvus quidam Sol; igitur
quæ de figura Solis modo diximus, id terræ
competere deberet, cujus figura vel cylin-
dracea eſſet, vel elliptica, vel rhombiformis.

Oſtenditur in figura telluris, & in corporum gravitate.

Gravitatem autem ita obſcure explicat
Carteſius, ut neſcias an velit dicere eam effi-
ci a materia ſubtili ſive globulis cœleſtibus,
quatenus a centro vorticis ſolaris recedere
tendentes offendunt in via circa terram ma-
teriam quam gravem dicunt, quæ receſſum
illum a centro impediat; an vero procedat
ab iiſdem globulis, quatenus circa Solem in
orbita ſive circulo annuo terræ gyrantes, im-
pingunt in terreſtrem materiam circulari ſuo
curſui circa Solem obſtantem; an denique a
globulis vorticis terræ propriis, quæ gyrum
proprium circa terram faciunt & a telluris
centro recedere conantur. In primo caſu,
ſtatuendum eſſet, corpora gravia repelli de-
bere verſus Solem ea via, qua radii ſolares ad
nos veniunt, hoc eſt, verſus occidentalem
Solis partem *a*, (Fig. R) item verſus ſpatium Fig. R.
e f g h i k x, pro diverſa terræ, ubi corpora
gravia jaciuntur, ad ea loca poſitione: in
ſecundo deberent corpora gravia repelli
cœlum verſus, ad eam partem orbitæ
quam progreſſu ſuo circa Solem quotidie
relinquit terra: in tertio vero deberent gra-
via ad terram juxta lineam horizonti pro-
pemodum parallelam a parte orientali verſus

occidentalem ferri, aut ad minimum non verſus terræ centrum, ſed verſus axem ejus propelli. Quorum omnium cauſa eſt, quod materia gravis protrudi debeat verſus eum locum quem cœleſtes globuli proxime & potiſſimum paratiſſimi ſunt deſerere: quem locum pro modo, quem diximus, variare nemo per ſe non perſpicit. Hæc enim tantum indi-
43. camus.

Magnetis explicatio Carteſiana, in particulis ſtriatis & intortis fundata, nulla eſt.

XLIII. Magnetis autem, quam ex principiis ſuis proponit, explicationem, ea prorſus eſt inconſequens & deficiens. Fundatur enim tota (*a*) in ſtriatis ſuis particulis, quatenus contortæ ſunt, & contortæ quidem modis oppoſitis. Sed neque iſta contorſio, neque etiam ulla talis materia oblonga & ſtriata ex ejus principiis ſequitur, niſi incredibilia quædam & aperte ficta ad eas ſtriandas & contornandas in medium adducat, quod vix ſine figura bene explicari aut capi poſſet.

(*a*) Princip. p. III. art. 90, 91.

Fig. X. Sit EFGH (fig. X.) pars vorticis alicujus ſuperior circa polum, globulis conſtans gyrantibus ſecundum ordinem literarum E, F, G, H, per diverſos circulos *b*, *c*, *d*, *e*, &c. circa centrum A. Supponamus jam materiam e vorice ſuperne incumbente in hunc polum affundi, & prænotemus in illa hæcce tria: 1. eam nondum formatam eſſe in ſtrias contortas; (neque enim formationem hanc refert Carteſius ad elapſionem ejus ex vortice per eclipticam & globulos modo minores, modo majores, eoſque inæqualiter gyrantes, inter quos dum huc illuc inæqualiſſime movetur, non poſſet non frangi; ſed ingreſſum in polos,

los, & quidem diverſe intortos.) 2. Eam antea nondum rotaſſe circa centrum, (tunc enim in globulos formata fuiſſet;) ſed motam fuiſſe irregulariſſime, potiſſimum vero antrorſum. 3. Eandem materiam non poſſe ſtatim in primis globulorum occurſibus plene & ſolide ſtriatam formari, niſi eadem facilitate ad quemvis oppoſitorum corporum occurſum figuram ſuam mutet, & ad quodcunque ſpatium ſeſe accommodet. Itaque videamus nunc quî materia ejuſmodi informis, confuſe antrorſum mota, facile impreſſiones & aſſumens & immutans, formari debeat intra globulos novi vorticis quem circa polum ingreditur.

XLIV. Et primo quidem patet eam quæ intra ternos globulos contiguos cadet, fieri debere triangularem, angulis acutis & lateribus cavis conſtantem. At quoniam ſub his globulis ſubeſt aliud folium ſeu aliud planum globulorum itidem ſic motorum, hiſque rurſus planum aliud ſubjacet & ſic continuo, fieri non poteſt quin fere ſemper tribus quibuſque globulis aut eorum interſtitio ſubſit, directeque opponatur in plano ſubjacente alius & quartus globus, (eſt enim hic ſitus naturaliſſimus) qui tranſeunti materiæ directò occurrat, eamque ſtatim retundat. Hæc materia obtuſa omnino retrorſum repelleretur (non enim pollet pellere globulos) niſi nova ſuperveniens, illamque vi protrudens, cogeret eam ulterius pergere, non quidem per lineam rectam, cui obſiſtit globulus ſuppoſitus, ſed ad latus per unum ex tribus ſpatiis triangu-

44. Formationem particularum in ſtrias tornatas, eſſe impoſſibilem.

laribus, quæ globus globulis tribus ſuppoſitus ad latera relinquit: quò cum pergit, iterum ut plurimum novo occurrit globulo obſtanti ut prius, eamque retundenti relictis itidem tribus ſpatiis ad latera, quorum unicuique rurſus objicitur alius globulus, & ſic in infinitum, ita ut materia tranſiens non poſſit moveri per lineam rectam, & verò debeat ſemper flecti & frangi, dum ex ternione globulorum unius plani tranſit ad alium in plano ſequenti. Unde patet (ſecundo) particulas haſce fieri non poſſe inſtar columnarum rectarum ſtriatarum, ſed veluti pyramides aut triangula ſolida, quorum angulus anterior, in globulos ternioni directe oppoſitos ſemper impingens indeque reflexus, obtuſus ſit & veluti rotundatus.

Tertiò patet, etiamſi, (quod impoſſibile eſt naturaliter,) ponamus globulis ternis in centro A gyrantibus juxta numeros 1, 2, 3, ſubeſſe alios ternos, hiſque rurſus alios, ita ut ſemper interſtitia interſtitiis reſpondeant, materiæque influenti tranſitum rectum & liberum relinquant, non poſſe tamen particulas materiæ ſtriatæ quoad ſtrias ſuas intorqueri, niſi duo ſupponantur: alterum, particulas illas longiores eſſe diametro unius globuli; alterum vero, globulos ternos, ternis ſemper in plano ſubjacente immediate reſpondentes, ita ſimul cum ſuperiori ternione circa centrum moveri; ut tamen celerius paulo aut lentius circulum abſolvant. Neque enim particula ſtriata intorqueri poteſt, niſi dum una ejus extremitas hæret, v.g. inter globulos A, A, A (vid. fig. Z.) in ſpatio *f*, *i*, *i*, *i*; altera

Fig. Z.

altera pars ſit inter globulos ſubjacentes BBB, in ſpatio f, 2 2 2 a priori paululum deflectente; tertia vero (ſi adſit) inter globulos C C C in ſpatio f,3 3 3, adhuc magis inflexo. Ad quod requiritur, tum, ut particula quævis longior ſit diametro unius globuli, quò ita duæ ejus extremitates eodem tempore duo ad minimum ſpatia triangularia inter duo plana globulorum occupent; alioqui enim ab uno ternione circulante abriperetur ſine reluctantia, nullaque fieret intorſio: tum ut globuli terni primis ternis ſubjacentes, parum lentius vel celerius moveantur, ita ut dum primi, v. g. circulum ſuum circa centrum f abſolvunt, alteri B B B, qui ſubſunt, ita cum illis pergant ut tamen pluſculum moti angulos ſive cuſpides ſpatii ſui triangularis 2, 2, 2, parum promoverint & deflexerint a cuſpidibus primi 1 1 1; idemque de tertiis C C C, deque eorum motu celeriore aut lentiore, cuſpidumque 3 3 3 ſituatione dicendum. Ita demum in ternionibus (& ſic in omnibus ab uno polo ad alium) dum anguli cuſpidum 1, 2, 3 paulatim inflectuntur, materia oblonga per interſtitia globulorum tranſiens, ſimiliter contorquebitur: quod fieri non poſſet, ſi terniones uniformiter ſeu æque celeriter moverentur, ſique ita omnes ſpatii triangularis *f* cuſpides 1, 2, 3 in omnibus planis globulorum ſimiliter motæ, in eadem linea recta ſibi reſponderent: tunc enim materia ingreſſa rectà pergeret ſine intorſione. Fig. Z.

Et hæc quidem de iis tantum globulorum ternionibus qui ſunt in ipſo axe, circa quem to-

tus vortex gyratur: de iis autem qui ſunt ad
Fig. X. latera axis & circa axem decurrunt (fig. X.) in circulis B, C, D, E, longe aliter ſe res habet. namque de his clariſſime patere puto, nullam materiam ſubtilem poſſe inter eos in ſtrias contortas formari vi rotationis eorum circa axem vorticis: ſiquidem ternio quivis globulorum, v. g. qui in E unam tantum intorſionem facere poteſt, tota eo tempore quo circulum totum *E F G H* circa poli axem abſolvit, ut in figura patet: angulus enim *l*, qui dum ternio globulorum eſt in E, ſupremus eſt ſpatii triangularis inter globulos, quarta parte circuli peracta in F fit lateralis: medio curſu abſoluto in G infimum locum occupat: poſt tres quartas eſt lateralis dexter in H, donec toto circulo peracto in E ad priorem locum ſupremum redeat, atque ita unam intorſionem acquirat. Ut ergo una pars intorquendæ materiæ vel unam contorſionem acquireret dum per globulos hos tranſit, deberet ea particula ab ingreſſu ſuo in ternionem ad exitum ibi permanere tantum temporis donec totus vorticis circulus ſit abſolutus; vel dimidiam, quartam, octavam partem temporis ejus, ut dimidia vel quotacunque pars circuli abſoluta imprimat dimidiam vel quotamcunque unius contorſionis partem materiæ inter globulos permanenti: cum tamen vix poſſint globuli locum mutare quin particulæ plures intermeantes jam fuerint elapſæ; quippe quæ celerius multo moventur quam globuli: globulorum autem circulus, (maxime eorum qui parum remoti ſunt ab

axe,)

axe,) hora, die, menſe interdum vix fiat.

Quod ſi dicas, globulos plani ſubjecti moveri circa axem poli, & quidem paulo celerius, idque intorquendæ materiæ ſufficere; ajo contrarium eſſe verum: non enim moventur uti illi in figura Z, circa centrum ſui ternionis; ſed circa axem vorticis ſui rotantes, ſubducuntur iis qui immediate in folio ſuperpoſito illis incumbunt, eo modo qui videri poteſt ad C, in globulis 10, 11, 12; & alii in eodem circulo proxime adſtantes, eos in linea fere recta protrudunt: quod ſane materiam ſtriatam rumpere & perdere, non autem tornare valet. Fig. Z.

45 *Ad materiam ſtriatam Carteſii circa axes vorticum tornandam, ſuppoſitiones quædam neceſſaria & abſurda.*


XLV. Verum ut materia ſtriata illis in locis intorqueretur, ſupponenda eſſent hæc præterea: primo, globulos præter motum circa axem poli, moveri etiam ternos quosque circa centrum ſpatii ſui interni, puta globulos in circulo B per 4, 5, 6, 4: ternionem C, juxta 7, 8, 9: tertionem E ſecundum *l*, *m*, *l*, *n*: ſicque cæteros omnes in omnibus circulis circa axem & in toto polo. Nec hoc tantum, ſed & ſecundò, globulos ſubjecti plani moveri etiam circa ſe ternos; ſimiliterque globulos tertii & ſequentium planorum ad polum oppoſitum uſque, idque (tertiò) eadem inter ſuperiores & inferiores celeritatis & lentitatis proportione ſemper ſervata, quæ ad figuram Z explicita eſt. Atque ita haberemus infinitas veluti columnas ab uno polo ad alium excurrentes conſtanteſque infinitis ternorum globulorum tabulatis, quorum ſingula

gula circa ſe diverſimode & veluti harmonice gyrando, contorquentur, ad formationem materiæ ſtriatæ contortæ, qua Carteſius indiget ad explicationem magnetis. Quibus ſuppoſitionibus unam deeſſe adhuc video, nimirum, ſingulos globulos eſſe veluti totidem glandulas pineales, quæ ſingulæ genio ſuo, totius luſus conſcio, & omnia ſic methodice dirigente, ſint præditæ. Ecquis enim non videt, materiam iſtam ſtriatam & diverſe intortam præter puram putam chimæram nihil eſſe? quod non per inſultationem dictum velim, ſed ut videant ingenui, quibus figmentis mentes ſuas captivent, Auctori uni, ut ut ingenioſo, nimia cum veneratione adhærentes, dum revera ea ejus inventa, quæ vel maxime inter omnia tanquam veritatis principiorum inſignia ſpecimina paſſim jactantur, non niſi fictiones abſurdæ ſunt: quod de pluribus inſuper ad hunc ſcopum ut ingenuorum mentes libertati reſtituantur, oſtendi poſſet, ſi vel locus vel neceſſitas id poſtularet.

46. *Carteſium in errores ſæpius incidere, quod primam & ſecundam Methodi ſuæ legem ſæpe non obſervet.*

XLVI. Monebo tantùm verbo, in eis quæ explicanda ſuſcepit Carteſius, quæque ſæpe inter ſpecimina ejus præcipua annumerantur, ſi propius inſpicias, errorem inde plurimum (ut in jam recenſitis) proficiſci, quod contra primam methodi ſuæ regulam multa aſſumat ut evidentia quæ talia tamen non ſunt: tum & contra regulam alteram, ſubjectum & difficultates in omnes ſuas partes non dividat; quod multa in Metaphyſicis, v.g. quæ ad rem neceſſaria eſſent prætermittat: in Phy-

Pag. 278.



Phyſicis vero, ea quæ corpora ſolida ſunt, conſideret ut plana, quemadmodum figuris exhibentur; non vero ut ſolida, qualia revera ſunt. Sed de his ſatis.

XLVII. ETHICA, de cujus falſitate etiam nonnulla annotanda ſunt, conſiderari poteſt, vel qualis ex Ethnicorum vulgarium ſcriptis hauritur ſive hauriri poteſt; vel qualis ex humanarum actionum obſervationibus acquiritur; vel qualis a Philoſophis, iiſque præcipuis, paſſim traditur & commendatur. De illa quæ in Gentilium ſcriptis apparet & inde erui poteſt, Carteſii ſententiam nunc faciam meam. Sic autem ille: (a) *Veterum Ethnicorum moralia ſcripta, palatiis ſuperbis admodum, & magnificis, ſed arenæ tantum aut cœno inædificatis eſſe comparanda. Virtutes ſummis laudibus in cœlum ab iis tolli; quas cæteris omnibus rebus longe anteponendas eſſe, recte contendant: ſed non ſatis explicare, quidnam pro virtute ſit habendum; & ſæpe quod tam illuſtri nomine dignantur, immanitatem potius & duritiem, vel ſuperbiam, vel deſperationem, vel parricidium dici debere.* Ita ex copioſis verboſi Ciceronis ſcriptis, nil præter vanam animi ambitionem atque oſtentationem virtutis loco elici poſſe ab iis qui in ejus lectione morum inſtitutionem quærunt, veriſſimum effatum eſt. Neque hoc ipſe Seneca, multique inter Stoicos deſtituuntur vitio. Si quis autem ex obſervatione eorum, quæ agunt illi qui prudentiores in ſeculo habentur, Ethicam vitæque leges ſibi velit præſcribere, Superbiam & Amorem proprium pro princi-

47 *De Ethices Ethnicorum, Politicorum ſeu mundanorum, & veterum Philoſophorum falſitate.*

(a) Diſc. de Methodo.

piis

piis ſuis ſibi aſſumat neceſſe eſt. Ex his enim fontibus proficiſci, & ad hæc tanquam ad ſcopum ſuum collimare quæcunque a mundi probiſſimis geruntur, quæque inter virtutes numerantur, elegantius & nervoſius, quam ab alio deſcribi poſſit, illuſtris Auctor quidam (*a*) vel palpandum exhibuit.

(*a*) M. le Duc de la Rocheſaucault in libello Gallico: *Reflexions morales.*

48. *Recentiorum philoſophorum abſurditates generaliores de ſummo bono hac in vita viribus naturæ acquirendo. Obliviſcuntur veritatum de æternorum valore, & evaneſcentium vilitate, ſcopo noſtro, &c.*

XLVIII. Jam ſi quam Philoſophorum recentiorum Sectam in virtutis via præmonſtranda ducem ſeligere tibi ſit animus, quam ex omnibus commendem, video ſane nullam. Vel in primo quæſtionis momento a ſcopo aberrant ſimul omnes, dum pro fine quærunt Summum bonum, quatenus in hac vita naturaliter acquiri & poſſideri poteſt: quæ quidem quæſtio eſt perabſurda. Si poſtularent, quodnam ex multis imperfectis, ad quæ hic acceſſus dari poteſt, optimum ſit, quod cum univerſali Dei gratia ſic poſſit obtineri, ut pereunte hac vita, maneat tamen inſtar fundamenti nos ad Summi Boni fruitionem aptos reddentis, tunc equidem non inepte quærerent. At ſi non omnes, multi ſaltem, tale quærunt hîc Summum bonum, quo, reſpectu noſtri, non detur majus; deinde & quod in hac vita detur; & poſtremo, quod naturæ corruptæ viribus acquiri poſſit. Illud dico abſurde ſic quæri. Namque cum hæc inter mortales vita, ad veram & æternam noſtri, quæ poſt hanc vitam futura eſt, durationem, ne eam quidem rationem habeat quæ eſt capillorum ad corpus, vel momenti ad ſeculum; cumque in illa verſemur, (ex rei veritate & ſin-

ccerioris

cerioris ſenſus dictamine) non ut principis filii in paterno palatio, principale bonum ibi poſſeſſuri; ſed ut ſontes in carcere, in quo humiliter & patienter rebellionis pœnas ſuſtinere debent, quærere illic Summum bonum perinde eſt ac ſi quæreretur, quomodo reus per occupationem circa capillos in carcere poſſit primariam dignitatem obtinere & poſſidere? Deinde quærere Summum bonum quod non ſit ſupernaturale, ſed naturale, idem eſt, ac quærere ſummam lucem quæ non ſit lucida ſed tenebroſa. Præterea, quærere Summum bonum, quatenus naturæ viribus, non autem gratiæ auxilio & operatione interna acquiri poteſt, perinde eſt ac quærere lucem vel illuminationem, quatenus per cœcitatem acquiri poteſt; aut quærere rectum atque agilem inceſſum, quatenus per luxatas & claudicantes tibias acquiri poteſt. Non Phyſici tantum, ſed & Ethici Philoſophi currunt poſt chimæras in ſpatiis imaginariis volitantes. Obliviſcuntur (quod ſupra notavi) Dei, ſui, æternitatis, rerumque ſupernaturalium, ad quas & ob quas nos eſſe factos negabit nemo, niſi dicat Deum rem ſupernaturalem non eſſe, aut niſi credat eundem ſeſe negare tanquam finem & ſcopum hominis darique aliquid Deo dignius, ob quod homo ſit & vivat. Sed nec ſatis memores ſunt iidem vanitatis atque brevitatis hujuſce vitæ, quæ cum conſiderari non poſſit ut ſcopus fixus, ſed ſolummodo (uti revera eſt) tanquam medium labile & momentaneum, non permittit ut in ea quæratur

tur ſummi boni poſſeſſio, ſed uſus ſaltem rectus medii; & medii quidem non fruitivi, ſed pœnalis, quale reus in carcere quærere vel exſpectare debet: quod alia in re conſiſtere nequit quam in humilitate & patientia, quas etiam adorandus noſter Philoſophus Ethicus JESUS CHRISTUS, benedictus in ſecula, tanquam omne hac in vita punctum ferentes, diſcipulis ſuis diſcendas tradidit: (a) *Diſcite a me quod ſim mitis & humilis corde*: &, *Si quis vult me ſequi*, (hoc eſt, ad ſummum bonum per hujus vitæ rectum uſum ceu per medium tendere) *is abneget ſe & tollat crucem ſuam.*

(a) Math. 11: 29. & cap. 16: 24.

49. *Quomodo ſummum bonum hac in vita quæri aut participari poſſit.*

Philoſophos ſe ducentes Chriſtianos, haud quærere Chriſtianam Ethicam.

XLIX. Non negavero, Summum Bonum utique hac in vita quæri debere: verum non ut tale hîc poſſidendum; ſed olim: neque inficior, Deum etiam interdum quibuſdam id hîc communicare; at nec fruitive, nec (quia nullum hominis ſtudium activum eſt medium proximum poſſidendi ſummi boni) id ipſum ex ſe quærentibus; ne dicam & eos qui id prægustant, vitæ mundique hujus metas quadam veluti mortis imagine, (ipſa corporea morte hominem magis immutante) prius eſſe prætergreſſos: de qua morte Paulus, (b) *Mortui*, inquit, *eſtis*; *& vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Verum divinam hanc Viatorum Ethicam à Chriſtianiſmi noſtri Philoſophis nec proponi nec quæri, non tantum patet ex abſurda quæſtione ſummi boni hac vita circumſcripti, naturæque (corrupta ut eſt) viribus adipiſcendi; ſed & ex documentis expreſſis contra

(b) Coloſſ. 3: 3.

tra cardinales *humilitatis* & *patientiæ* virtutes. Novi Scholam, ubi docebatur humilitatem eſſe abjecti vitium animi; & *patientiam non mereri nomen inter virtutes, quod pati ignavum ſit*: hocque theſi publica totidem verbis ſuſtinebatur, quanquam Superbus & Impatiens Dn. Præſes pudore ſuffundi debuit, prolato Divi Jacobi loco: (*a*) *Exemplum capite, fratres mei, tolerantiæ & patientiæ de prophetis, qui Domini nomine locuti ſunt. Equidem* BEATOS *judicamus eos qui patiuntur. Jobi patientiam audiviſtis, & quem ei finem dederit Dominus miſericors & clemens, vidiſtis.* Sed hæc forte Ariſtotelicismo debebantur: Carteſianiſmus fuerit forſitan purior. Viderint quorum intereſt. Ego, qui illum olim utcunque feci meum, de eo, uti a me olim ſuſcepto, ſenſus meos exponam breviter.

(*a*) Jac. 5: 10, 11.

L. Cum CARTESII Epiſtolas, quæ in Tomo primo ab initio extant, primum legerem, eas veluti de cœlo labentes ſuſpiciebam & toto pectore amplectebar, ob egregia atque pia & fundamentalia Ethices cogitata hinc inde ibi exſtantia. At poſtquam deinde omnia ſimul conſpicere & diligentius perpendere cœpi, video de ejuſmodi Ethica idem judicium fieri poſſe, quod ipſum de Ethnicorum moralibus ſcriptis feciſſe ſupra retulimus: *Superba eſſe palatia arenæ impoſita, nec quid pro virtute & pro ſummo bono habendum ſit explicantia.* Arena eſt vel cœnum dogma illud quod pacificandis animis noſtris affert, de Deo voluntatis noſtræ propenſiones omnes non prævidente modò, ſed & eas

50. *Ethices Carteſiana ſphalmata generaliora. Eam eſſe inſtar palatii ſuperbi, arenæ ſuperextructi.*

Carteſ. Epiſt. Tom. I. Ep. 10.

eas nobis infundente: quod & ſtatum Spinozianum redolet, tum vero animum ad virtutem obtundit, atque vitiis quibuſcunque defendendis, pœnitentiæque excutiendæ potius inſervit quam ut virtutem promoveat. Id (quia pernicioſum puto) a radice reſecui (*a*) aliis locis: Sed quid de Summo bono deque virtute minus vere docuerit, cum nullibi oſtenderim, jam libet in lucem protrahere.

(*a*) Cogit. Rat. p. 408. &c. confer Oecon. de la Creat. & de la Providence.

Summum bonum, niſi res definita vocis dignitati reſpondeat, ſuperbus titulus: qualis ſæpe proſtat multis in libris, qui (ne Spinoza quidem cum ſuis excepto) nobis Summum illud bonum, pantoſophias, medicamina animarum, aliaque ejuſmodi in fronte promittunt quidem; at ubi ad rem ventum eſt, nugas meras in receſſu habent de logica, de motibus, deque figuris, numeris & rebus mathematicis, quæ non magis ad ſummam felicitatem quam ad ſummam miſeriam conferunt. Neque aliter ſe res habet, ſi quis conſiderans miſerias humanas, mentiumque ægritudines, quæ beatitudini ſolidæ opponuntur omnes, ab errore proficiſci, in exordio libri promittat quidem ſe de errore pellendo per *Inquiſitionem Veritatis* acturum; verum tamen toto opere nil agat quam de erroribus inani ſcientiæ & curioſæ oppoſitis, deque veritate ideali & philoſophica, nullius miſeriam depellere apta; unde ipſemet tandem "concludat in fine operis: Iſta quæ de veri-"tate expoſuit, cum laborioſa eſſe admo-"dum, tum vero ut plurimum ad eas tantum "quæſtiones proficua, quæ nullius fere ſunt "uſus:

"uſus: niſi quod ſuperbiæ noſtræ adulentur "magis, quam mentem vere perficiant: "proinde melius eſſe ea ignorare cum pro-"bis ac piis, qui poſtea per aliam viam æter-"no lumine ſubito illuſtrabuntur, quam per "iſtam laborioſam nonnulla imperfectiſſime "ſcire, deinde vero poſt tantillum temporis "æternis tenebris eſſe plectendum. Quæ concluſio ſane ſpem exordio operis factam plane tollit. Idem & Summo bono Carteſii commune erit, ſi quod ab illo affertur tale fuerit, ut & poſt ejus adeptionem, ni accedat aliud, ſumma tandem miſeria ſuum maneat poſſeſſorem.

51. Carteſii circa ſummum bonum hallucinatio periculoſa.

LI. *Summum bonum* Carteſius diſtinxit in illud quod abſolute in ſe eſt tale, de quo non dubitatur id eſſe ens perfectiſſimum: & in illud quod tale eſt quoad nos, ſive quod noſtrum quodammodo eſt, vel ad nos ſpectat: hoc autem unicuique nil aliud eſſe ait, quam libertatem arbitrii, aut potius illius bonum uſum. Qui ſane paralogiſmus eſt non minor, quam ſi quærenti qua in re conſiſtat illuminatio, reſponderetur, non in Sole ejuſve actu, ſed in recto uſu, ſeu in apertione libera oculorum, quippe quæ ſola hac in re ad nos ſpectat. Eſt quidem hæc apertio, fateor, neceſſaria ad illuminationem conditio: at illuminatio ipſa vere eſt actio Solis in oculos ei ſponte apertos. Ita quoque fatendum eſt, libertatis interpoſitionem neceſſario quidem requiri ad Summum bonum; quippe quod bonum ſit actio luminoſa & amatoria Dei in anima ſe ſuaſque facultates ad eum *libere* con-

convertente: at ille ſane libertatis uſus ſive admiſſivus actus, Summum bonum nec eſt nec conſtituit: admittit tantum: perinde ut porrectio ſpontanea manus in mendico non eſt theſaurus, etſi theſauri admiſſio eſſe poſſit. E ſuperbo amoris proprii fundo ergo eſt, quod in libertate propria potius quam in divina operatione ſummum quæratur & collocetur bonum: idque ſub callido illo prætextu, bonum illud aliter non fore noſtrum, quandoquidem præter libertatis uſum nil noſtrum proprie ſit. Atqui palam eſt poſſe aliqua duobus modis noſtra fieri: alia quidem ita ut nobis ſint naturalia, ſive pars naturæ & dos, prout ſunt ipſa animæ natura facultateſque, e quibus nullum majus donum fieri nobis potuit a Deo, quam quidem eſt libertatis ejuſque uſus donatio: Alia vero ſic noſtra eſſe poſſunt, ut ad naturæ noſtræ conſtitutionem non pertineant, ſed ad ejus ornamentum & beatitatem; & hæc dona ſunt a liberalitate Creatoris noſtri oblata ut fiant noſtra per libertatis ea ſponte admittentis cooperationem & conſenſum. Atque ſic Deus ejuſque actus, qui ſummum bonum in ſe ſunt abſolute, fient etiam *noſtrum* ſummum bonum, ſi eis ſponte facultates libertatemque ipſam tradimus. Sic Deus, fiet Deus noſter; vita ejus, vita noſtra; bonum & felicitas ejus, bonum noſtrum. Nec facile concedendum arbitrer, appellationem illam ſummi boni a Deo ad libertatis uſum transferri, niſi quis occaſionem amet ſibi periculoſiſſime adhærendi, poſtmodum tamen per lamentabilem

&

& forte irreparabilem lapſum, qui ſuperbos manet, ſeriùs dedocendus.

52\. *Virtutem bene diſtingui in increatam, creatam, & falſam.*

LII. Neque eſt quod quis cauſetur, liberi arbitrii bonum uſum ideo pro ſummo bono relativo haberi, quod virtus in eo uſu libertatis conſiſtat: virtutem autem ab auguſta hac denominatione Summi Boni excludi non poſſe. At Virtutes ex ſublimiori Theologia diſcat in increatas & creatas diſtingui. Illæ, quoniam ipſius Dei actus ſint, animæ præſentis, eamque agentis & regentis; vel etiam ſint ipſemet Deus agens, Summum quidem bonum dici poſſunt: hæ, quæ ſunt libertatis divino auxilio adjutæ actus, non item Summum bonum; ſed viæ tantum ad illud conſequendum. At eæ virtutes quæ ſunt actus libertatis ſeſe bene agere præſumentis, tantum abeſt ut ſint Summum bonum, aut media ad illud; ut ad ſummum potius malum ſuperba media & infelices viæ ſint agnoſcendæ.

53\. *Quomodo Virtus Carteſiana nil niſi cæca ac ſuperba pertinacia ſuerit.*

LIII. Hic conſideremus obiter Carteſianæ *Virtutis* naturam ſive definitionem. Is illam in hoc conſtituit, ut quis faciat ea quæ meliora eſſe judicat. Media autem ad eam eſſe ait, nil negligere ad inquiſitionem veri, tum cognitionem ipſam veri & boni, judiciaque de illis, itemque decreta firma vitam ſecundum judicia illa regendi. Verum enimvero, quando inter media inquirendi veri non numerantur ea quæ præcipua eſſe aliquoties diximus; recurrere ad fontem luminis, Deum, ex animo de ingratitudine ſua & vitiis dolente, æternorum autem luminiſque

miniſque divini cupido, cumque præter ideales notitias vi & activitate rationis corruptæ in anima ſui ipſius amante acquiſitas, judiciaque in præſumtione ſe vero lumine affici fundata, nil intelligitur vel optatur; patet cuivis veritatem ſolidam ſine adulatione adire volenti, ejuſmodi virtutes non eſſe niſi cœcam atque ſuperbam pertinaciam, &, ſi quicquam aliud, has vere dici poſſe *palatia admodum ſuperba arenæ aut cœno* corruptæ naturæ *ſuperædificata.*

54. *Circa Conſcientiam Carteſianorum quorundam ſententiæ oppoſitæ atque erroneæ.*

LIV. E Carteſii autem diſcipulis nonnulli, prout de adipiſcenda veri & boni cognitione magis vel præſumſerunt vel deſperarunt, in diverſas & ſibi oppoſitas abiere partes. Qui veri & boni cognitione ſeſe certo præditos crediderunt, quia id conſcientiâ ſuâ certo ſibi intus conſtare putabant, ſic virtutem in conſcientiæ dictamine ſequendo conſtituerunt, ut pro principio illis ſit, *conſcientiam errare non poſſe.* At verò qui aliquantum ſincerius & perſpicacius luminum rationiſque ſuæ defectus ſcrutati ſunt, videntes vix ſe quicquam indubitatò certum ſuis viis poſſidere, & præterea animo gratificandi illis qui, cum non ſint Philoſophi, neque adeo circa veri & boni cognitionem commode occupari queant, non ſunt tamen a virtute & felicitate arcendi; eò in contrarium abierunt, ut dicerent, veri atque boni cognitiones ad virtutem & felicitatem non adeo neceſſarias eſſe; ſufficere ut quis bona fide putet ſive judicet quædam eſſe vera & bona, alia autem mala & falſa, dirigatque actiones ſuas ſecundum judicia

dicia quæ ſibi conſcius eſt eſſe optima, etſi res ipſæ in ſe aliter ſe haberent, judiciaque cum ipſis rebus & abſoluta veritate collata, eſſent toto cœlo ab his aliena: id felicitati exſpectatæ non obfuturum: e contra, teneri quemque conſcientiam ſuam etiam errantem ſemper ſequi; atque ita æque bene rem virtutis ſalutiſque geri, ac ſi erratum non eſſet. Quæ quidem longius adhuc quam priora a veritate & virtute aberrant.

55. Conſcientia ejuſque judicium an fallat.

LV. Qui *conſcientiam errare non poſſe* putant, aut quid conſcientia ſit ignorare videntur, aut vero nova utuntur nomenclatura communi uſui contraria. Res in homine ſic ſe habet. Homines (utinam Philoſophi exciperentur!) Dei, æternorum, iniquitatis propriæ pœnitentiæque obliti, amore verò proprio capti, optantes ſuiſmet oculis apparere tanquam veritatis & virtutis poſſeſſores, hoc agunt, ut ſua quiſque via & rationis activitate ægra, veritates picturatas & ideales de rerum & actionum bonitate vel pravitate excitare ſibi diverſis modis annitatur. Id faciendo, diverſi ad diverſa & quandoque oppoſita prolabuntur. Tum pro ſuo quique modo judicant, & hujus apud ſe conſcii ſunt. Dein judicia ſua de bono & malo, vero & falſo, per reflexionem intuentes ſiſtunt eadem ſibi, veluti coram novo Tribunali dijudicanda. Hic judex autem eſt Amor proprius, ſive deſiderium quo homo optat a ſe ipſo veritate & juſtitia præditus haberi. Ab eo poſtulatur, ut quod ſemel judicatum eſt, revideat, & ex reviſis rationibus pronunciet. Is igitur deſideratis annuit;

atque ita eadem quæ prius (quæ ſua omnia ſunt) rata certe (pro ſua indole) pronunciat, aut etiam pejora prioribus addita confirmat. Atque hoc ipſum eſt quod homines appellant *conſcientiam*. De hac jam quæritur, an ea errare non poſſit? Mira quæſtio ! An Amor proprius & ſuperbus, qui, ſibi ipſi ut ſatisfaceret, ſemel judicavit directe de rerum bonitate ex iis quæ ipſi apparuere, non poſſit errare, quando ipſemet deinde reflexive judicia priora ad judicium reflexum & iteratum appellat? taceo ſæpe illum ne quidem tam exacte ſe gerere; ita ut præter meram pertinaciam nil ſit interdum ea ad quam multi provocant conſcientia ejusque luminis prætextus.

56. *Inſtantia pro conſcientiæ infallibilitate.* Rom. 2: 14, 15.

LVI. At enim, inquient, quid tu hîc nobis de conſcientia, quæ ſit Amor proprius, diſputas? Quaſi vero Paulus non teſtaretur, inſcriptam eſſe hominum etiam Ethnicorum cordibus legem divinâ vi eos de bono & malo arguentem & inſtruentem. Hanc divinam eſſe legem negabit nemo. Eandem nos Conſcientiam cum Paulo dicimus. Et quia lex Dei errare non poteſt: Ergo conſcientia errare non poteſt. Quod adhuc fortius ſtringit, quam quando probatur illam errare non poſſe ex eo quod illa idem ſit ac clara & diſtincta perceptio Carteſiana; cum utique majus quid ſit, eam eſſe vividam perceptionem divinam.

57. *Reſponſio ad inſtantiam.* *Conſcientia vera quæ? quæ falſa?*

LVII. Sic illi. Videamus nunc quænam iis reſpondenda ſint, & quidem non abludendo a mente Pauli.

Doctrina

Doctrina Pauli eſt, hominem a peccato ita penitus immerſum eſſe corruptioni, ut meræ in eo ſint tenebræ & vanitas ac ſtultitia Mentis, donec Deus ei illuceſcat per operationis ſuæ intimæ nonnullos radios, prout & fecit, ipſis etiam gentilibus; oſtendens eis ſuam potentiam, bonitatem, liberalitatem, ſimulque eos convincens, quod debeant ei gratias agendo & obtemperando, honoremque & gloriam ejus quærendo, vitam ſuam tranſigere, abjectis ſtultis & vanis ſuis ratiociniis, atque inſano illo deſiderio, quo ſibi aliiſque ſapientes videri volebant. Hæc illi ſi audiviſſent, judicaſſent & feciſſent; tunc vero habuiſſent unde de ſana & non errante conſcientia gloriari potuiſſent. Illi autem quid egerunt? Nimirum, neglectis Dei impulſibus, ejuſque honoris, gloriæ, laudumque zelo, attenderunt tantum ad gloriam quiſque propriam, nec non ad impulſus tenebrarum, vanitatum, ſtultitiarumque mentis ſuæ, (ab humanæ ſalutis inimico ad hoc adjuti,) quærentes ſcilicet, quomodo ſibi aliiſque poſſent viri magni & ſapientes haberi, ratiocinando de mundo & elementis, de cœlo & terra, de numeris & motibus, figuris & angulis rectis ac curvis, de nive & pluvia, de aliorum factis & ſcriptis, deque ratiocinationum formis & artificiis, milleque aliis nugis vaniſſimis & in aëre volitantibus chimæris. Quo factum eſt non tantum ut impulſus Dei minus in ſe ſentirent, ſed & ut Deus, videndo eos fruſtra intus a ſe moveri, quem negligere de-

creverant; atque adeo culpabiliores & pœnis ſeverioribus magis obnoxios fieri; eas ne demererentur, impulſus ſuos retineret: At illi inde motibus tenebroſæ vanæque mentis ſuæ ſeſe tradentes ſine repagulo, eà ſibi tanquam ad ſapientiam aut felicitatem adipiſcendam convenientia quæſiverunt & fecerunt quæ prorſus abſurda, & nullatenus creaturas ad imaginem Dei & pro Deo factas decentia. Jam quæſo, quid in talibus conſcientia, aut provocatio ad conſcientiam ſuam aliud eſſe poſſit, quam provocatio ad inſanum & tenebroſum corruptionis ſuæ amorem, qui in eis eſt omnia? Quotuſquiſque autem nunc eſt, qui ſecundum Dei impulſus totam vitam, uti dictum, diſpoſuerit, aut potius qui iis neglectis, ſe ſuaque figmenta conſulere & ſequi non amet? Quam rara ergo, imo quam nulla in omnibus fere eſt ea conſcientia quæ non errare ſit cenſenda: cum econtra, quam jactat maxima pars hominum conſcientiam, ipſiſſimus ſit errorum & malorum fons? Nullus quippe recta gaudet conſcientia, niſi qui impulſibus vanæ atque corruptæ mentis naturæque ſuæ, tanquam exitioſis operandi principiis depoſitis, & (ut verbo ſacro utar) cruci cum Chriſto confixis (quod Apoſtolo eſt purificare conſcientiam ab operibus mortuis per ſanguinem Chriſti) ab impulſu & vita Spiritûs Dei novam vitam, novos impulſus, novum lumen, novum regimen, omniaque nova (uti in Chriſto e morte ſuſcitato) ſuſceperit. Quicunque talis eſt, is demum, non alius, con-

conſcientia gaudet non erronea, bene judicat de rebus in lumine Dei, & ſcit directe ac etiam reflexive ſe bene judicaſſe & judicare: atque adeo tunc provocatio ſeu atteſtatio conſcientiæ ſuæ infinitum habet pondus, tum apud omnes qui eum talem norunt, nec minus apud ſe, ut tranquillus ſit; tum quoque apud Deum, cujus divinum judicium is homo ſcit a ſuo non diſſentire, imo ſcit, ut cum Davide (a) dicam, *judicium ſuum* (quod is homo judicat) *a facie* ſive a præſentia *Dei procedere.* Cæteri vero cum conſcientiam ſuam ſibi aut aliis allegant, ad eamque provocant, non minus ridendi ſunt aut miſerandi, quam ſi apertis verbis amorem proprium teſtarentur: namque, ut cum Paulo loquar, (b) *eorum mens & conſcientia pollutæ ſunt*, &, *perinde ut ipſi ad omne bonum opus reprobabiles.*

(a) Pſ. 17.

(b) Tit. 1: 15, 16.

58. *Conſcientia dubia & media.*

LVIII. Nolim negare multos intercedere ſtatus medios eorum, in quibus & Deus impulſibus dictaminibuſque ſuis interiora movet, & tenebræ mentiſque ac poteſtatis inimicæ corruptela ſuos etiam motus inſpirant. At hi, quamdiu corruptionem naturæ & amoris proprii non vicerunt nec ejecerunt, conſcientiæ ſuæ fidere non debent. Ut ut enim radioli motuſque divini inſint: ſi tamen corruptio tenebræque cum amore proprio ibidem adhuc vivunt, ſuos illæ motus cum divinis miſcent, turbant, confundunt: ſic ut pura Dei lumina & motus impermixti diſcerni bene non poſſint ab impulſibus corrupti tenebroſique amoris: unde commixtione

facta divinorum motuum cum pravis chaos quoddam fit indigeſtum, ubi quicquid divini prius inerat extinguitur, & unde præter actus abſurdos, ſæpeque exitioſos & lamentabiles, nil oritur apud eos, qui fervore Zeli indomito ſe conſcientiæ ſuæ motus exſequi debere clamitant; quemadmodum infeliciter viſum eſt in multis qui vel enthuſiaſmum præ ſe tulerunt, vel ſectas novas condere, vel jam conditas, aut etiam veritatem ipſam, ſed ſibi haud bene perſpectam, defendere allaborarunt.

59. *Conſcientia erronea nec ſequenda eſt, nec facit jus, nec ducit ad bonum.*

LIX. Quanto minus igitur ſtatuendum eſt, *conſcientiam etiam mere erroneam ſequendam eſſe*, & , quod pejus eſt, hominem eam ſequendo, non ad vitia & perditionem, ſed ad virtutem felicitatemque duci, idque ideo quoniam ille ſic & non aliter, rem eſſe conjicit. Perinde dicas, eum, qui falſum lumen, aut falſum iter, aut ducem fallacem ſequitur, quæ ipſe interim pro rectis veriſque habeat, non tamen a ſcopo aberrare, neque in præcipitium ruere, aut in latronum manus incidere: idque propterea, quod judicet ſeſe vero lumine, recta via, ſincero ductore duci: aut eum, qui venenatis cibis veſcitur, propterea veneno non infici, quod cibos eos ſalubres eſſe putet. Certe quemadmodum inter edulia corporea nonnulla ſunt cibi ſalubres, qui vere nutriunt; alia vero ſunt venena, quæ inde comedentes occidunt: ita & de veritate & de virtute res ſe habet: hæ ſunt veri cibi animæ, independenter ab opinionibus hominum: errores vero & vitia

vitia, venena ſunt animarum, eaſque juxta naturam ſuam venenatam perdunt & interimunt ſi aſſumantur, quicquid etiam de his animæ judicent opinione ſua. An enim quoniam anima quæpiam judicabit, errores eſſe lumen divinum, ideo ab errore illuminabitur? Abſurdum! Et quando judicabit vitium aliquod ſibi ſalubre eſſe, an idcirco vitium hoc eam ſanam & beatam efficere poterit?

60. *In rebus mortalibus & ad ſalutem abſolute neceſſariis, non datur ignorantia invincibilis, atque adeo excuſabilis.*

LX. Sed inquies, an ergo idem quoque dicendum ſi conſcientiæ error ſit invincibilis aut in ignorantia invincibili fundatus? Reſpondeo, in rebus quæ virtutem & vitium, felicitatem & miſeriam æternam, ſive ſummum bonum & maximum malum concernunt, nihil eſſe invincibile dicendum reſpectu hominis libertatis uſu gaudentis, modo Dei beneficiis ſuoque officio deeſſe non velit. Si homo quivis inſtinctibus divinis attendere vellet, ſi ſeſe illis daret, ſi quæ impotentiæ & malitiæ propriæ, vanitatis rerum ſeculi, ſoliditatis æternarum, officiique erga Deum, erga ſe & cætera omnia, eum faciunt conſcium obſervaret ut ut initiò minima, tunc utique, gradatim tamen, Deo illi lumen, pro menſura & ratione progreſſus ſui magis magiſque affundente, ad eam veri bonique cognitionem perventurus eſſet, quæ tandem luminoſæ circa omnia conſcientiæ adipiſcendæ ſufficeret. At vero quando conſcii ſunt homines ſe omnia bona ab Auctore optimo & accepiſſe & exſpectare debere, neque tamen ei laudando & amando vivere volunt; ſique pro-

propriæ impotentiæ & pravitatis ſuæ convicti, ſe ipſos tamen æſtiment, & ab aliis magni fieri cupiant; ſi rerum vanitatem conſpicientes, iſtis tamen nugis amplectendis ſe dedere inſiſtant; ſi rationis ſuæ imbecillitatem quotidie experti, ad ea tamen medicamentoſum lumen ex nugaciſſimis ſæpe circa vana & puerilia objecta cogitatis ſibi quærant & exſpectent: quo quæſo jure verum lumen communicaret illis Deus? quove jure ipſi de ignorantia conquerentur invincibili, quæ revera culpabiliſſima eſt, non autem invincibilis niſi novo ſenſu, quando nempe homo non vult debito modo apud omnis boni Auctorem relictis nugis quærere animo humili quæ ſolide bona ſunt; quando, etſi ſeſe tenebroſum & impotentem rudemque aſinum eſſe intus conſciat, ſe tamen omittere non vult, ſed proprias ſemper vias ſequi amat? Tunc ſi quidem non velit a ſe deſiſtere, ignorantia ejus illuſtrari & vinci non poteſt: ſed maxima culpa non caret ejuſmodi ſtupiditas.

61. *Quatenus errans & dubia conſcientia ſit ſequenda.*

LXI. At vero inquies, ponamus aliquem qui benevolo animo & debitis viis veritatem atque virtutem quærat; Is ſane non illico eas adipiſcitur: ſed tempore, eoque interdum longo, gradatim procedenti, opus eſſe nemo negabit: interea vero in vita agenda mille obveniunt occaſiones ubi ſine procraſtinatione non judicia ſolum circa res ferenda, ſed etiam agendum eſt, antequam veritatis cognitio certa habeatur? Quid hîc agat animus? Nonne tunc de rebus judicia efformet, & ſecundum ea actiones dirigat, quam

quam optime ſe poſſe conſcius eſt? Quo conceſſo, quia de veritate nondum certus eſt, nonne eo ipſo regulam hanc ſupponis, conſcientiam etiam erroneam ſequendam eſſe: id recte fieri; adeoque nec virtuti nec felicitati adverſari? Aut vero an contra conſcientiam, etſi errantem, agendum eſſe dices? Antequam reſpondeam, omnino ſtatuendum eſt, eum, de quo hæc quæruntur, animo vere ſincero viis modo dictis veritatem ſolidam quærere: id vero ni ſit, conſuli ei non poſſe, quicquid agat aut omittat, juxta aut contra conſcientiam errantem: pariter enim ad interitum properat. Qui autem bene quærit, necdum tamen invenit, ſed ignorat; is non quidem agat & judicet contra conſcientiam errantem. Nam etſi interdum quæ falſa aut mala perperam judicantur, ipſiſſima ſint bonitas & veritas, mentis adhuc tenebroſæ & ægræ diſpoſitionibus malis adverſantes: quia tamen Deus non vult ullius libertati in admittendo vero bonoque vim fieri, ideo non probat ut quis ea agat quæ non ſponte, ſed reluctante animo eſſet facturus. Sed tamen non infertur inde, eum debere errantem conſcientiam ſequi. Si res officii ſui non ſint, neque neceſſariæ, aut maximopere urgentes, abſtinere ab illis atque quieſcere optimum eſt; ſin vero urgeant nec differri queant, tunc ſine gravi periculo ex conſcientia, quamvis errante, fieri demum poterunt quando homo eas ſic aggredietur, ut ex animo ſibi quidem diffidente, ad Deum vero cum timore recurrente, vere coram cordium ſcrutatore atteſtari poſ-

"ſit: Equidem noſti, Deus, quam vel-
"lem hoc in caſu ea ſcire & facere quæ co-
"ram te optima ſunt, meque ideo non reje-
"ctis mediis animo humili a te quantum po-
"tui lumen & gratiam poſtulaſſe: verum
"quia ob rationes juſtas, tibique notas, in-
"digno mihi ea pro voto nondum ſuppetunt,
"& tamen in eo ſim ſtatu ut actio differri non
"poſſit, ecce, agam quod apparet tuæ vo-
"luntati non adverſari & vero mihi aliiſque
"ad ſalutem conducere. Id tu proſpera: &
"ſi quid me inſcio ſubſit mali, tu paterne con-
"dona non malevole erranti, lapſum vero
"erige, meque inde humiliorem mihique
"abjectiorem effice; atque largire, in poſte-
"rum eam luminis & regiminis tui copiam,
"qua quæ tibi grata ſunt judicem & faciam
"ſemper. Talem aut errare graviter non per-
mittet Deus; aut vero ſi gravis erroris mate-
ria ſubſit, ab actione ſuſcipienda eum admi-
randis providentiæ ſuæ curis revocabit. Eſt
namque ille eorum Deus, qui ipſum ſincere &
humiliter requirunt, atque adeo non magis
auxilio ſuo eis qui tales ſunt deeſſe poteſt,
quam deſinere eſſe Deus. Cæterum non eſt
quod quis & tempus fallat pretioſum, & ſe
ipſum alioſve inutiliter vexet, caſus conſcien-
tiæ proponendo imaginarios aut chimæri-
cos, qui vel nunquam accident, aut vero
qui ſupponunt Deum prope non adeſſe invo-
cantibus eum in veritate, neque illum eis de
conſilio & ope tunc eam neceſſe erit, pro-
viſurum. Scholarum ardelionibus, qui de
omnibus quæ ſunt & quæ non ſunt deci-
dendi

dendi gloriam aucupantur, iſta ſunt relinquenda.

LXII. De falſis quæ in Ethices fundamentis apud celebriores occurrunt, ſolito copioſius dixi, quoniam inter ſcientias omnes ea momenti eſt maximi, magna ſecum trahens aut commoda aut incommoda. In cæteris agam contractius, & de arte quidem Logica, ut quo cœptum eſt ordine pergatur, nil ſuperaddam iis, quæ ad eam rem, dum de ſuperficiaria eruditione agebam, attuli. Ex iis facile videre eſt, quantum deſit veri, quantum inſit falſi Dialecticæ communi ſive Logicis vulgarioribus, quæ tantum abeſt ut adoleſcentum animos ad eruditionem veram (quod Logices officium eſſet) diſponant aut adjuvent, ut eos potius garrulos, rixoſos, arrogantes & pertinaces, indociles atque ad veritatem ſolidam admittendam ineptos efficiant; ſic ut non immerito gratulandum ſit eis, qui vel ejusmodi Circæo poculo infecti non ſunt; vel oblivionis beneficio, ſe ab illo expurgarunt. Abunde obſervant ad virilem ætatem provecti, poſtquam e ſcholis egreſſi, ad res ſerias convertuntur ſe nil adeo emolumenti ex illis nugis elicuiſſe, ut aperte ſeſe ludibrio omnium exponerent ſi ex earum indole negotia, aut etiam ſcientias, tractare vellent. Sed quoniam plures de iſto argumento egerunt, relinquam illud, poſtquam monuero, ut attendam veritatis cupidi qui fieri poſſit ut eruditio falſa evitetur, quando quæ totius eruditionis clavis & inſtrumentum dicitur, Logica, ipſa falſa & pernicioſa prog[illegible]natur. 62. *De falſa Logica.*

63. *Grammatica & Critica falſa.* LXIII. GRAMMATICÆ, ſive arti quæ ſermonem tum formare tum intelligere docet, nil falſi ineſſe dicerem, modo ii qui ſe vel alios ea imbuere volunt, verum ejus uſum ſcopumque conſiderarent, operamque ſuam ad eum potiſſimum accommodarent. Ante omnia diſpiciendum eſſet, quonam in genere quove in commercio rerum neceſſariarum & utilium cuique juxta rationem vitæ amplectendæ opus foret tum conceptus ſuos aliis ore aut ſcripto exprimere, tum aliorum concipere. Atque ita deinde rem ſine ambagibus aggredi oporteret, ea ediſcendo ſimpliciter, quibus & ſe aliis in re propoſita intelligibiles, & alios ſibi, redderent. At quando ſolidis & neceſſariis poſthabitis, vanarum, imo & exitialium cogitationum rerumque commercium ſibi proponunt, nec non id agunt, ut nugas ſubtiles, vel turpitudines impuras, aut adulationes inſanas, & quæ ſupra notavimus, veterum quorundam aretalogorum ſermonem, pſittacorum inſtar imitantes, fritinniant; tunc ſane fallax & damnoſum eruditionis falſæ atque exitioſæ inſtrumentum fit atque adminiculum Grammatica.

De filiola ejus, Diva CRITICA, quæ & matre argutior, & verò delicatulæ atque admodum ſagaciter tornatæ habitudinis meretricula geſtit videri, idem ſentiendum eſt quando bona (in regulis ubi de hoc ſubjecto egimus, Lib. II. oſtenſa) negligit, mala autem (ibidem indicata) & amplectitur, & novis præterea cumulat: quando ſe ſolam librorum, etiam ſacrorum, clavem venditat; & tamen, ſcopo

eorum

eorum ac mente omiſſis, ſic literalibus, chronologicis, hiſtoricis minutiis frigide adhæret, ut ob circumſtantiolas quaſdam alicubi forte non obſervatas, res ipſas fructuoſiſſimas non neget modo; aut ſubſtantiam ſolidiſſimarum, quæ captum ſuum ſuperant, judicet & condemnet: ſed etiam blaſphemet & irrideat. Et nihilominus magnos ſibi interim progreſſus facere ingentiaque lucra comparare videtur, eo quod parvulis obſervatiunculis, iiſque rarius occurrentibus, (quia nugamenta ejuſmodi a ſolidioribus ingeniis, tanquam objecta ſuis ſtudiis indigna, prætermittuntur) totæ afficiantur & repleantur anguſtiores animæ; omnino quemadmodum pueruli, qui dum oſſiculis ob caſſam nucem ludunt, ex ludicro ejuſmodi lucello magis afficiuntur, quam ex totius hereditatis paternæ ſolidioribus bonis. Faciunt ſane id Critici quando divinis operibus tum naturalibus, tum ſupernaturalibus atque internis ſuſque deque habitis & neglectis, caſſa vanaque hominum ſcripturientium opera, cortice tenus adradenda, præponunt: in quibus ubi progreſſus illos ſuos pluſculum extendiſſe videntur, tum vero rem maximi momenti ſeſe præſtitiſſe ſibi perſuadent, atque in imaginariis ſuis theſauris triumphant; præſertim poſtquam ramentis ſuis pædagogicis ſuperaddiderint hiſtoricas notitias variarum cogitationum, etiam maxime anomalarum, quas alii quibuſvis de rebus habuerunt; nec non factorum quæ ubivis in mundi theatro vani mortales exhibuêre, immanem farraginem coa-

inſtrumenta ſane nec non incrementa atque coronidem accepiſſe; adeoque hiſce horridis fere monſtris tantum, non autem Deo per omnes iſtas artes, litari. Quæ cum elegantiorem præ cæteris eruditionis ac veritatis larvam præ ſe ferant; hominum autem exitium, vitiorumque augmentum, atque adeo miſeriam non minus quam cæteræ promoveant, non minus etiam quam cæteræ inter fallaciſſimas his de cauſis ſunt annumerandæ. Quamvis enim earum materia in ſe non ſit falſa, qualis eſt præcedentium, eſt tamen & vana & multo plus damni quam commodi afferens: utilitas autem ſi qua interdum inde eſſe poſſit, non tamen tanta eſt atque fingitur: & verò quæ revera talis eſt, ea quomodo tutò haberi poſſit, oſtendimus ubi de eruditione ſolida acquirenda actum eſt. Neque æſtimandum eſt, eos, qui prorſus Deo Optimo Sapientiſſimoque traditi forent, ab eo ſic neglectum iri, ut ipſis, ſicubi re aut luce aliqua opus haberent, non provideretur ab illo, & quidem ita ut ad ſola utilia & neceſſaria manu ducerentur, prætermiſſis multis noxiis & inutilibus, quæ cum ab aliis, tum præcipue ab iſtis artibus diſciplinisque Mathematicis, copioſiſſime procedunt.

65. *Mathematici genii influxus plurimi pernicioſiſſimi recenſentur.*

LXV. Neque hoc tantum, ſed periculoſiſſimis, ni caveatur, diſpoſitionibus imbuere ſolet animas intemperantius occupatas genius Mathematicus. Inficit enim eas fataliſmo, ſtupiditate ſive inſenſibilitate ſpirituali, brutaliſmo, incredulitate & præſumtione ferme inſanabili. Nam quando in pertractandis

ctandis numeris, figuris & machinis ſuis, omnia vident ex ſe invicem ſequi veluti fataliter, non autem ex libertate; inde principiis & nexibus rerum quaſi neceſſariis & fatalibus conſiderandis ſic aſſueſiunt, ut e rerum, etiam ſpiritualium, natura & regimine libertatem prorſus eliminent, fatalemque in omnibus neceſſitatem adſtruant, etiam in ſe ipſis, repugnante conſcientia & interno ſenſu, (adeo inſenſibiles ſibi facti!) imo & in ipſo Deo, eouſque in notionem ejus Sufficientiæ ſine ſenſu impingentes. Et quoniam in operationibus Mathematicis vident ſuppoſita data manere, neque verò minui vel augeri, unde tuto concluſiones ex proportionibus datorum deducunt: idem etiam in phyſicis voluerunt inter principia ſupponere, naturæ videlicet materiam poſitam, poſitamque motûs quantitatem manere, nec augeri: quod & ſine cauſa ſtatuunt, & verò tum contra fœcunditatem & activitatem Dei, tum contra experientiam in nobiliori parte naturæ, in mentibus dico, quæ numeroſiore ſubſtantia augentur in dies, & in quibus, poſitâ unâ cogitatione, ejusque uno motu ſive impulſu & affectu, plures in infinitum ſequuntur; quæ in natura corporea, ſpiritualis naturæ velut umbrâ, ſuam proculdubio habent analogiam. Cum autem ex craſſis ſuis quantis, numeratis, figuratis & motis, effectus vident ſequi vi materiata & figurata, non autem ex intentione aliqua mentali; inde diſponuntur ad negationem nobilis iſtius cauſæ finalis quæ nil aliud eſt in rerum univerſitate

quam

quam adoranda Dei Sapientia, omnia ad uſus ſuos ſic deſtinans, ut vi voluntatis ſuæ ideo talia fiant & exſiſtant; non autem ex fatali & mathematico rerum extenſarum ſine ſcopo & juxta regulas quaſdam brutas motarum & figuratarum regimine. Et quoniam de minuſculis ſuis objectis quantitatis nil admittere ſolent, niſi demonſtrationes habeant palpabiles; idem genus agendi ad diviniora, (quorum tamen intelligendorum mentes hominum corruptæ adhuc ſunt incapaciores, quam cœcus recipiendi luminis) volunt extendere; atque adeo valde proclives fiunt ut nihil de illis (ſiquidem ea capere non poſſint) fide admittant: quod perinde eſt, ac ſi cœcus nollet credere corporum figuras lumine percipi, eo quod lumen non palpet: aut ac ſi filius patrem, paternaſque voluntates & res nollet agnoſcere, amplecti, revereri, niſi prius ipſi mathematice demonſtretur hunc ſuum eſſe patrem, quæque ſit paternarum rerum voluntatiſque natura. Et ſane miror eos ad practicum in omnibus Pyrrhoniſmum non item deduci, quandoquidem in rebus agendis demonſtrationes Mathematicæ haberi non poſſint: ſintque reſpectu noſtri res divinæ, (hoc eſt, intellectûs, facultatumque omnium Deo & placito ejus ſubjectio) non minus practicæ quam res quæ civiles & œconomicæ vocantur. Denique ex eodem fonte non parva quoque tentantur præſumtione, ſeu indocili arrogantia, ſi quando, cogitantes ſe de objectis ſcientiæ ſuæ demonſtrationes & certitudines ſcientificas

ficas habere, ſibi quoque perſuadeant ſe ſimiliter quam plurima alia in ſcientiis, rebus artibuſve aliis ſcire: tunc enim cætera illa quaſi inter demonſtrata ejuſdem cum prioribus evidentiæ connumerantes, quæcunque aliunde tantiſper hiſce oppoſita ſibi proponi poſſent, non minori cum indignatione vel faſtidio rejiciunt, ac ſi audirent ſibi perſuaderi velle bis bina non eſſe quatuor, aut trigoni angulos duobus rectis non æquipollere. Quæ quidem animi diſpoſitiones omnes quantum ſint præcavendæ, &, ni caveantur, quantum detrimenti ſolidæ eruditioni, virtuti & felicitati afferant, falſam autem eruditionem quam promoveant; omnibus, quorum intereſt, perpendendum relinquo.

66. Reſpondetur aliquot inſtantiis quibus nonnulli ſtudium Mathematicum commendant, quaſi ad divina & moralia proficuum.

LXVI. Verum objiciet forte nonnullus ea, vel iis ſimilia, quæ in præfatione Novorum Geometriæ Elementorum a Janſeniſtis jam aliquot abhinc annis editorum, leguntur: per Geomotriæ videlicet (abſtractæ præſertim) ſtudium ſive peritiam, haud parum juvari poſſe mentes ad pietatem, „concupiſcentiarum diminutionem, animi æ„quitatem, ad puræ ſpiritualiſque veritatis „amorem, ad veritatis ſolidioris agnitio„nem & criterium, ad firmandum, itemque „extendendum intellectum rationemque, ad „agnoſcendam magnitudinem, immateria„litatem, immortalitatemque animæ: quæ omnia ſuis fulcire volunt rationibus, ſpeciem quidem coram humana corruptaque ratione habentibus; ſed quæ ad lumen verum divinumque admotæ mera ſunt ſophiſmata.

Nam

Nam quî ad *pietatem* conferre cenſenda eſt ea ſcientia, quæ eſt ſcientia diſtractionis a Deo, totam animam occupans frigidis quibuſdam ſpeculationibus de ſteriliſſimis inutilitatibus & næniis, quales ſunt quæ pro ſubtiliſſimis maximeque arduis a peritioribus hujus artis quæruntur & comprobantur? Quî concupiſcentias diminuere juvabit id, quod vice *concupiſcentiæ carnis* & ſuſcipitur a *concupiſcentia oculorum*, ſive curioſitate vana, & verum tum hanc, tum pernicioſiſſimas concupiſcentias laudum, paſſiones complacentiæ in ſe, voluptates ſubtiliores rationis, vitia ſuperbiæ excitat viciſſim, fovetque & corroborat? Idne etiam ad ſolidam *animi æquitatem* diſponet, quod allicit mentes ad capitale hoc iniquitatis genus, ut tempus, vita, ſtudia, quæ Deo, ſaluti propriæ & proximorum, rebuſque neceſſariis debentur, iis ſubripiantur furto, tradanturque indignis nullius commodi ſpeculationibus, quæ ideo quod nullius commodi ſint, ſpeculatoribus ſuis vocabuntur *puræ veritates*; amorque earum, *amor veritatis meræ & ſpiritualis*, utpote ubi nullus, inquiunt, reſpectus ad ullum emolumentum haberi poteſt, hoc eſt, opinor, quæ ſint inſtar filorum aranearum? Bone Deus, quid audio! Notiunculæ & ſpeculationes futiles de craſſioris ſubſtantiæ lineis & ſuperficiebus, & maſſis, & agitationibus, dicendæ fuerint *veritates puræ & ſpirituales*, mediumque ad amorem & acquiſitionem veritatum diviniorum & cœleſtium. Atqui ex eo quod anima aſſueſcit ſe, amorem & affectus ſuos tradere inutili-

inutilibus & pulverulentis minutiis, putarem ego in ea ſuffocari affectus erga veritates vere puras & ſpirituales, hoc eſt, cœleſtes & divinas & ſolidas: quod & ratione & experientia triſti plus nimis confirmatur; uti & hoc, nullos eſſe ad veritates ſolidas & momentoſas percipiendas agnoſcendaſque minus aptos, quam qui ex armamentario exercitii Mathematici inſignia quædam *adminicula ad criterium veritatis dignoſcendum* exſpectant. Sunt namque veritatiuncularum pulverulentarum, veritatumque divinarum & ſolidarum diverſa prorſus (ut vidimus) criteria, diverſaque lumina: ita ut ex tractatione & cognitione craſſa ac palpatoria (ut ſic dicam) materiarum Mathematicarum ad conſpicandas res atque rerum ſolidas veritates, cùm criteriis ſuis non magis præparari poſſit animus, quam cœcus, qui res corporeas palpationis criterio novit, hinc ad percipiendum dignoſcendumque lumen, colores, & cætera quæ luminis oculorumque ope noſcuntur, diſponi queat. Neque minus a vero abeſt, *intellectum iiſdem atque rationem firmari & extendi*: extenditur quidem & dilatatur ad res abjectas, viles, minutas indignaſque mentis divinioris occupatione; at hoc ipſum eſt intellectûs vires & alas ad divina frangere capacitatemque ejus coarctare, quando tam ſæpe ſe contrahit ut pulviſculos complectatur, tamque frequenter ſe redigit ad reculas tantillas, quarum e contra depoſitione, contemtu & oblivione intellectus ad diviniora & ſolidiora vividius, penetrantius & abun-

dantius capienda ſit ideoneus, teſtibus quotquot rem ſunt experti. Kempiſius: (a) *Quanto aliquis magis ſibi unitus & internus ſimplificatus fuerit, tanto plura & altiora ſine labore intelligit, quia deſuper lumen intelligentiæ accipit*: quæ egregie Gallicus Paraphraſtes verſibus ſic expreſſit:

(a) Lib. I. cap. 3.

Plus l'eſprit ſe fait ſimple, & plus il ſe rameine
Dans un interieur degagé des objets;
Plus lors ſa connoiſſance eſt diffuſe & certaine,
Et s'eléve ſans peine
Juſqu'aux plus hauts ſujets.
Oui, Dieu prodigue alors ſes graces plus entieres,
Et portant nôtre ideé au deſſus de nos ſens,
Il nous donne d'entraut d'autant plus de lumieres,
Qui percent les matieres
Par des traits plus puiſſants.

Aliam viam & oppoſitam quidem commendare, eſt ignorare, quando intellectus ad divina & momentoſa diſponatur. *Mentis* autem *magnitudinem* inde perſpici, hoc eſt, inde patere mentem eſſe magnam & ampliſſimam geſticulatricem in rebus nauci, exilem autem & abjectiſſimam, quæ ſe tantulis pulviſculis patiatur detineri & ligari, fateor melius per iſta agnoſci quam ejuſdem inde *immortalitatem* probari: Nam quæ hæc eſt conſequentia? Anima immaterialis cogitat de iis quæ concernunt quantitatem. Ergo non deſinet cogitare in æternum, ſive, eſt immortalis? Nexum capiat qui poteſt.

67. *Earun-*

LXVII. Ex quibus omnibus conſtat magis

gis magiſque nulla numeroſiora & nocentiora animæ impendere a ſcientiis pericula, quam ab iis de quibus quæſtio eſt. Monui autem alicubi, (ut cauſa cavillandi præcidatur) iſta non ſic eſſe extendenda ad communia principia operationeſque vulgares, quatenus ad vitæ uſum ſunt neceſſariæ: & præterea ex ipſis ſpeculationibus vel vaniſſimis in cœcitate mentis dudum acquiſitis, poſſe ab iis qui ad divina poſtmodum convertuntur, poſtliminio nonnulla bona deduci, veluti ſi ipſi qui has diſciplinas callent, ubi ſe per eas inſinuaverint in amicitiam & confidentiam eorum qui illis delectantur, eorundem deinde animos, jam eis addictos & confidentes, facilius convertant ad Deum unum; nec non & quaſvis revocent animas, ad divina & æterna natas, a quæſitione & deſiderio iſtarum vanitatum, quæ cum ipſis perſpectæ ſint; de earum etiam inanitate quando teſtantur, merentur magis fidem, & plus etiam eis ab inexpertis creditur. Atque hic eſt verus ille horum retrogradus uſus, non autem ut eas operoſas nugas commendent imperitis & veritatem quærentibus, tanquam media quibus animæ ad divina & ſalutaria magis idoneæ reddantur; cum revera, etiamſi unum atque alterum inde poſſet emolumentum animæ rariùs provenire, infinita ſint & pernicioſa, & ob nativam corruptionem certa nimis pericula in quæ concidunt ad unum fere omnes quotquot hac via procedunt.

Eandem diſciplinarum paucus ad Solida uſus, iſque retrogradus. Majora ad lapſum inde pericula.

Ita ut incaſſum prætextus utilitatum, nunquam hinc de facto emergentium, obtendantur

63. *Grammatica & Critica falſa.* LXIII. GRAMMATICÆ, ſive arti quæ ſermonem tum formare tum intelligere docet, nil falſi ineſſe dicerem, modo ii qui ſe vel alios ea imbuere volunt, verum ejus uſum ſcopumque conſiderarent, operamque ſuam ad eum potiſſimum accommodarent. Ante omnia diſpiciendum eſſet, quonam in genere quove in commercio rerum neceſſariarum & utilium cuique juxta rationem vitæ amplectendæ opus foret tum conceptus ſuos aliis ore aut ſcripto exprimere, tum aliorum concipere. Atque ita deinde rem ſine ambagibus aggredi oporteret, ea ediſcendo ſimpliciter, quibus & ſe aliis in re propoſita intelligibiles, & alios ſibi, redderent. At quando ſolidis & neceſſariis poſthabitis, vanarum, imo & exitialium cogitationum rerumque commercium ſibi proponunt, nec non id agunt, ut nugas ſubtiles, vel turpitudines impuras, aut adulationes inſanas, & quæ ſupra notavimus, veterum quorundam aretalogorum ſermonem, pſittacorum inſtar imitantes, fritinniant; tunc ſane fallax & damnoſum eruditionis falſæ atque exitioſæ inſtrumentum fit atque adminiculum Grammatica.

De filiola ejus, Diva CRITICA, quæ & matre argutior, & verò delicatulæ atque admodum ſagaciter tornatæ habitudinis meretricula geſtit videri, idem ſentiendum eſt quando bona (in regulis ubi de hoc ſubjecto egimus, Lib. II. oſtenſa) negligit, mala autem (ibidem indicata) & amplectitur, & novis præterea cumulat: quando ſe ſolam librorum, etiam ſacrorum, clavem venditat; & tamen, ſcopo

eorum

eorum ac mente omiſſis, ſic literalibus, chronologicis, hiſtoricis minutiis frigide adhæret, ut ob circumſtantiolas quaſdam alicubi forte non obſervatas, res ipſas fructuoſiſſimas non neget modo; aut ſubſtantiam ſolidiſſimarum, quæ captum ſuum ſuperant, judicet & condemnet: ſed etiam blaſphemet & irrideat. Et nihilominus magnos ſibi interim progreſſus facere ingentiaque lucra comparare videtur, eo quod parvulis obſervatiunculis, iiſque rarius occurrentibus, (quia nugamenta ejuſmodi a ſolidioribus ingeniis, tanquam objecta ſuis ſtudiis indigna, prætermittuntur) totæ afficiantur & repleantur anguſtiores animæ; omnino quemadmodum pueruli, qui dum oſſiculis ob caſſam nucem ludunt, ex ludicro ejuſmodi lucello magis afficiuntur, quam ex totius hereditatis paternæ ſolidioribus bonis. Faciunt ſane id Critici quando divinis operibus tum naturalibus, tum ſupernaturalibus atque internis ſuſque deque habitis & neglectis, caſſa vanaque hominum ſcripturientium opera, cortice tenus adradenda, præponunt: in quibus ubi progreſſus illos ſuos pluſculum extendiſſe videntur, tum vero rem maximi momenti ſeſe præſtitiſſe ſibi perſuadent, atque in imaginariis ſuis theſauris triumphant; præſertim poſtquam ramentis ſuis pædagogicis ſuperaddiderint hiſtoricas notitias variarum cogitationum, etiam maxime anomalarum, quas alii quibuſvis de rebus habuerunt; nec non factorum quæ ubivis in mundi theatro vani mortales exhibuêre, immanem farraginem coa-

cervaverint; non eo ſcopo, ut quid in illis veri aut falſi, boni aut mali, fugiendi vel admittendi ſit, inquirant; ſed tantum ut ex ſtolida quadam & morboſa curioſitate ſciant ipſi, & ex pædagogica ſuperbia nonnullis vel publico prodant ſe ſcire quid aliorum cogitationibus & motibus acciderit. Qua in re ad eum modum inſanire videntur ac ſi cœci quidam, de lumine aut viſu recipiendo nil curantes, id unicum ſibi agendum crederent, ut ſollicite inquirerent de geſtis ac factis pictorum, deque ſuarum picturarum ſtatu & proprietatibus, nec non de luce, & quinam de ea, & de coloribus, deque viſu ſcripſerint? quo tempore? quâ lingua? quot inde verſiones? an bene factæ? an variantes dentur lectiones? qui codices optimi? quomodo implendæ lacunæ? & ſimilia. Quod ſi cum frivolo hoc inaniarum & omnis generis ramentorum hinc inde congeſtorum magis magiſque inflati, apparatu ſuo ſeſe præ aliis ſapere, eruditionem ſolidam a ſe ſolis poſſideri, cæteros qui ſui ſimiles non ſint ab ea excludi, ſomnient; nonne tunc tibi videre videaris mendicos mente & oculis captos, qui ex proprio fundo nil poſſidentes, per civitatem vagabundi denariolos oſtiatim emendicant atque veteramenta, cineres, lapillos, vitrea fragmenta vel e ſterquiliniis & ſimetis hinc inde collecta, tanquam gemmas pretioſas theſauroſque inſignes amplectuntur; ſervantque in ſinu: & tum ſe ditiſſimos ſic eſſe delirantes, poſtquam de iſtis perbelle garrire aſſuefacti ſunt, iis inſultant quibus veræ

veræ e propriis fundis emergunt poſſidenturque divitiæ, quibusque ſe miſeri, tanquam qui ſoli ſolide divites ſint, ridicule anteponunt? Tales profecto, ſi quem inter eruditos locum & titulos quærant, iis digni ſunt, quos habere decet cœca eruditorum mendicabula.

LXIV. Dixi cum de ſuperficiariis agerem, cur de cæteris artibus ſcientiiſque nil ſpecialius moverem, quod nempe pleræque, ſi non omnes, fundarentur præcipue in illis quarum defectus & falſa vidimus. Et quamvis nonnullæ non ita videantur ſpeculationibus meris & inutilibus abſolvi; ſed ad praxin effectuſque reales terminari; maxime eæ quævel ex Matheſi oriuntur, vel eidem quaſi implicantur, uti numerorum ſcientia, muſica, aſtronomia, architectonica civilis, navalis, militaris, atque aliæ; quæ magnatibus, mercatoribus, totique civili ſocietati adeo prodeſſe videntur: tamen ſi quæ ſine fructu ſunt, ex iis ejicerentur, ſi reliqua, quæ ad uſum faciunt, ad bilancem rerum ſolidarum, æternitatis, amoris Dei & proximi, vitæque hîc inter humilitatem & abſtinentiam ad beatioris adeptionem tranſigendæ, exigantur; ſi etiam experientiâ conſultâ, quinam revera inde fructus inter mortales redundaverint, inſpiciamus; fateri cogemur, hominum avaritiam, laſciviam, ſuperbiam, pompas, curioſitatem, prodigalitatem, crudelitatem, proximi oppreſſionem, turbulentam atque inordinatiſſimam vitam, homine, Dei opere, & Chriſti diſcipulo & membro indignam, hinc ſi non exordium, inſtru-

64. De cæterarum ſcientiarum, & ſpecialius de Mathematicarum diſciplinarum fallacia.

inſtrumenta ſane nec non incrementa atque coronidem accepiſſe; adeoque hiſce horridis fere monſtris tantum, non autem Deo per omnes iſtas artes, litari. Quæ cum elegantiorem præ cæteris eruditionis ac veritatis larvam præ ſe ferant; hominum autem exitium, vitiorumque augmentum, atque adeo miſeriam non minus quam cæteræ promoveant, non minus etiam quam cæteræ inter fallaciſſimas his de cauſis ſunt annumerandæ. Quamvis enim earum materia in ſe non ſit falſa, qualis eſt præcedentium, eſt tamen & vana & multo plus damni quam commodi afferens: utilitas autem ſi qua interdum inde eſſe poſſit, non tamen tanta eſt atque fingitur: & verò quæ revera talis eſt, ea quomodo tutò haberi poſſit, oſtendimus ubi de eruditione ſolida acquirenda actum eſt. Neque æſtimandum eſt, eos, qui prorſus Deo Optimo Sapientiſſimoque traditi forent, ab eo ſic neglectum iri, ut ipſis, ſicubi re aut luce aliqua opus haberent, non provideretur ab illo, & quidem ita ut ad ſola utilia & neceſſaria manu ducerentur, prætermiſſis multis noxiis & inutilibus, quæ cum ab aliis, tum præcipue ab iſtis artibus diſciplinisque Mathematicis, copioſiſſime procedunt.

65. *Mathematici genii influxus plurimi pernicioſiſſimi recenſentur.*

LXV. Neque hoc tantum, ſed pericoloſiſſimis, ni caveatur, diſpoſitionibus imbuere ſolet animas intemperantius occupatas genius Mathematicus. Inficit enim eas fataliſmo, ſtupiditate ſive inſenſibilitate ſpirituali, brutaliſmo, incredulitate & præſumtione ferme inſanabili. Nam quando in pertractandis

ctandis

ctandis numeris, figuris & machinis ſuis, omnia vident ex ſe invicem ſequi veluti fataliter, non autem ex libertate; inde principiis & nexibus rerum quaſi neceſſariis & fatalibus conſiderandis ſic aſſueſiunt, ut e rerum, etiam ſpiritualium, natura & regimine libertatem prorſus eliminent, fatalemque in omnibus neceſſitatem adſtruant, etiam in ſe ipſis, repugnante conſcientia & interno ſenſu, (adeo inſenſibiles ſibi facti!) imo & in ipſo Deo, eouſque in notionem ejus Sufficientiæ ſine ſenſu impingentes. Et quoniam in operationibus Mathematicis vident ſuppoſita data manere, neque verò minui vel augeri, unde tuto concluſiones ex proportionibus datorum deducunt: idem etiam in phyſicis voluerunt inter principia ſupponere, naturæ videlicet materiam poſitam, poſitamque motûs quantitatem manere, nec augeri: quod & ſine cauſa ſtatuunt, & verò tum contra fœcunditatem & activitatem Dei, tum contra experientiam in nobiliori parte naturæ, in mentibus dico, quæ numeroſiore ſubſtantia augentur in dies, & in quibus, poſitâ unâ cogitatione, ejusque uno motu ſive impulſu & affectu, plures in infinitum ſequuntur; quæ in natura corporea, ſpiritualis naturæ velut umbrâ, ſuam proculdubio habent analogiam. Cum autem ex craſſis ſuis quantis, numeratis, figuratis & motis, effectus vident ſequi vi materiata & figurata, non autem ex intentione aliqua mentali; inde diſponuntur ad negationem nobilis iſtius cauſæ finalis quæ nil aliud eſt in rerum univerſitate

quam

quam adoranda Dei Sapientia, omnia ad uſus ſuos ſic deſtinans, ut vi voluntatis ſuæ ideo talia fiant & exſiſtant; non autem ex fatali & mathematico rerum extenſarum ſine ſcopo & juxta regulas quaſdam brutas motarum & figuratarum regimine. Et quoniam de minuſculis ſuis objectis quantitatis nil admittere ſolent, niſi demonſtrationes habeant palpabiles; idem genus agendi ad diviniora, (quorum tamen intelligendorum mentes hominum corruptæ adhuc ſunt incapaciores, quam cœcus recipiendi luminis) volunt extendere; atque adeo valde proclives fiunt ut nihil de illis (ſiquidem ea capere non poſſint) fide admittant: quod perinde eſt, ac ſi cœcus nollet credere corporum figuras lumine percipi, eo quod lumen non palpet: aut ac ſi filius patrem, paternaſque voluntates & res nollet agnoſcere, amplecti, revereri, niſi prius ipſi mathematice demonſtretur hunc ſuum eſſe patrem, quæque ſit paternarum rerum voluntatiſque natura. Et ſane miror eos ad practicum in omnibus Pyrrhoniſmum non item deduci, quandoquidem in rebus agendis demonſtrationes Mathematicæ haberi non poſſint: ſintque reſpectu noſtri res divinæ, (hoc eſt, intellectûs, facultatumque omnium Deo & placito ejus ſubjectio) non minus practicæ quam res quæ civiles & œconomicæ vocantur. Denique ex eodem fonte non parva quoque tentantur præſumtione, ſeu indocili arrogantia, ſi quando, cogitantes ſe de objectis ſcientiæ ſuæ demonſtrationes & certitudines ſcienti-

ficas

ficas habere, ſibi quoque perſuadeant ſe ſimiliter quam plurima alia in ſcientiis, rebus artibuſve aliis ſcire: tunc enim cætera illa quaſi inter demonſtrata ejuſdem cum prioribus evidentiæ connumerantes, quæcunque aliunde tantiſper hiſce oppoſita ſibi proponi poſſent, non minori cum indignatione vel faſtidio rejiciunt, ac ſi audirent ſibi perſuaderi velle bis bina non eſſe quatuor, aut trigoni angulos duobus rectis non æquipollere. Quæ quidem animi diſpoſitiones omnes quantum ſint præcavendæ, & , ni caveantur, quantum detrimenti ſolidæ eruditioni, virtuti & felicitati afferant, falſam autem eruditionem quam promoveant; omnibus, quorum intereſt, perpendendum relinquo.

66. Reſpondetur aliquot inſtantiis quibus nonnulli ſtudium Mathematicum commendant, quaſi ad divina & moralia proficuum.

LXVI. Verum objiciet forte nonnullus ea, vel iis ſimilia, quæ in præfatione Novorum Geometriæ Elementorum a Janſeniſtis jam aliquot abhinc annis editorum, leguntur: per Geomotriæ videlicet (abſtractæ præſertim) ſtudium ſive peritiam, haud parum juvari poſſe mentes ad pietatem, "cupiſcentiarum diminutionem, animi æquitatem, ad puræ ſpiritualiſque veritatis "amorem, ad veritatis ſolidioris agnitionem & criterium, ad firmandum, itemque "extendendum intellectum rationemque, ad "agnoſcendam magnitudinem, immaterialitatem, immortalitatemque animæ: quæ omnia ſuis fulcire volunt rationibus, ſpeciem quidem coram humana corruptaque ratione habentibus; ſed quæ ad lumen verum divinumque admotæ mera ſunt ſophiſmata.

Nam

Nam quî ad *pietatem* conferre cenſenda eſt ea ſcientia, quæ eſt ſcientia diſtractionis a Deo, totam animam occupans frigidis quibuſdam ſpeculationibus de ſteriliſſimis inutilitatibus & næniis, quales ſunt quæ pro ſubtiliſſimis maximeque arduis a peritioribus hujus artis quæruntur & comprobantur? Quî concupiſcentias diminuere juvabit id, quod vice *concupiſcentiæ carnis* & ſuſcipitur a *concupiſcentia oculorum*, ſive curioſitate vana, & vero tum hanc, tum pernicioſiſſimas concupiſcentias laudum, paſſiones complacentiæ in ſe, voluptates ſubtiliores rationis, vitia ſuperbiæ excitat viciſſim, fovetque & corroborat? Idne etiam ad ſolidam *animi æquitatem* diſponet, quod allicit mentes ad capitale hoc iniquitatis genus, ut tempus, vita, ſtudia, quæ Deo, ſaluti propriæ & proximorum, rebuſque neceſſariis debentur, iis ſubripiantur furto, tradanturque indignis nullius commodi ſpeculationibus, quæ ideo quod nullius commodi ſint, ſpeculatoribus ſuis vocabuntur *puræ veritates*; amorque earum, *amor veritatis meræ & ſpiritualis*, utpote ubi nullus, inquiunt, reſpectus ad ullum emolumentum haberi poteſt, hoc eſt, opinor, quæ ſint inſtar filorum aranearum? Bone Deus, quid audio! Notiunculæ & ſpeculationes futiles de craſſioris ſubſtantiæ lineis & ſuperficiebus, & maſſis, & agitationibus, dicendæ fuerint *veritates puræ & ſpirituales*, mediumque ad amorem & acquiſitionem veritatum diviniorum & cœleſtium. Atqui ex eo quod anima aſſueſcit ſe, amorem & affectus ſuos tradere inutili-

inutilibus & pulverulentis minutiis, putarem ego in ea ſuffocari affectus erga veritates vere puras & ſpirituales, hoc eſt, cœleſtes & divinas & ſolidas: quod & ratione & experientia triſti plus nimis confirmatur; uti & hoc, nullos eſſe ad veritates ſolidas & momentoſas percipiendas agnoſcendaſque minus aptos, quam qui ex armamentario exercitii Mathematici inſignia quædam *adminicula ad criterium veritatis dignoſcendum* exſpectant. Sunt namque veritatiuncularum pulverulentarum, veritatumque divinarum & ſolidarum diverſa prorſus (ut vidimus) criteria, diverſaque lumina: ita ut ex tractatione & cognitione craſſa ac palpatoria (ut ſic dicam) materiarum Mathematicarum ad conſpicandas res atque rerum ſolidas veritates, cùm criteriis ſuis non magis præparari poſſit animus, quam cœcus, qui res corporeas palpationis criterio novit, hinc ad percipiendum dignoſcendumque lumen, colores, & cætera quæ luminis oculorumque ope noſcuntur, diſponi queat. Neque minus a vero abeſt, *intellectum iiſdem atque rationem firmari & extendi*: extenditur quidem & dilatatur ad res abjectas, viles, minutas indignaſque mentis divinioris occupatione; at hoc ipſum eſt intellectûs vires & alas ad divina frangere capacitatemque ejus coarctare, quando tam ſæpe ſe contrahit ut pulviſculos complectatur, tamque frequenter ſe redigit ad reculas tantillas, quarum e contra depoſitione, contemtu & oblivione intellectus ad diviniora & ſolidiora vividius, penetrantius & abundantius

dantius capienda ſit ideoneus, teſtibus quotquot rem ſunt experti. Kempiſius : (*a*) *Quanto aliquis magis ſibi unitus & interius ſimplificatus fuerit, tanto plura & altiora ſine labore intelligit, quia deſuper lumen intelligentiæ accipit* : quæ egregie Gallicus Paraphraſtes verſibus ſic expreſſit :

(a) Lib. I. cap. 3.

Plus l'eſprit ſe fait ſimple, & plus il ſe rameine
Dans un interieur degagé des objets ;
Plus lors ſa connoiſſance eſt diffuſe & certaine,
Et s'eléve ſans peine
Juſqu'aux plus hauts ſujets.
Oui, Dieu prodigue alors ſes graces plus entieres,
Et portant nôtre ideé au deſſus de nos ſens,
Il nous donne d'entraut d'autant plus de lumieres,
Qui percent les matieres
Par des traits plus puiſſants.

Aliam viam & oppoſitam quidem commendare, eſt ignorare, quando intellectus ad divina & momentoſa diſponatur. *Mentis* autem *magnitudinem* inde perſpici, hoc eſt, inde patere mentem eſſe magnam & ampliſſimam geſticulatricem in rebus nauci, exilem autem & abjectiſſimam, quæ ſe tantulis pulviſculis patiatur detineri & ligari, fateor melius per iſta agnoſci quam ejuſdem inde *immortalitatem* probari : Nam quæ hæc eſt conſequentia ? Anima immaterialis cogitat de iis quæ concernunt quantitatem. Ergo non deſinet cogitare in æternum, ſive, eſt immortalis ? Nexum capiat qui poteſt.

67. Earun-

LXVII. Ex quibus omnibus conſtat magis

gis magiſque nulla numeroſiora & nocentiora animæ impendere a ſcientiis pericula, quam ab iis de quibus quæſtio eſt. Monui autem alicubi, (ut cauſa cavillandi præcidatur) iſta non ſic eſſe extendenda ad communia principia operationeſque vulgares, quatenus ad vitæ uſum ſunt neceſſariæ: & præterea ex ipſis ſpeculationibus vel vaniſſimis in cœcitate mentis dudum acquiſitis, poſſe ab iis qui ad divina poſtmodum convertuntur, poſtliminio nonnulla bona deduci, veluti ſi ipſi qui has diſciplinas callent, ubi ſe per eas inſinuaverint in amicitiam & confidentiam eorum qui illis delectantur, eorundem deinde animos, jam eis addictos & confidentes, facilius convertant ad Deum unum; nec non & quaſvis revocent animas, ad divina & æterna natas, a quæſitione & deſiderio iſtarum vanitatum, quæ cum ipſis perſpectæ ſint, de earum etiam inanitate quando teſtantur, merentur magis fidem, & plus etiam eis ab inexpertis creditur. Atque hic eſt verus ille horum retrogradus uſus, non autem ut eas operoſas nugas commendent imperitis & veritatem quærentibus, tanquam media quibus animæ ad divina & ſalutaria magis idoneæ reddantur; cum revera, etiamſi unum atque alterum inde poſſet emolumentum animæ rariùs provenire, infinita ſint & pernicioſa, & ob nativam corruptionem certa nimis pericula in quæ concidunt ad unum fere omnes quotquot hac via procedunt.

dem diſciplinarum paucus ad Solida uſus, iſque retrogradus. Majora ad lapſum inde pericula.

Ita ut incaſſum prætextus utilitatum, nunquam hinc de facto emergentium, obtendantur

dantur illius viæ cauſa, quæ via mille exitialibus periculis objicit objecitque innumeros, inde poſtmodum per defectionem a Deo ſui perditionem paſſos. Duobus quippe modis deficitur a Deo: primo quidem ſeſe elevando per animi inflationem & ſuperbiam; altero autem, per diſtractionem ab illo ſummo omnis boni fonte, deprimendo ſe ad res vanas. Priori modo periêre Angeli, poſteriori homines: ad utrumque autem caſum jam iterandum, efficaciſſimum medium eſt ipſa Matheſis, ſubtilior præſertim: maxime verò decantatiſſima & a ſummi ſubſellii Doctoribus ſupra omnes cœlos elata Algebra, cui in Symbolum vere illud aſſignaveris: INFLAT ET DISTRAHIT, quæque quo magis inutiliſſima nugamenta & incredibiliter futiles inanias magno cum ſudore perreptat, eo cenſetur ſublimior & *divinior*; cum tamen nullibi minus quam hic de bonis animæ ad *divina* diſpoſitionibus inde eliciendis cogitent operantes. Imo tutò dejerari poſſit, nullum ex illis æquationum vanarum & intricatiſſimarum quæſitoribus, unquam ex ſuo hoc exercitio occaſionem deſumſiſſe cogitandi, quinam vitæ actuumque ſuorum *æquatio* cum juſtitia Dei vitaque Chriſti quærenda & perficienda eſſet, tametſi abſque hujus *æquationis* inventione & conſtructione omnes omni demonſtratione Algebraica certius æternùm ſint perituri, & miſerrimam ſtatus ſui cum ſtatu Dæmonum & damnatorum *æquationem* pro concluſione tandem reperturi, poſtquam, ubi diu multumque de *affectionibus numerorum* indeque oriundis argu-

argutulis quæſtiunculis, deque *lineis curvis*, *parabolicis*, *ellipticis*, *hyperbolicis*, earumque *aſymptotis* fuerunt ſolliciti, non tamen curarunt præcipue ut affectiones animi ad *numerum* ordinemque divinæ voluntatis *proportione* debita componerent, ne vita ſua moreſque *lineæ* eſſent *curvæ*, *parabolicæ* & aſſimilatæ vanitati, *ellipticæ* ſive deficientes, *hyperbolicæ* ſive modum excedentes, & *aſymptotæ*, ſive non concurrentes unquam cum *linea* divinæ *rectitudinis* ſemper ad curvitatem noſtram approximantis. Sed ſiſtendus calamus ne forte non pauci ex iis, qui ſeſe his applicant ſcientiis, ad ſpiritualia iſta & ſolide proficua cachinnentur; tanta ſcilicet eis cura eſt ad divina ex ſuis ſcientiis emergendi! Hæc tamen quæ dixi, unde eorum potius occupationes præcipuæ cachinnis dignæ apparent, & pro merito deprimi poſſunt, ſupprimere nolui ideo, quod ejuſmodi vana tantum non adorentur ab iis qui plus cæteris ſapere deſiderant, & inter eruditorum vulgus caput extollere geſtiunt.

LXVIII. Si quis jam ægre ferens in ſuas, quas amplectitur, ſcientias, vel artes fuiſſe hactenus animadverſum, non item in alias quaſdam, verbi cauſa, in Juris aut Medicinæ ſcientias, quæ forte non minus cæteris corruptæ ſunt; is præter cauſas a me ſuo loco dictas, ſciat & rationem alteram, cur hanc rem nolui meam facere, eam eſſe, quod id dudum a celeberrimis JCtorum & Medicorum ſit factum. Et quidem de theoria Juris a magno JCto Franciſco Hotomanno 68. *De Iure & Medicina.*

 in li-

in libro quem *Anti-Tribonianus* appellavit; de praxi verò ab illuſtri Antonio Fabro, aliquot voluminibus in folio, quibus titulum *de Erroribus pragmaticorum* præfixit. Et quiſquis generalius effecti (collecti juris legumque ſtatutarum) naturam e cognitione cauſæ volet utcunque conjicere; adeat hiſtoriam arcanam Procopii, illic quis Juſtinianus, quis Tribonianus fuerint, multo diductius quam apud Suidam non ſine horribili ſtupore viſurus: quæ ibi & qualia ſint, dici hîc non poteſt: ſunt enim talia quæ de illis narrantur, ut niſi propriis legantur oculis, fides citanti haberi poſſit nulla. Quoad Medicinam, quam falſa ſit & quantum fallat vulgaris atque hodierna, hoc ipſimet ſciunt Medici, & oſtenderunt paſſim & copioſe in ſuis operibus ſummi hac in arte Heroës, Paracelſus, & Helmontius Pater, quos conſulat, cui lubuerit.

69. *De Theologia falſa. Ejus origines, ſpecies quatuor, & fulcrum omnibus commune.*

LXIX. De THEOLOGIA falſa ſi nunc quædam dixero, opinor neminem inde offendi debere, quando Chriſtianiſmus in plures uti & ſectas diviſus, quarum unaquæque cæterarum Theologiam pro falſa ducit, hoc pacto unicuique libertatem relinquit, ea, quæ de Theologia falſa in medium afferentur, non ſuæ, ſi velit, ſed aliarum Sectarum Theologiæ applicandi.

Quemadmodum quando de aliqua re pingenda agitur, originale verum eſt unicum, vera & genuina ejus per picturam repræſentatio itidem uniformis; at repræſentationes falſæ numeroſiores ſunt: ita Theologia ſolida una

eſt:

eſt? Theologia ſuperficiaria, quæ eſt ſolidæ repræſentatio vera, etſi picta tantum & mortua, ſimiliter una: at Theologiæ falſæ, ſolidam ne quidem umbratiliter, ſed monſtroſe & falsò tantum æmulantis, plures ſunt ſpecies. Et harum quidem etſi unaquæque nonnibil in partibus quibuſdam contineat veri, quia tamen id non ſincerum eſt, ſed aliarum partium erroribus infectum, hinc & toti Syſtemati titulum veri id neutiquam jure conciliat, haud ſecus atque cibus aliquis non eſt ſalubris appellandus quando bonæ ſubſtantiæ commiſcetur venenum interimens. Falſa autem Theologia, ut expoſita origine modoque ejus inſinuandæ facilius poſſit evitari, interdum vel inde naſcitur, quod poſt ſuperficiariam acquiſitam pauſa facta ſit, nec ulterius ab imagine ad originale ejus remque ipſam fuerit progreſſum: unde dum in vacua imagine requieſcit mens, aut ne quidem ibi gratæ quietis locum reperiens ad terrenas craſſaſque delectationes retrocedit, plectitur tenebris: quas non poſſunt non ſequi omnis generis falſa & errores. Sæpius etiam hinc oritur, quod qui nullâ prius erant imbuti, veram dum acquirere volunt, viis non veris procedant: ſed rerum terrenarum abnegatione, ratiocinationis corruptæ ſuppreſſione, ſinceraque & ardenti ad Spiritum Chriſti (Sapientiam unam veram) converſione omiſſis, diverſas quiſque indolis ſuæ propenſiones atque objecta non divina conſulant & ſequantur. Unde pro objectorum atque propenſionum ſuarum diverſitate, di-

verſæ ſpecies Theologiæ falſæ ſunt enatæ, quas compendii gratia ad quatuor poſſis referre, omnes cæteras complectentes. Namque vel proceditur per viam rationis corruptæ, quatenus illa ſibi præcipue adhæret; & hinc procedit Theologia opinioſa: Vel per eandem, quatenus aliorum conſenſu magis fulcitur & juvatur; unde eſt Theologia Sectaria: Vel per viam utilitatis propriæ ab aliis conſequendæ; quod Theologiam adulatoriam facit ſeu culinarem: Vel denique per viam literæ, ſpiritu deſtitutæ; unde Theologia literalis & Critica emergit. Hypocriticam Theologiam pro quinta ſpecie non numero, quoniam vel ipſiſſima eſt Theologia adulatoria, vel etiam ſuperficiaria, quæ, quatenus ad divini originalis poſſeſſionem intus non tendit, ſpeciem & ſuperficiem tantum habet, errores illi implicatos ex opinioſa aliiſque interim trahens: id quod cæteris ſimiliter eſt ſolemne: ſua enim ſibi invicem, ubi in aliquo ſunt ſubjecto, ſæpe communicant. Nam quamvis ſingulæ conditiones habeant præ cæteris primarias, harum tamen fluenta in ſocias derivant: tum communi etiam fulcro ſimul nituntur omnes, amore proprio videlicet, cui conſulendo diceres in unum omnes conſpiraſſe, ita data videtur opera ut is ſalvus undique fieri poſſit, non ſane per viam interitûs ſui, moriendo quoad omnia ſua cum acerbis debitiſque anxietatibus in cruce Chriſti, ut hujus adorandus Spiritus, vita, virtutes, mores, impulſus & regimen poſtea inhabitanter in homine locum amoris proprii teneant:

teneant : ſed potius ita , ut dum belliſſime naturæ motus ſequitur, ſibique quam optime conſulit, quæ interim ſibi dura ſunt in alium quidem ſarcinæ ſuæ portatorem rejiciat; ſibi vero, per externa quædam geſtamina vel geſticulatoria, aut opiniones neſcio quas de juſtitia per abſolutum aſſenſum vel adſtipulationem imaginariam imputativè acquirenda, lepide perſuadeat, ſe æternam vitam petendi jure potiri, quando tamen jus tantum habet petendi infernum. 70.

LXX. Sunt autem uniuſcujuſque, & primo quidem *Theologiæ opinioſæ*, conditiones ex primariis præcipuæ, ſequentes. Hæc quoniam rationem propriam conſulit, rationalis Theologia amat dici: non quod Scripturas ſimul non audiat; ſed quod ſoleat ratiociniis, quibus utitur, Scripturas ſacras accommodare, non autem ſe Scripturæ ſenſui. Atque hinc eſt, quod Theologi rationaliſtæ, quamvis ſe una Scriptura niti dicant, atque in una etiam eademque verſentur ſecta, tamen pro rationis idearumque variabili genio diſſentiant inter ſe omnes, etſi modeſtius, ut & in hoc aliquid rationalis regiminis appareat. Porro quorum ratio, ratiocinatio atque ideæ ſunt imperfectiſſimæ & corruptiſſimæ, uti antea (a) vidimus, non poteſt non Theologia hæc habere eaſdem, quas illæ, conditiones, atque adeo non poteſt non inter alia eſſe frigida, ſterilis, fluctuans, tenebroſa, & quæ ſimilia. Deinde quia reginam ſe ratio inter facultates & res omnes numerat, hinc & Theologia hæc ra-

Theologia opinioſa.

(a) Lib. II. §. 6, 7, 8.

 tionis

tionis ſuperba eſt, ſuique admiratrix, tametſi ſimul ita monſtrifera, ut nulla res adeo ſacra ſit, quam ideis & ratiociniis abſurdis, milleque modis oppoſitis non deturpaverit: quod infiniti eſſet operis vel ſolum indigitare: ne dicam pleroſque qui proprias ex facultate Theologiæ hujus opinioſæ fabricantur, eas ut ut deoſculentur, tamen ſibi plerumque occultas ſervare, quaſi ſuæ abſurditatis ridendæ conſcii. Et tamen illi ipſi ſunt, qui admirabiliſſima Sanctorum dona atque opera unà cum divina humilitate, ſimplicitate, innocentia atque infantia Chriſtiana habeant deridiculo.

71. *Theologia Sectaria.* LXXI. *Theologia Sectaria*, opinione quidem ſua Scripturæ innititur, re ipſa autem rationi corruptæ, eique non tam auctoritate divina quam magno ſuffragiorum numero circumcinctæ. Hæc, ut fundamentum cui innititur, hoc eſt, numeroſitatem & multitudinem propagare & extendere poſſit, fit illico fervida, dum proſelytas convertendos (ſi non pervertendos) placitorum ſuorum importuna expoſitione & commendatione quæritat non ſine zelo, diſputatrix fit, quando placitis alienis ſufflaminata, eadem impugnat; calumniatrix, cùm ea ipſa, ut plurimum non intellecta neque ſolide ab illa confutanda, mutilat, pervertit & quam peſſima poteſt repræſentat, quo facilius ea dejiciantur ex loco quem ipſa tenere deſiderat: fit denique perſecutrix, quando nec ſic quidem ſibi propagationis locum dari videns, vim, coactionem atque pœnas in auxilium appellat. Et tunc quidem aperte & plene demonſtrat ſe ex officina Diaboli prodiiſſe,

qui

qui mendax eſt & homicida, atque hominum o- Joh. 8:44.
ſor & hoſtis: Chriſtus vero inimicos nec calumniis, nec pœnis, nec vi ulla voluit excipi; ſed commiſeratione, precibus, beneficiis, propriæque pro illis vitæ profuſione: in quibus & characterem unum eorum qui ſui ſunt conſtituit: neminem adeo cogens, ut vel Apoſtolis ſuis januam abeundi, ſi ipſi velint, pandat quam liberaliſſime, *Vultis & vos abire*? quan- Joh. 6:68.
do e contra Sectarum capita cum membris, eos qui ex aſſeclarum numero diſcedunt, aut diſceſſûs cauſæ ſunt, animo perſequuntur adeo infeſto, ut ſi vel auderent vel poſſent, non ſine publicis votis divinam in eos vindictam atque damnationem æternam implorarent, nec a ſanguine fundendo eſſent temperaturi, ſi modo haberent obſequentes eos qui rebus gerendis præſunt. Et quidem hæc omnia ſub velo gloriæ Dei fideique veræ defendendæ. Sed quam perverſe vel inde patet, quod gloria Dei ſolius voluntatis ejus exſecutione promoveatur: hæc autem contineatur charitate ab ipſis violata. Ecquis vero adeo ſtolidus ſit ut ſibi perſuaderi patiatur, Zelotas iſtos veritatis amore animari, quando oculis noſtris videmus, eos non ex veritatis agnitæ divina vi, ſed terreſtri naſcendi ſorte ſectæ ſuæ adhærere; ita ut maximus quiſque partium ſuarum Zelator, ſi modo inter adverſarios natus fuiſſet aut educatus, quas jam propugnat, eaſdem ipſemet inverſa mente impugnaturus eſſet? Neque vero divina fides opinionibus vel ideis, quæcunque illæ ſint, conſtare poteſt, (quod (*a*) alibi fuſius probatum dedi,) ſed Dei in ani-

(*a*) Oecon. de la Creat. Ch. IV.

 ma

ma humili, precante, obſequente lucentis operatione, de qua non magis diſputatur inter ejus poſſeſſores, quam de luce inter videntes. Et hac ſervantur in diverſis Sectis ſimpliciores quæcunque animæ, quando omiſſis feralibus controverſiis, nemineque propterea condemnato, ipſæ manifeſtis Dei mandatis dantes operam, virtutem lumenque ab eo poſtulant, quibus attingant, quantum Deo gratum eſt, ad cognitionem & adeptionem eorum, ad quæ ex propria ratione & induſtria non datur accedere. Quod ſi iſta Sectarum diſputatoribus, iis maxime quorum ea ex arte fervet olla, non arrideant, cogitent iidem, ſuum partis zelum, contentiones, rixas & odia, multo minus Deo placere; neque ea divinæ Sapientiæ, ſive Theologiæ veræ, ſed diabolicæ ejuſque ſignis,

(a) Jacob. 3:14, &c. annumerari ab Apoſtolo: (a) *Si zelum*, inquit, *amarum habetis*, & *contentiones ſunt in cordibus veſtris, nolite gloriari & mendaces eſſe adverſus veritatem: non eſt enim iſta Sapientia de ſurſum deſcendens; ſed terrena*, (quando ex ventris principio culinario quis agit) *animalis*, (cum ex animæ affectibus rationis ſuæ ideis mordicus adhæret) & *diabolica*, (cum ad gloriam propriam ejurata pace ſenſa ſua aliorum placitis odioſe traductis præferre contendit.) *Ubi enim zelus* & *contentio, ibi inconſtantia* (perturbatio animi) & *omne opus pravum. Quæ autem de ſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt*, (non ſe impudenter ingerens eis quæ ipſi non patent,) *deinde pacifica, modeſta, ſuaſibilis*,

lis, (vel docilis) *bonis conſentiens*, *plena miſericordia*, (ſeu commiſeratione erga alios, imo) *& fructibus bonis*; *non judicans* (ex principiis partium, & multo minus calumnians) *& ſine ſimulatione*, hoc eſt, ſincera & ſine adulatione. Adulatio namque ſi adeſſet, jam omnis pacis & manſuetudinis atque moderationis ſpecies ei adjuncta, non ideo tamen Sapientiam veram deſignaret; ſed Theologiæ falſæ ſpeciem, quam tertiam numeravimus, diximuſque *adulatoriam*.

LXXII. Ipſa eſt, quæ teſte Scriptura, maxime animis Concionatorum inſidiatur, eos ut poſſideat, gloriæ humanæ vel rei procurandæ deſiderio prius ſeductos, unde vel aulicos vel culinarios Theologos efficiat, quibus deinde efficaciſſime utatur ad aliorum ſeductionem: quando nempe adulatores iſti aut culinarii Theologi, animalibus mundaniſve auditoribus grati ut fiant, & commoda ab illis acquirant, latam, ſecundum ſuam cuique propenſionis indolem, viam patefaciunt. Ex hoc principio ea multi docent, quæ nec credunt ipſi, ut auditorum, à quibus commoda reſpectant, voluntati ſe accommodent. Alii quibuſvis caſibus vincula conſcientiarum à mandatis Dei ſic diſſolverunt, ut quælibet inordinata ſine crimine ſineque ſalutis periculo poſſint perpetrari. Qui verò ſe ſtrictius & tutius incedere putant, ii tamen ſic agunt cum auditoribus ſuis, ut quamvis & ſe, & mundum, & quæ in mundo ſunt, diligant, neque idcirco (ſi Johanni fides habenda) in illis ſit amor Patris, &

72. Theologia adulatoria & culinaria.

O 5 multo

multo minus odium atque crucifixio ſui cum Chriſti imitatione, ſine quibus utique nemo vivet unquam, eorum tamen nullus ſit, qui ſe ideo cogitet in via mortis eſſe, ſed omnes ad vitam ſe gradiri cum pace non dubitent, donec ſero nimis dedoceantur ſubito interitu: quem interim ſi ab illis (depulſis adulatorum cantilenis) avertere quis ex vera charitate conetur, ecce, qui ex adulatoria indole apparebant prius velut agniculi, jam ſub agnina pelle animos foviſſe lupinos & leoninos ipſo opere teſtatum dabunt, haud minori ira commoti, quam famelici helluones, quorum è culina pulpamentum ſpe avida jam dudum devoratum irremeabiliter ſubduceres.

73. *Theologia falſa literalis & Critica.* LXXIII. *Theologia falſa literalis* ut omnium eſt cœciſſima, ſic & arrogantiſſima eſt, ſimulque fallaciſſima, exitioſiſſima & vero Chriſtianiſmo inimiciſſima, dum tamen nil aliud plenis crepat buccis quam Scripturas & Dei Verbum. Verum clamatoribus iſtis idem dici poſſet, quod Chriſtus olim Judæis Scripturas ſcrutantibus & hoc pacto vitam ſe conſecuturos autumantibus: (a) *Patris vocem nunquam audiviſtis, nec ejus ſimilitudinem vidiſtis: neque habetis verbum ejus in vobis manens*, hoc eſt, nunquam vel unum Dei vivum verumque verbulum vere intellexiſtis, nec in mente veſtra adhuc ullos habuiſtis vivos conceptus, qui ſimiles ſint conceptibus Dei ejuſque mentem referant; neque in vobis habetis principium, unde ſenſus verbis Dei dignos poſſitis derivare. Quod olim Auguſtinus communi praxi & ſenſu firmatum, dixit:

(a) Joh. 5: 37.

xit: (*a*) *Homo fide, ſpe & charitate ſubnixus, eaque inconcuſſe retinens, non indiget Scripturis, niſi ad alios inſtruendos: itaque multi per hæc tria, etiam in ſolitudine, ſine codicibus vivunt*: quodque olim Abbas quidam, veluti cladium a diſcipulo ſpiritu vacuo, literæ buccinatore, ſuſcitandarum, præſcius vovebat: *Utinam vero periiſſent omnes libri, charuas autem inventa eſſet!* Hæc illis blaſphema habebuntur, tametſi nullos habeat offenſiores hoſtes Scripturæ ſpiritus, quam vacuos illos literæ adoratores, qui hic ſe gerunt ac ſi Rege quodam ſubditis ſuis literas mittente, quibus eos ad ſe, donaturum dona regia literis non ſatis exprimenda, nonnulliſque Regem idcirco adire volentibus, hi noſtri literales contemnerent quotquot ad Regem auditis vel ſemel literis ejus accurrerent: ipſi vero literis iſtis affixi interim manerent, grammatice eas & critice reſolvendo: & vero non modo ad Regem ipſum non propєrarent; ſed & dona ſanctiſſime promiſſa in dubium revocarent negarentque, & tandem ad negationem hanc ſtatuminandam falſatè ſcripta regia detorquerent. Quid his prōdeſſent, quæſo, ſcriptæ literæ ſtultiſſimo more deamatæ, quando ſenſum & mentem & rem nec haberent, nec quærerent, nec faterentur? nonne potius ad condemnationem ſuam literas eas tractarent? Atqui non minus abſurde agunt qui ſimili mōdō eouſque exorbitant, ut, quamvis Scriptura dona Dei ſpiritualia promittens conceptis verbis aſſerat, (*b*) *Literam occidere, Spiritum vero vivificare*: parum tamen abſit, quin & He-

(*a*) de Doctr. Chriſt.

(*b*) 2 Cor. 3. v. 6.

bræa iſti & Græca idiomata tanquam ad ſalutem neceſſaria exclament; dum interim, ſi non ut rem noxiam, certe ut inutilem eliminare multis modis contendunt animam Chriſtianiſmi, ſive SPIRITUM SANCTUM, & *dona* ejus, (*a*) quæ in Scripturis jubemur poſtulare cum ſpe ea adipiſcendi: qui Spiritus veritatis ibidem omnibus promittitur credentibus; ſine quo nemo dicitur ad Chriſtum pertinere; ſine quo nullum ea quæ Dei ſunt capere poſſe docemur, quique ut origo una omnium virtutum, bonorum, luminumque commendatur. Et ecce, infinitis ejuſmodi de SPIRITU DEI teſtimoniis non obſtantibus, audent e Criticis, literæ idololatris, pars *ſpem* & *deſiderium Spiritus* ut Enthuſiaſmum blaſphemare; pars tollere *Spiritum converſionis*, negando ejus ad eam operationis internæ neceſſitatem, & cauſſando, per *Spiritum Euangelii* nil aliud intelligi debere quam mentis diſpoſitiones Euangelicæ doctrinæ conformes; quaſi ſcilicet diſpoſitiones ejuſmodi per humanas vires & actiones, ſine actibus Spiritus ipſius Sancti, eas intus operantis, haberi ab hominibus poſſent! Nec finis: tollunt & eorundem alii *Spiritum contritionis* & *precum*, cauſſando, petitione remiſſionis peccatorum, ut quæ jam dudum facta ſit olim in morte Chriſti, nil amplius opus eſſe; pars *Spiritum ſanctificationis*, nolentes Chriſti imitationem internamque gratiam jam ita neceſſario requiri; nonnulli *Spiritum illuminationis*, volentes ſine ejus luminoſa irradiatione aſſequi Scripturarum ſenſum omni litera ſuperio-

(*a*) Matth. 7: 7-11. Luc. 11:13. Joh. 7: 37, 38, 39. Rom. 8:9. 1 Cor. 2: 11, 12. Rom. 5: 5. Gal. 5: 22, &c.

periorem, cujus loco alium conſequuntur cœcitate tali digniſſimum, mortuum, materialem, literalem, mere externum, quique in Scripturis nil aliud detegat, quam id quod vacca dum intuetur hominem, corporea & externa mera, ſpiritu menteque Dei ſecluſis. Unde fit ut ſi iſtiuſmodi brutis Scripturarum palpatoribus de earum cum ſpirituali & interno, tum allegorico & perfecto ſenſu fiat mentio (de quorum ſenſuum ſoliditate tot argumentorum fontes ſunt, quot fœderis novi ſcriptores & libri, in quibus ſingulis ſæpiſſime externa Veteris Teſtamenti quæcunque ad interiora & perfectiora tanquam ad veros ſenſus & ſcopos trahuntur,) audacter tamen iſta ſoleant irridere. Et quemadmodum ſues, ſi rem ſibi contemtam verbis deſignare poſſent & vellent, roſas ſine dubio & margaritas dicerent; ita hi ex concepto horrore de ſpirituali & allegorico Scripturarum ſenſu, quem & myſticum aliquando appellari audierunt, efficere conati ſunt, ut quicquid eis riſu dignum videretur, id iſtis vocibus (quæ tamen ipſi Paulo, & ſanctiſſimis primitivæ Ecclefiæ luminibus ſacratiſſimæ ſunt) exprimeretur, & contemtim diceretur *allegoricum*, vel *myſticum*, hoc eſt, aſininis falſò eruditi animalis auribus ridiculum.

LXXIV. Sed quid magis ridiculum, quam nova illa, quæ haud dudum Critica iſta Theologia, Spiritûs hoſtis, parere enixa eſt, monſtra duo; unum quidem uti ſcriptæ literæ ſic adhæreatur, ut de ſacris nil ſit 74. *Theologia cujuſdam Criticæ ſeu literalis noviſſima duo monſtra.*

O 7 dicen-

dicendum, audiendum, admittendum, niſi expreſſis literæ vocibus prolatum. Quaſi vero vel ipſi Scriptores ſacri, quando unus ex alio quid citat, aut quando plures Euangeliſtæ, v. g. ipſos Chriſti ſermones referunt, ſæpe quoad voces non ſecuti eſſent aliam regulam, referendo per diverſiſſima verba id quod Chriſtus uno ſaltem modo protulerat: & quaſi piaculum eſſet omnia alia verba quæ in Scripturis non ſunt, ad amorem, ad laudem, ad gloriam Dei impendere, nec deberet omnis lingua confiteri & laudare Dominum! Alterum autem eorum monſtrum iſtud eſt, omne illud quod Scripturæ verbis exprimi poteſt, id ſi non ut fide dignum, ſaltem ut receptione non indignum judicandum eſſe: quomodo etiam omne Pelagianiſmi & Socinianiſmi venenum introducere tentatum eſt. Et vero ipſum Anti-Chriſtianiſmum & Diabolicifmum hac methodo introducere poſſit Spiritus (ut verbo Scripturæ dicam) nequitiarum in rebus cœleſtibus, cui Scripturæ literam, non autem Scripturæ ſpiritum atque mentem ad ſua trahere, & angelicâ forma ſuperindui, a multis retro ſeculis familiare fuit, eritque
2 Theſſ 2. olim, præmonente Apoſtolo, eum *in templo Dei ſeſſurum, & ſe tanquam ſit Deus, oſtenſurum.* Quibus verbis cum omne ſacrum ab eo ad ſuæ infernalis malitiæ & fraudis palliationem adhibendum eſſe ſignificetur, ad Scripturæ literam ſacram id ſi applices, nil aliud denotare poteſt, quam ipſam etiam a Satana eſſe aſſumendam, ſub qua tenebras, fraudes, ſenſuſque ſuos mortificos proponat

tan-

tanquam divinos: eaque dignos fide, qua verba Dei decet recipere: quod ſane non poteſt non in illis fieri & impleri, qui Spiritûs Dei arcanis operationibus illudentes, criticisquiſquiliis confiſi, id omne & ſolum ſacrum haberi volunt quod Scripturæ verbis incruſtari poteſt: Satis enim (hoc ut per illos fiat) ſe ipſos rejectione Dei Spiritûs in ſenſus tradiderunt reprobos: ne dicam exemplo ſectarum oppoſitarum eâdem Scripturæ literâ ſenſus contrarios atque adeo falſos veſtientium, hoc ipſum evidenter patere.

75. *Quare liceat & ſalutare ſit, interdum adhibere verba voceſve quæ in Scripturis non exſtant.*

LXXV. Et hinc eſt quod provida Dei bonitas, errores verbis Scripturarum propinatos, uti redderet caſſos, quandoque Sanctiores coacta eſt impellere mentes, ad ſalutares veritates iis vocibus proponendas quæ in Scripturis nondum adhibitæ eſſent, neque etiam idcirco à falſis hominum ideis, ſenſibus, gloſſematis, quibus Scripturas enervarunt, pravo uſu infectæ: imo potius quæ eorum falſis interpretamentis & cogitatis oppoſitæ, veritatem nullis fallaciis obſcurandam, ſiſterent ſincerioribus animis, ex ea fructum ſentire ac percipere idoneis. At hocce ultimum ingensque Dei beneficium ipſi maleferiati donorum Spiritus Sancti contemtores non improbant tantum, ſed & vitio ac crimini vertunt ſanctiſſimis divini Spiritus organis, proprias uti tenebras ipſi protegant, poſtquam eas criticis vel ethnicis fraudibus, aut longo uſu, ſub Scripturæ vocum cortice & larva abſcondere potuerunt, ejecta è vocibus ſacris medullâ;

reique

reique ipſius veritate atque ſubſtantia. Cui infeliciſſimæ functioni, Scripturarum dico enervationi, diceres nonnullos omni ferme induſtria & molimine incubuiſſe: nec circa dogmatica tantum, unde quæ immediate paſcant animas, ſunt deſumenda; ſed & in iis, quæ utut ſint acceſſoria, animas tamen ad officium excitant per judiciorum Dei in immorigeros tremendorum eventus, propheticaſque denuntiationes; quas literaliſtæ miſeri etſi ſibi non intellectas neque ex cœcitate dum præ foribus ſunt perſpectas, jam à multis ſeculis impletas eſſe dictitant, vel etiam meras eſſe hyperbolas grammaticesque ſuæ figuras & loquendi modos. Atque ſic mens ſcopusque Dei in commovendis hominum animis ad pœnitentiam, per media eos maxime afficere apta, deplorandum in modum evacuantur.

Sed quid de iis ſolis querelæ fiant, qui per ſacra verba fumos venditant & fallacias; cum id omnis, ſuo quæque modo, faciat eruditio falſa, ſive ſe ſacram dicat ſive profanam? quippe quæ, ut vidimus, terminos, nomina & ſpeciem veritatis ſcientiarumque omnium ſua faciat, ſub his erronea uti propinet omnibus. Et hoc reſpectu crediderim dictum eſſe (quisquis eſt qui dixerit) Humanam Sapientiam quatuor facultatibus conſtare; quæ in hominibus mira efficiant ad eos perficiendos: nempe, Theologia, qua pereunt animæ; Juriſprudentia, quæ bona & tranquillitatem diripit; Medicina, cujus ope corpora enecantur; & Philoſophia, quæ rationem dementat generis humani. Hoc

ut

ut de vera Sapientia falſum eſſet, ita ad falſam eruditionem ejuſque partes relatum, verius eſt quam ut nova nunc probatione indigeat. Quapropter a falſæ eruditionis materia, de qua hactenus multa, ad alium ejus formandæ modum licet ulterius progredi.

LXXVI. Is modus eſt animos ab ineunte ætate erudiendi, quod ſuperius (*) unum primumque ex adminiculis quatuor, quibus eruditio falſa formabatur & ſtatuminabatur recenſuimus: quo non tantum quæ hactenus falſata & corrupta diximus, eis ſtatim atque aliqualis rationis circa hæc ſunt capaces, imo etiam ante inſtillantur; ſed & omnia confuſa, mutilata, inverſa eis proponuntur. Negliguntur in eis inſtituendis verioris Logicæ inſigniores leges (*a*) ſuperius recenſitæ; neque agitur cum illis tanquam creaturis æternum duraturis, & æternitati beatæ præparandis: imo necattenditur quidem tunc, ut quæ eis inculcantur, e numero ſint rerum eis olim ad uſum futurarum. Diceres de tempore terendo ſolummodo quæſtionem eſſe: aut vero ſi de occupandis eis utcumque ſerio cogitetur, tunc omiſſis quorum per vices forent capaces, laboribus externis, (qui rebus agendis nec non mentibus humiliandis aut ad auxilium proximorum præparandis multum conferunt) jam fere languidis & plerunque ſpeculativis aut vanis tantum occupatiunculis exercentur, quibus aut memoriola, aut intellectulus, aut loquacitas, vel geſticulandi facultas quæpiam ſuperbiuſcule ſeſe prodere geſtiant. Quid ſit facultates immortales & fundamentales bene colere,

76. *Quartum e ſupra recenſitis adminiculis eruditionem falſam comparandi, quod eſt, modus educandi liberos.*

(*) ſupr. §. VI.

(*a*) Lib. II. §. 38.

colere, idque ordine aliquo, a deſiderio exordium faciendo, objecta indebita, propenſioneſque & impreſſiones pravas ab eis removendo; tum vero eas debitis objectis, ſanis principiis, ſanctis propenſionum ſeminibus, proficuis exercitamentis beando; id vero ſi non neſciri dicatur, ſaltem quoad praxin ita traditur oblivioni, ut ejus tanquam rei prorſus ignoratæ memoriam aliquam revocari juſtiſſime exoptes. Quod ſane hic utcunque deducere non abs re foret, niſi id ex profeſſo alibi (a) à me factum eſſet: unde hoc labore ſuperſedens ad finem operis properabo, poſtquam de præcipuis eorum qui eruditionem falſam vel tenent, vel communicare volunt, diſpoſitionibus breve verbum protulero.

(a) In tract. Gallico: Les vrais principes de l'Education Chrêtienne des enfans dans la II Part. de la Theologie du cœur.

77. *Eorum qui Eruditionem falſam poſſident, aut propagare volunt characteres aliquot.*

LXXVII. Qui eruditione falſa imbuti ſunt, illi (eam niſi contemnant & rejiciant) quia non fundantur in facultatum ſuarum fundamentalium ad Deum converſione, pro calamitate prima, ad oblivionem Dei, pietatis neglectum, tandemque ad impietatis amplexationem, quæ ſemper in exitium, quandoque & in Atheiſmum terminatur, ſunt proniſſimi. Sane haud abſurde de quam plurimis doctorum ſimile quid quæreres ac Julium Cæſarem de quodam Græciæ populo quæſiiſſe narrat in vita Periclis, ni fallor, Plutarchus. Is videlicet ubi viros conſpicaretur cum ſimiis ſeſe ultra modum delectantes, interrogabat, num in illa regione mulieres deeſſent: his ſiquidem alioqui affectus ejuſmodi deberi, non ſimiis. Ita ſi inſpiciatur, quomodo docti omiſſo Deo, ſuos

Impietas. Superbia. Hypocriſis. Adulatio. Odium in probos. Perſecutio. Irriſio. Calumnia. Abſurditas Item Voluptuoſitas. Avaritia.

ſuos affectus ſtudiaque exerceant circa vanas abſurdaſque objectorum variorum ideas, quibus toti & occupentur & delectentur, haud inique poſſit nunc quæri; Num igitur jam Deo careamus, quippe cui ſoli ſimilia ſint ut debita ſic ſolvenda.

Porro quia Deum pro ſcopo non habent, ſed ſe ipſos, ideo etiam ſunt ſuperbi: atque ex ſuperbia animi, ne ab aliis ut impii contemnantur impietatem diſſimulantes, ſi non pietatem, ſaltem virtutis & honeſtatis ſpeciem præ ſe ferunt, caventque ſtudioſiſſime ne quempiam, a quo æſtimari cupiant, verbis, actis, opinionumque ſuarum iis ingratarum detectione offendant; ita ut dum honeſtioribus quibuſque placere allaborant, tantum non Stoicos (mirus luſus!) te videre aſſeveres. Ex hoc principio eos, a quibus vel laudantur, vel ſe laudandos ſperant, ipſi viciſſim collaudant; ſic ut ſæpe mulus mulum ſcabat. A quibus autem laudes & exiſtimationem non exſpectant, (& hi ſolidiores perſpicacioreſque eruditi ſunt, præditique lumine ſolidæ diſcretionis ficti a vero) eos odio proſequuntur immutabili, ſed incluſo & occulto; quod tamen, ubi occaſio graviſſime eis nocendi datur, ſeſe prodit quidem, at non niſi ſub ſpecie æquitatis & moderati in eos judicii, quandoque & falſæ irriſionis, plus apud pleroſque ponderis habentis, quam maxima ratiocinationum argumenta. Quod ſi ſe ab aliis læſos putant, odii acerbitate impelluntur impatientius ad quamvis occaſionem nocendi arripiendam, adhibitis totius artis ſuæ fraudibus, ut

omnia ſuæ veritatis & juſtitiæ coloribus incruſtata, non appareant non laudanda: niſi ſi forte ingenio carentes, affectibus, etiam non provocati, immoderate propalatis, dum æſtimationem ſui firmare ardentius ſitiunt, contra ſpem ſe deridendos aliis propinant. At quia omnes, qui relicto Deo ſe ipſos pro ſcopo habent, non tamen ſeſe conſiderant veluti præcipue alienis laudibus afficiendos; ſed & dantur qui ſe magis voluptatibus, aut mediis ad voluptates & laudes comparandas, pecuniis, affici malint: hi pro dicta diverſitate vel nitidi Epicuri de grege porci vel delicatuli, aut avari & tenaces, & quæ hinc ſequuntur, evadunt.

78. *Pigritia animi. Deſidia corporis.* LXXVIII. Præterea, quoniam circa ideas inanes, entia rationis; aut ſi circa res, non ut agendas, ſed ut ſpeculandas ſeſe otioſe occuparunt, & in hoc gloriam quæſiverunt & conſtituerunt, hinc ſuperbiæ hic ſtimulos addente pigritia, maximi ſunt contemtores ignavique inimici rerum externarum curandarum, maxime vero operum manibus conficiendorum, ut ut innocuorum, utilium & neceſſariorum, veluti quæ ad cibandum & tegendum corpus conferunt, quæ etiam expreſſe permiſit & injunxit Deus, ut anima inde humilis fieret, ſibi & aliis ex amore legitimo proſpiceret, & laborioſa occupatione, inobedientiæ præteritæ juſtas daret pœnas. At hos omni bono omnique Dei conſilio diceres oppoſitos.

79. *Curioſitas. Inquietudo.* LXXIX. Porro quoniam ex vanarum notionum vel chimærarum farragines, quibus pro

pro materia eruditionis cerebella repleverunt, nil ſunt ſolidi, quod animam ad æterna & immenſa factam replere & tranquillare queat: hinc dum novorum ſemper curioſi ſunt, omnia ſcibilia, facta, linguas, ſcripta, opinata, minuta, vana, nugacia perreptantes, & inſatiabili deſiderio ſcire & devorare volentes, in hoc magnum eruditionis profectum conſtituunt; tum inquieti, pace interna & tranquillitate ſolida nequaquum gaudentes intus, (quicquid externa oſtendant ſpecie) triſtores ſunt & moroſiores, niſi vel objectorum mutatione continua inſitæ mœſtæque ſollicitudinis ſenſum temperent aut ſupprimant; aut (quod Spinozæ acciderat) inimicæ poteſtatis maleficio per deploratam ac pertinacem ſuam a Deo averſionem adjuto, prorſus dedoluerint, donec ex iſthoc lethargo in æternæ triſtitiæ & angoris immenſi abyſſo cum morte tandem evigilent. *Moroſitas. Stoliditas ſive indolentia.*

LXXX. Inſuper iſta, qua tument alioſque omnes antecedere ardent ſuperbia, illaque ægræ mentis omnia vorandi aviditas, nunquam, ob inanitatem eorum quibus paſcuntur, ſatianda, reddere eos ſolent invidos veluti canes, ut ſine ingenti livore videre non poſſint ab aliis boni quippiam aut laudabilis, quod ipſimet non habeant, poſſideri aut proficiſci. Nec vero tantum in illos qui ſolida & egregia habent, pudenda iſthæc eruditorum falſorum invidia furit, eoque impotentius, quo præſtantiora ab illis poſſidentur; ſed & ne quidem facile patitur canes ſui ſimiles vel putrida etiam oſſa corrode- 80. *Livor, rixa.*

re,

re, inquieta ſemper, donec & iſta ſibi ut propria vendicare incipiat, aliique ea aliis præripiant, ac ſeſe invicem idcirco ad rabiem uſque demordeant: quod eo frequentius & ferventius contingit, quo ineptiora, minutiora & futiliora ſunt objecta quibus occupantur: id quod ſuperiori hocque ſeculo, grammatici, critici, & ſimiles pædagogi, orbi literario notum fecêre abundantius.

81. *Eorundem facta & ſcripta qualia.*

LXXXI. Animi interna illa inquietudo, cum laudis ſuæ, quandoque & nummorum deſiderio, admixta, impellit eos extra ſe uti proruant, ſuas propalaturi & communicaturi mentis agitationes. Et quoniam, uti proverbio ajunt, mali corvi malum ovum, &, ut quiſquis eſt, ita agit & loquitur; inde fit ut quæ factis proferunt, ad omnia turbanda vel commovenda, quantum fert activitatis ſphæra, videantur nata: quæ vero verbis vel ſcriptis produnt, ſi materialium quarundam veritatiuncularum habeant ſpeciem, tamen pauciſſimi perituri que ſunt uſus, nec tranquillant animos, ſed occupant & a ſolidis diſtrahunt, internique fundamentum mœroris ad momenta tantum interrumpunt, aut etiam omnigenis hominum vitiis augendis inſerviunt. At ſi ne quidem materialis veritatis formam habeant, tunc præter cogitata chimærica, abſurda, inordinata, tædioſa, ſterilia nil propagant, niſi ea ad omne malum, ad rixas præcipue, fertiliſſima dicas. Et ſane, quid aliud exſpectes ab eruditione Deo ejuſque divino Spiritu, imo & ejus deſiderio vacua, falſis autem repleta ſcientiis, falſa Metaphy-

phyſica de rationis corruptæ & cœcæ ideis obſcuris & falſis ; falſa Phyſica, de materiæ corruptæ & cadaveroſæ externa ſcabie; falſâ Ethicâ, de amore ſui corrupto & ſuperbo; falſâ Criticâ, de errabunda corruptæ mentis activitate & garrulitate, aliiſque artibus, externa quævis, corrupta, abſurda, & falſa delicias ſuas facientibus? Quid aliud inde quam mentium ſcripturientium diſpoſitiones eas, ex quibus ejuſmodi librorum naſcantur auctores quales ſuperius deſcripſimus? Inquietudo extus pellit. Superbia excœcat. Ingenium, ſi quod adeſt, vanas, noxias, monſtroſas novitates parit. Si pro fertili ingenio adſit cum ſterilitate ſola memoria, inde tædioſos omnium jam olim ſæpe dictorum repetitores, inordinatos coacervatores, nullius judicii compilatores, multarum lectionum, aut forte indicum vanos citatores videmus, qui de numeroſa verboſitate & ratiuncularum aliunde ſurreptarum pluralitate ſolliciti, oſtendant ſe totam eruditionem ſuam in numerato habere; ſeque adeo felices eſſe cordatos, ut melioribus vel prorſus poſtpoſitis vel obiter tactis, ad tenuiora, inutiliora & ineptiora in componendis libris toti applicentur, iis tenacius adhæreant, & in eis deſinant.

82. *Deſcribuntur Eruditi falſi, veritatum ſolidarum aggreſſores & impugnatores.*

LXXXII. Quoniam vero iſtiuſmodi Auctores maximam partem non tantum ab eruditis verioribus, ſed & a falſis, ſui ſimilibus, ejuſmodi pulpamentis ad nauſeam uſque dudum paſtis, contemnuntur, aut non magni fiunt quando tantum ea proponunt quæ pro proprii fundi

fundi fructibus volunt haberi, quæque de ſuo in alios propagare, ædificare & firmare conantur: hinc fit, ut inquietudine & laudatiuncularum fame obſtetricantibus, novum parturiant facinus. Id autem eſt, aliorum labores, ſcripta, perſonas invadere; atque ſic ſe aliorum impugnatione & clade illuſtres reddere. Et quidem quando ſibi ſimiles & armorum viribus pares aggrediuntur, tunc, quoniam eorum intereſt, ut bellandi duret materia (quid enim ſine rixis agerent?) ita inter ſe pugnant, ut etſi obliquis & indecoris artibus alii in alios utantur, tamen (niſi plane ſint agreſtes) ſe mutuo utcunque tolerent & æſtiment. At quando accidit eos ex ſolidioribus nonnullos aggredi, unde mox belli finem cum ſui occaſu & dedecore pertimeſcant, tunc alia longe machinamenta moliuntur. Mirum equidem, & ſolo riſu vindice dignum, audere aſinos ad cantandi certamen provocare luſcinias, niſi temerariis iſtis animalibus tantum non intereſſent & milvi rapaces, qui aviculas innocuas, Creatoris ſui laudes jucunde decantantes, hominesque ad amandum, adorandum & laudandum Deum ex mirabilium ejus operum inſpectione provocantes, ferre non poſſunt; ſed crudeliter geſtiunt eas unguibus ſuis nefariis dilaniare & e medio tollere: quos quidem eo impellit vel ferocior eruditionis falſæ inquietudo, vel malus pravi cujuſdam genii inſtinctus; aut quandoque ſtolidior vel etiam imprudentior mentis intemperies, eaque omnia cum timore, ne ſua nugamenta pereant, conjuncta.

Et

Et hinc quos e divinioribus aggredi tentant, eos non conſiderant ut communes adverſarios, qui & tolerandi ſint, & quibus jura honeſtatis & æquitatis ſint ſervanda; ſed ab omnibus diceres fuiſſe in unum conſpiratum ut nullum non erga illos jus ſacrumque violaretur, modo eoſdem prorſus de medio tollant & abſorbeant. Equidem quorum jam vita, perſecutionibus, dum hîc eſſent, vexata, dudum deſiit; & quorum ſcripta a multis retro ſeculis poſt multas procellas ut divina habentur, quales ſunt Prophetæ, Apoſtoli, ſanctioreſque prioris Eccleſiæ Patres, eos non adoriuntur (ſaltem aperte & communiter) falſi, de quibus agimus, eruditi: quippe qui ab illis, poſtquam per gloſſas omnia enervarunt & ad placita ſua accommodarunt, nil ſiniſtri exſpectent: & vero timeant potius, ne ſi eos eſſent aggreſſi, tanquam impii ejiciantur ipſimet. At non ſic ſi quos bonorum offendant qui necdum ſatis noti, multo minus longa & univerſali approbatione approbati, ea proponant quæ ſolidæ eruditionis, realitatis, veritatis, virtutis, felicitatis fundamentis innixa duraturis, disjicere apta ſint nænias & ſophiſmata, nugaſque & fumos atque ineptias, quibus iſti falſæ eruditionis candidati & propagatores ſunt turgidi. Tunc enim in eos, (maxime in ſimpliciores, nec humana edoctos,) verbis, calamo, factis illico inſurgunt diverſi. Agreſtiores & imprudentiores vivis non parcunt; vecordiores & magis timidi mortuos aggrediuntur: omnes in hoc conveniunt, ut ne quidem ſtatum quæſtionis vere proponant; ſed in hoc diſſentiunt,

tiunt, quod ſtatûs quæſtionis loco, diverſi diverſa per impoſturam ſubſtituant: unus odioſas falſitates has, alius contrarias; hic crimina & impias res, ille abſurda & ludicra: quibus impoſitis, tum iſthæc commenta ſua invadunt pro ſua quiſque indole, irriſionibus, irâ, conviciis, maledictis, argumentatiunculis, allegatis etiam Scripturarum & doctorum teſtimoniis, &, quod plus eſt, ipſis adverſarii verbis; ſed vel mutilatis, vel, ſi quæ obſcuriora ſunt, in ſenſum prorſus diverſum detortis, &, quod ſolemne ipſis eſt, ſuppreſſis quantum fieri poteſt libris, vel ſaltem clariſſimis, ſolidiſſimis, ſaluberrimiſque principiis, ſcopo & veritatibus eſſentialibus ſcriptoris, eo ejuſque operibus per externa quædam acceſſoria extenuatis, nec non per comparationes & narrationes odioſas traductis: quibus artibus, aliiſque ejuſmodi; excitent in diſcipulorum, plebis, potentiorum animis non lumen, non charitatem, non patientiam, non beneficentiam etiam in inimicos; ſed turbas, indignationem, odia, iras, rei vel ſectæ ſuæ commiſerationem, vindictam, timorem, & quoſcunque ad triſtiora compellere aptos affectus, unde quidem ſæpius quam par eſſet, ob vulgi ignorantiam, nec non indebitum favorem potentiorum, qui calumniatores iſtos pro non improbis, ſed zelo bono fervidis probiſque habent, effectus cupitos ſortiantur, hoc eſt, opprimuntur boni, ignoratur veritas, arcentur (quod deplorandum) ab ea bonæ mentes, quæ inde proficerent, dum ipſi improbi & falſi eruditi manent

manent in ſtatione, honore, auctoritate & commodis ſuis, utpote quorum portio in hac ſit vita. Nec adhuc tuti tamen: namque timentes ne calumniis ſuis reſponſa fiant debita, quibus ipſi oppidò confundantur; vellent admodum eos confici qui veritatem poſſent vindicare; aut vero, ſi quæ ejuſmodi reſponſa prodeant, ea illico tentant ſupprimere atque deſtruere: cumque id nequeunt, aucto vehementer furoré, Fimbriæ illius apud Valerium Maximum inſtar, alta rabie agitantur quod ictus ſuus fuerit declinatus: atque cum ipſi ſe aggreſſores gratis conſtituerint non provocati, jam perſona mutata, defenſores ſe dicent, qui ſe catervatim invadi exclamabunt, quando tantum a ſuis, quas intentaverant, accuſationibus ſunt ſimpliciter depulſi. Tum ſi quid iterata aggreſſione defenſionis nomine incœptant, jam ad lepidum hunc ſcopum colliment oportet ut cornicum oculos configant, nempe omnibus perſuadeant, ſe eorum, quos ſunt aggreſſi, cogitata, ſenſa, facta melius ſcire quam ſciant ipſimet, ut ut vel jurati ſe profiterentur aliter atque imputatum eſt, cogitare, ſentire & feciſſe. Sed hoc quidem nemini ſano perſuaſerint aggreſſores. Nec deſunt qui occulte albis rideant dentibus turpiter fractos ridiculorum conatus: tamen ut aliqua ſibi & multitudini pulpa fiat, neve ſuccumbere videantur, ſcriptitent oportet & effutiant ſimilia vel pejora quam prius; quibus ne furori ad triſtiora propenſo infundatur oleum, prudenter reſponſurus ſit nemo: hoc verò illi pro triumpho

ducant coram ſui ſimilibus & imperitis, qui ultimum quemque & multiloquum garrulum, victorem exiſtimant; atque ita & ſibi & aliis iidem maneant, qui prius, ſolidæ nempe eruditionis infenſi hoſtes, falſæque omnibus mediis modiſque in hoc tertio libro recenſitis propagatores indefeſſi, ſibi ſuiſque bona quævis & perennitatem fallaciter promittentes.

83. *Falſos omnes Eruditos eſſe vanos & meros Pedanteos; Et quid proprie ſit Pedantiſmus.*

LXXXIII. Sed id fruſtra. Solius veræ Eruditionis hæc eſt prærogativa: quoniam ea ejus eſt indoles, ut ſua omnia ſecum intus portet, cui etiam nec bibliothecarum, nec corpuſculi, nec totius mundi interitus quicquam detrahat; cum e contra vel una ex his clades, mors præcipue, demonſtret omnes falſos eruditos cum omni ſua eruditione, coram luminoſa & ſolida veritate nil aliud eſſe, quam utres vento turgidos, &, ut Galli dicunt, voce non apte Latine vertenda, *de francs pedants*, ſuamque erudititionem, *rien que pure pedanterie.* Quod animi vitium in hoc conſiſtit, ut quis res non ex valore & pretio ſuo & quales revera ſunt æſtimet, nec conſimili proportione cum iis ſe gerat; ſed ut quæ mere acceſſoria ſunt, vel tenuia, aut futilia & nugacia, amplectatur & æſtimet ut res eſſentiales, ſolidas, momentoſas, eiſque ſe totum vel præcipuum ſerio occupet, atque alios itidem iis occupatos eſſe velit; dum interim res duraturas, ſolidas, eſſentiales, præcipuaſve, quaſi nil eſſent, negligit, contemnit & prætermittit. Id quod ab omnibus falſis eruditis fieri & factum eſſe, omnium

optime

optime ipſiſmet in morte patet, ubi omnia ſua, quibus totos ſeſe dederunt, tanquam fumum vaniſſimum vident evaneſcere: ea vero, quæ neglexerunt, divina & æterna, jam equidem vividius patent, ſed illis nequaquam deguſtanda, niſi dum adhuc vivitur, ſtolido pedantiſmo ſuo (liceat hac uti voce) ſe liberaverint, hoc eſt, niſi ceſſaverint minuſcula, accidentaria, vana, quiſquilias, ſtudio præcipuo & ſeria æſtimationis, affectuum, temporis mentiſque applicatione proſequi: inceperint vero & perſeverent divina, æterna, interna, realia (de quibus primo libro egimus) ſic totis facultatibus realiſſimis amplecti, ut cætera omnia non niſi extremo tangant digito, idque ſolùm, quando ex uſu neceſſario ea eſſe poſſunt. Hæc qui non fecerint, ipſi ſe falſos, ſtolidos & fatuos deprehendent, ut ut nunc cum ſibi tum aliis impenſe ſapere videantur, veræque eruditionis titulo cohoneſtentur; & vero multa methodice, ornateque ac facete dicendi facultate pollentes, ſe a pedantiſmo, ſeu a falſorum eruditorum claſſe, imaginentur remotiſſimos, ignari horum eſſe duo genera: alios quidem ſpinoſos, moroſos, affectuum intemperatis motibus magis quam intellectûs abſurda actione pedaneos; alios vero ſpecioſos, floridos, comicos: utroſque pariter æſtimatione vanorum & contemtu ſive neglectu permanentium bonorum, conſpicuos & abſurdos, pariterque a divina veritate fatuorum atque inſanorum titulis inſignitos.

EPILOGUS.

LXXXIV. Ex omnibus hucuſque dictis
84. clare jam & abundanter patere credo, quamobrem Deus in Scripturis ſacris eruditionem, quæ ab ipſo eſt & diſcitur, nobis commendatam velit eſſe, omnem aliam haberi contemtui, quam & ipſe abominetur, & pro inſania habeat, & verò ſit deſtructurus; quamque etiam quiſquis vere velit erudiri, debeat prius deponere, & ejus reſpectu veluti idiota, infantulus & quaſi ſtultus fieri; alioqui cum improbis irriſoribus nunquam vere erudiendus. Jam conſtat, cur Deus (*a*) *ſcientiarum Dominus ac Deus appelletur*: cur vere eruditus David exclamet, (*b*) *Dominus novit cogitationes hominum, quod vanæ ſint. Beatus homo, quem tu erudieris Domine!* (*c*) *Præ inimicis meis ſapientem effeciſti me per præcepta tua, quia teſtimonia tua ſunt meditatio mea. Senes intelligentia ſupero, quod mandata tua obſervo.* Cur paſſim audias, (*d*) *Dominus dat ſapientiam, ex ejus ore ſcientia eſt atque prudentia.* (*e*) *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ. In omnibus viis tuis cogita illum; & ipſe diriget greſſus tuos. Ne ſis ſapiens apud temet-ipſum; time Dominum & recede a malo.* (*f*) *Abominatio Domini eſt omnis illuſor; & cum ſimplicibus ſermocinatio ejus. Ipſe deludet illuſores & manſuetis dabit gratiam.* (*g*) *Sapiens cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conſpectu Altiſſimi deprecabitur. Aperiet os ſuum in oratione, & pro delictis ſuis depre-*

Loca in Sacris de vera & falſa eruditione, poſſe ex hactenus dictis illuſtrari.

(a) 1 Sam. 2: 3.
(b) Pſ. 94 (93): 11.
(c) Pſ. 119 (118): 98, &c.
(d) Prov. 2: 6.
(e) Prov. 3: 5, 6.
(f) Prov. 3: 32.
(g) Eccl. 39: 6 ...

deprecabitur. Si enim Dominus Magnus voluerit, ſpiritu intelligentiæ replebit illum, & ipſe tanquam imbres mittet eloquia ſapientiæ ſuæ, & in oratione confitebitur Domino, & ipſe diriget conſilium ejus. (*a*) *Ad tempus ultimum... creſcet ſcientia... nec intelligent ulli impii.* (*b*) *Niſi converſi fueritis & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* (*c*) *Amen dico vobis, quiſquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud.* (*d*) *Amen, Amen, dico tibi; niſi quis* RENATUS *fuerit* ἄνωθεν, EX ALTO, *non poteſt videre regnum Dei,* ſive cognoſcere res ſublimes & divinas. (*e*) *Perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum abolebo. Ubi ſapiens? ubi literatus? ubi conquiſitor hujus ſeculi? Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam hujus mundi? Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi & contemtibilia elegit Deus, & ea quæ nil ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret: ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus, ex quo vos eſtis in* Christo Jesu, *qui factus eſt nobis ſapientia a Deo.* (*f*) *Nemo ſe ipſum fallat. Si quis inter vos ſibi ſapiens* (ſive eruditus) *videatur in hoc ſeculo, fiat ſtultus ut fiat ſapiens: Sapientia enim hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum: ſcriptum enim eſt, Comprehendam ſapientes in aſtutia eorum* & cogitationum ſubtilitate: *& iterum, Dominus novit cogitationes ſapientum, quoniam vanæ ſunt.* (*g*) *Quæ mihi lucra fuerunt, ea propter* Christum *arbitratus ſum detrimenta. Quin imo omnia damnum eſſe puto propter eminentem ſcientiam* Jesu Christi *Domini*

(*a*) Dan. 12:4, 10.
(*b*) Matt. 19:3.
(*c*) Marc. 10:15.
(*d*) 1 Cor.
(*e*) 1 Cor. 1:19...
(*f*) ib. c. 3:17...
(*g*) Phil 3: 7.

mini mei, *propter quem omnium jacturam feci, eaque pro ſtercoribus habeo, ut* CHRISTUM *lucrifaciam, & inveniar in illo (a) in quo reconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ*, & plura hinc inde alia, quæ cùm primo aſpectu vel obſcura, vel mira videri potuerint, ipſa luce clariora nunc apparere debent: quemadmodum & ea quæ de eruditione vera, vanaque & falſa diximus, jam non inter odioſa, aut inter ea quæ novitatis titulo contemnuntur, ſunt reputanda, ſed illis quæ cum antiqua divinaque veritate ſunt maxime conformia, & grandibus exemplis confirmantur, annumeranda.

(a) Col. 2: 3.

85. *Falſis mundaniſque eruditis nil prodeſſe Moſis eruditi exemplum.*

LXXXV. Habent equidem & illi, qui mundanas ſcientias rationis ſuæ activitate venantur, exemplum non minus grande ex Scripturis divinis, quod pro ſe perpetuò fere advocant. Is Moſes eſt, de quo Stephanus: (b) *Eruditus eſt Moſes omni ſapientia Ægyptiorum.* At nec certum eſt, an hæc in eo laudet, an narret tantùm Stephanus, ſiquidem non a piis parentibus, ſed a profanis & extraneis ſic educatus erat Moſes: neque procul dubio ea ſapientia ita falſata atque inanis erat uti nunc vulgaris eſt: tum potuit Moſes, ad Deum deinde converſus, ex ea etſi falſata, poſtliminio, rejectis malis, bona ſeligere, & Deo impendere: quod etiam de eruditione ſuperficiaria falſaque fieri debere diximus. Imo non potuit Moſes prius veriorem a Deo eruditionem ſuſcipere, quam hac deſerta, primum ruſticus & veluti idiota fieret, perque annos quadraginta exerceret corpus quidem humil-

(b) Act. 7: 22.

humillimis pecuariæ laboribus, mentem vero precibus continuis. Tum & poſtea, acquiſita eruditione divina, humanam ſapientiam priorem, ratiocinationeſque proprias, tantum abeſt ut magnifecerit, conſuluerit, ſecutus ſit; ut potius quovis de negotio, de paſſu, de verbo habendo, ad Dominum in interiora Tabernaculi confugere ſoleret, ab ejus uno nutu & lumine totus pendens. Sunt enim operationes Dei tales, tam in noſtri regimine, quam in mundi œconomia, ut a nulla rationis humanæ ſagacitate poſſint detegi, agnoſci, beneque complicari, ſive ad uſum ſalutarem adhiberi. Et quemadmodum, ſi ſapientiſſimus dexterrimuſque aliquis artifex machinam tanta arte vellet condere eo propoſito, ut qui eam extus adſpicerent, nunquam ejus diſpoſitionis rationem, niſi ipſe eis revelaret, poſſent conjicere; non dubium eſſet quin omnes neceſſario fallerentur qui ſine illo de ea quantacumque vellent ratiocinarentur: ſic plane res ſe habet cum Deo, admirandiſque ejus operibus, nec non cum illis qui ſua ratione ea ruſpantur & expiſcari conantur. Quo magis de iis ſolliciti erunt, ratiocinabuntur, hariolabuntur, vel, ut putabunt, docte, acute, penetranter, σοφῶς & σαφῶς cogitabunt, ſcribent, diſſerent; eo magis aberrabunt a janua & delirabunt.

LXXXVI. Quæ non ad præteritorum contemtum, ſed ad futurorum cautelam dici ſincere profiteor, qui nullius dedecus, ſed omnium honorem, a glorioſæ radiis veri- 86. *Quæ ſcripta ſunt, ad omnium*

Bonum veramque gloriam tendere.

tatis emanantem, promoveri peroptem erroris autem & vanitatis depoſitione, dedecoris æterni cauſam deponi ſciam, quamvis aliter iis videatur qui ſunt in errore. Hi enim, etſi, nemine deſignato, generaliſſimis terminis demonſtretur error eo animo ut hoc morbi genere nullus in poſterum inficiatur & pereat, tamen magnam ſibi ea in re injuriam fieri ſemper reputabunt.

Quæ cauſa eſt etiam, quare iſtam materiam, etſi ante aliquot annos a me incœptatam & promiſſam, ita abruperim, ut vel coactus eam nec reſumſiſſem, nec in manus hominum venire voluiſſem, non modo ob exiguam omnibus procurandæ utilitatis ſpem, ſed & ne acerbiora inde concipiant plurium animi erroribus hic oſtenſis impliciti. Verum quoniam in illis & bonos, nec eos numero paucos, ſupereſſe confido, vicit cætera hæc conſideratio: illis enim non poſſint non placere quæ candido & bono animo ſcripta ſunt, quæ Scripturis conſentientia, quibus in interno conſcientiæ ſincere coram Deo ſe examinantis receſſu ſua conſtat veritas; quæque (mala hic indicata ſi reſpicias,) quotidie factis plus quam ſatis ſe produnt. Argumentis iſtis ſi moroſitati ſuæ ſatisfieri nolint iniquiores, quid aliud agam præterea niſi eos ad Ethnicos remiſero, & quidem ad eos qui ſuo Eruditorumque omnium calculo, probatiſſimi ſunt? quorum e numero egregius ille Thebanus Cebes rem Eruditionis veræ falſæque prægnante ænigmate complexus eſt: quod etſi totum commendem legendum, ex illo tamen

meñ unum atque alterum, quod eruditionis falſæ hoſpites concernit, hîc annotare non pigebit.

87. *Egregius* Cebetis *locus, quædam de Eruditione falſa, nec non & vera, confirmans.*

LXXXVII. Is poſtquam intra ſeptum aliquod ſub mulieris perſona oſtendit eam, quam vani homines Eruditionem vocant; eandem non niſi *falſam Eruditionem* eſſe aſſeverat, ad quam tamen illos qui ſervandi ſunt, & ad veram Eruditionem poſtea perventuri, primum divertere dicit, etſi alia ad veram eruditionem breviorque ſit via. Tum interrogatus de hominibus qui intra ſeptum illud obambulant, quinam illi eſſent? reſpondet, *falſæ Eruditionis eos amatores eſſe; at deceptos, ſe veræ Eruditionis familiaritate frui opinantes.* Porro rogitatus, quibus nominibus iſti appellentur? ſic inquit: *Alii quidem* Poetæ, *alii vero* Rhetorici, *alii* Dialectici, *alii* Musici, *alii* Arithmetici, *alii* Geometræ, *alii* Astrologi, *alii* Voluptuarii (ſeu Epicurei) *alii* Peripatetici, *alii* Critici, *& cæteri omnes his vicini*, quibus veluti ſocias haud inſolitas annectit mulierculas, *Incontinentiam*, *Luxuriam*, *Avaritiam*, *Adulationem*, *Pœnam*, *Mœſtitiam*, *Infelicitatem* & ſimiles: tum & *Ignorantiæ* & *Impoſturæ* venena, ipſamque etiam clara voce Amentiam. Dein ſubjungit: *Neque vero ab iis* (falſis Eruditis) *vel Opiniones, vel cætera mala recedent, donec repudiata Eruditione falſa veram ingreſſi viam*, Purgatricem *illarum rerum* Vim *biberint, & mala omnia, quibus replentur, Opiniones, Ignorantiam, omnemque reliquam vitioſitatem ejecerint: tum demum e-*

nim ſervabuntur. Dum vero hic manſerint apud Falſam Eruditionem, nunquam liberabuntur; neque ullum malum, iſtarum quidem diſciplinarum ſubſidio, profligabunt. Poſtea viam ad Eruditionem veram oſtendit, & eam quidem cum a perpaucis tritam, tum præcipitem & aſperam; ſed ad quam perficiendam hortatione & auxilio conferant Continentia & Tolerantia; (hoc eſt, verbis Euangelicis, Abnegatio ſui, & Patientia ſive crucis amplexatio:) quæ ubi Viatorem ad Eruditionis ſolidæ præſentiam adduxerunt, hæc, omnium primò, poculum purgante potione plenum ei ebibendum porrigit, quo quæcunque prius imbiberat, ſecumque intus inhærentia attulerat, expurget omnia & dejiciat: tum demum Sanitatis, Veritatis, Virtutum & Felicitatis capacem fore; non vero ante, neque aliter. Quæ ſane in homine Ethnico admirabilia de Eruditione ſunt documenta.

In quibus & id notandum, quod dicat eos, qui ſunt ſervandi, & ad veram eruditionem perventuri, primùm ad falſam divertere; &, paulo poſt, ab ea quædam accipere, quæ poſtmodum utilia eſſe poſſint, etſi non neceſſaria: hæc dicit eſſe literas & diſciplinas cæteras, quæ, Platonis judicio, ſint veluti fræna adoleſcentibus, ne aliis rebus pejoribus diſtrahantur: eas autem, etſi commodæ ſint, nec inutiles, veluti linguæ cognitio ad hoc ut ſine interprete alicujus dicta cognoſcamus; non eſſe tamen neceſſarias, nec conducere ut viri meliores evadamus.

Non-

Nonne ergo, quærit, *meliore conditione ſunt cæteris ſcientias iſtas non doctis*, *Mathematici*, ſive diſciplinis iſtis imbuti; *nec facilius poſſunt fieri meliores? Imo*, reſpondet, *quare præſtarent cæteris*, *cum eos de rebus bonis & malis non minus erroneè ſentire quam cæteros ſit evidens*, *ſintque ipſimet adhuc omnis generis nequitiâ constricti? Nil enim vetat noſſe literas & tenere diſciplinas omnes*; *ſimul tamen eſſe ebrioſum*, *intemperantem*, *avarum*, *injuſtum*, *proditorem*, *denique amentem*: (imo, æque vel etiam magis ſuperbum, indocilem, ferum, ignavum, bonorum oſorem, contemtorem, irriſorem, calumniatorem, perſecutorem, impium, atheum.) *Multos certe quidem tales videre licet. Quæ ergo iſtorum quaſi prærogativa eſt ob iſtas diſciplinas*, *ut in viros evadant meliores? Nulla.... Quod ſi videantur veræ Eruditioni viciniores* quam idiotæ, *quem inde capiunt fructum? cum ſæpe videre liceat aliquos e primo* (ineruditorum) *ſepto ab incontinentia cæteriſque vitiis in tertium ad veram Eruditionem pervenire*, *qui iſtos diſciplinarum ſectatores prætereunt?* (Quæ Auguſtinum ſibi ideo indignabundum in hæc verba adegerant: (*a*) *Quid patimur? Quid eſt hoc? Quid audiſti? Surgunt indocti*, *& cælum rapiunt*: *& nos cum doctrinis noſtris ſine corde*, *ecce*, *ubi volutamur in carne & ſanguine!*) Pergit Cebes: *Quis ergo jam dicat iſtos* (doctos) *præſtare cæteris? Quin potius ignaviores ſunt*, *aut minus dociles*..... *Namque*, *ut nil aliud dicam*, *illud certe peccant*, *quod ea ſe ſcire profiteantur quæ neſciunt*, *quia opinione dum imbuti ſunt*, *ignaviores eos eſſe neceſſe*

(a) Confeſſ. VIII. 8.

ceſſe eſt ad veram Eruditionem expetendam. . . . Quare opinionibus ſolum pleni, nihilo cæteris meliores ſunt, niſi cum Pœnitentia ſe illis adjunxerit, perſuaſumque habuerint ſe vera Eruditione carere, falſa potiri, a qua ſeducti, eo in ſtatu quamdiu ſunt nequeunt eſſe ſalvi. Hactenus ille.

88. *Cur omnes primo ad eruditionem falſam accedere conſueverint. Et cur ex iis qui ad illam acceſſere, quidam elabantur, alii vero non.*

LXXXVIII. Cauſa cur omnes ad Eruditionem falſam primo accedant, eſt, tum quod ipſa ubique fere proſtet, tum quod recens animus veritatis avidus, quicquid ut veritatem & eruditionem audit proclamari, velit protinus acquirere: unde eum in quam plurima falſa incidere neceſſe eſt. Quod autem inde alii poſtea elabantur, cæteri non; id ex habitudinum animorumque conditionibus procedit. Namque eos qui quam diutiſſime in Eruditione falſa conſenuerunt, nunquam ſperandum eſt elabi poſſe, niſi admodum ſint indolis ſinceræ, ſubmiſſiſſimæ, minimeque pertinacis: aſt ſi diuturnæ conſuetudini accedat cordis malignitas, commodorum atque gloriolæ ex Eruditione falſa manantium amor, tunc ilicet, actum eſt. Non ita ubi falſa in animis radices profundiores agere non permiſerit minus longa mora: quod adoleſcentibus maxime & juvenibus evenire poteſt ſæpius, quando præſertim nobilioris & liberioris ſunt indolis, neque ex turpi ſcopo commoda ſua aut laudeculas aucupandi, ſed ex ſolidæ & æternæ Veritatis amore, cum pietate erga Deum, Eruditionem quærere ſibi propoſuerunt. Namque poſtquam omnibus vel præcipuis quæ vulgo tradi ſolent, ſe imbue-

imbuerunt, ſufficienterve de illis deguſtarunt, quo quænam ſint ipſi poſſint judicare; ecce, percipiunt tamen in cordibus ſuis, veritatis ſolidæ deſiderio, quo tenentur, non ſatisfieri per omnia illa ſua acquiſita, neque ſe ſpe ſua eſſe compotes; ſed majoribus tenebris, ignorantiis & inquietudinibus ſe magis obnoxios vident quam ante: unde (Deo ſecretius animam ad ſolida vera diſponente) faſtidio & contemtu illorum paulatim magis magiſque tanguntur: tum vero ubi vel lucis clarior ſcintillula aliunde apparet, ſentiunt ſe interius veluti a potente quodam motore percelli & propelli ita vivide, ut ſibi id diſſimulare nequeant, nec poſſint non ad ſolidorum bonorum, (contemta eruditione vana,) deſiderium ardentius incitari. Et tunc quidem jacienda eſt alea, jacetque hoc in puncto principium æternitatis felicis aut miſeræ, luminoſæ aut tenebroſæ, prout pretioſiſſimo hoc momento quis bene aut ſecus uſus fuerit. Si enim ſe vi quadam ab eo divertat, perque mille vanas & priores occupationes quærat (reluctante conſcientia) diviniorem eum ſenſum ſupprimere, eo quod illum ſequendo, timeat ſe in tales vias deventurum, ubi vel commodis, vel favore, vel exiſtimatione vanorum homuncionum ſit deciſurus; ecce, tunc pergit inde ad triſtem animæ interitum. At ſi iſtis ſpretis ſeſe Veritatis & Eruditionis veræ fonti, Æterno Deo, velit animitus committere illuminandum & regendum, illico fiet in dies fortior, atque tandem totus voti compos, ſi quidem perſeveranter eam

viam

viam tenuerit quam libro primo expoſuimus: quæ eo redit, ut quis a vanitatibus, ignorantiis & pravitatibus ſuis corde toto convertatur ad Dominum, tum bene agendo nec non nocte dieque orando inſiſtens, lumen ejus & ſapientiam ab eo ardentibus precibus gemitibuſque perſeveranter efflagitet, exſpectetque patienter ejus auxilium. Tunc Dominus, ubi perſpexerit perſeverantiam ejus non eſſe fucatam, ſed ſinceriſſimam, primò quidem luminis ſui radio homini tenebras ſuas malignitatemque prius occultam ſic deteget, ut is horridus ſibi appareat: atque hoc ideo ut in vera humilitate fundetur: dein poſtea amabile præbebit illi vultus ſui lumen, intellectum ejus in formas divinas protinus immutans; ubi vividas icones de ſe ipſo, de Deo, deque ejus operibus internis vel externis videbit expreſſas, quantum e re judicabit Deus. In qua quidem operatione Eruditionis veræ fundamenta fructuſque cum gaudio & tranquillitate deguſtabit & poſſidebit homo eruditus, hac tamen lege, ut tanquam de theſauro ſibi, ex ſe inopi, concredito, non glorietur, neque ſit in ſe ſecurus, nec ſe ideo meliorem cæteris exiſtimet, ne forte Domino quod ſuum eſt ab eo reſumente, in tenebras prioribus multo denſiores ruat præceps; ſed converſetur potius, quam diu hîc vivitur, in continuo timore atque animi humilitate, omnis veri & boni gloriam ſoli Deo tribuens.

89. *Ab eruditione falſa ad veram, incitamenta.*

LXXXIX. Quæ ſane omnia oſcitanter non ſunt pertractanda. Sola hæc namque ſolida

lida ſunt, ſola nobis digna, ſola ob quæ ſumus conditi. Hic de bono æterno & de malo immenſo agitur; deque corona duraturæ felicitatis, & de doloribus tum ignominioſis, & vero nunquam finituris. Et nunc quidem hæc dum vita eſt, optionis tempus eſt inter illa. Datur nunc ætatem impendere vel in colligendis margaritis & theſauris æternis ipſoque omnis boni fonte nunquam deſituro comparando; vel in coacervandis puſillis, vanis, nugaciſſimis & Satanicis nugamentis, cum infinita pœnitudine mox evaneſcentibus, & poſt momentaneam titillationem curioſitatis, animam æterna ſolidi boni & veri vacuitate torquendam relicturis. Eja ingenuæ & pretioſæ literatorum animæ! Eccur diutius laudatam partis bonæ differretis electionem, exſpectantes ad mortem uſque, opinione ſemper proximiorem, quando in lectulo ferali fruſtra lugebitis tempora in veſtris vaniſſimis vanitatibus miſere nec reparabiliter deperdita; dum tamen nunc ſolidæ & inenarrabilis lætitiæ pro illa fatali hora materiam nunquam perituram acquirere datur, ſi modo falſa Eruditione generoſe extruſa, animitus nos reddamus formandos immenſæ Potentiæ & Bonitati omnium primævæ Formatricis, Sapientiæ æternæ, unius veræ Matris & informatricis noſtræ, quæ nos & omnia ad hoc produxit, ut & omnium & ſui ipſius, æterni hæredes eſſemus? Sumus namque filii Dei, ejuſque progenies, quibus proinde omnes divitiarum, luminum, felicitatum, operum, Sapientiæque theſau-

ros gratis largiri decrevit, nullo alio labore noſtro, niſi ut rebellare in eum deſinentes, è pretioſo animæ noſtræ vaſe ſordes & ineptias rejiciamus; tum ad eum, Sapientiæ veræ aquas deſideranter poſtulantes, accurramus. Is & nunc ſe offert intus pulſans, & extus dudum unicuique clamavit: (*a*) *Heus, quiſquis ſitit, venite ad aquas: quibus nulla eſt pecunia, comparate & comedite: venite, inquam, comparate abſque pecunia & abſque pretio vinum & lac*, (eruditionem vivificantem pro magnis & parvis.) *Cur expenditis pecuniam pro nullo cibo; & laborem veſtrum pro re minime ſatiatura? Audite me ſine mora, & bonis veſcemini, ſeque oblectabit pinguedine anima veſtra. Præbete aures & venite ad me: audite & vivet anima veſtra, pangamque vobiſcum æternum fœdus, benignitates fideliter Davidi præſtitas ſervaturus.* (*b*) *Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulſate, & aperietur vobis.... Si vos, qui eſtis improbi, ſcitis bona dona liberis veſtris dare; quanto magis Pater cœleſtis bona dona & Spiritum ſanctum dabit petentibus à ſe.* Petentibus dicit & orantibus, non ratiocinantibus & intellectus ſui activitate ideas & notiones omnigenas ſibi ad eruditionem excitare conantibus, de quibus quippe iſtud eſt Dei decretum, à Chriſto lætante propalatum: (*c*) *Collaudo te, Pater, cœli terræque Domine, quod hæc eruditos peritoſque celaveris, & patefeceris parvulis: ita fiat, ô Pater! ſiquidem ita tibi placitum eſt. Omnia mibi tradidit Pater: neque Filium*

(*a*) Eſa. 55.

(*b*) Matt. 7. & Luc. 11.

(*c*) Matt. 11.

(Deum

(Deum operaque redemtionis) *quiſquam novit niſi ille*; *neque Patrem* (Deum operaque creationis) *quiſquam niſi Filius* , *atque is* , *cui voluerit Filius patefacere. Venite ad me omnes laborantes & onuſti*; *ego recreabo vos. Subite jugum meum* (abnegationem & crucem , ſive, abſtinentiam & tolerantiam) *& diſcite a me*, *mitem me eſſe & corde humilem*; *& invenietis animis veſtris requiem.* (*a*) *Qui in me credit* (a) Joh. 7: 38. (mihi confidit intellectum facultatesque ſuas implendas & regendas,) *ejus e viſceribus viventis aquæ flumina profluent*: *quod de Spiritu, quem recepturi erant, fidem ei habentes, proferebat*: qui Spiritus ſane Spiritus veritatis eſt & luminis, atque veræ, ſi ulla eſt, cognitionis & ſcientiæ. At, inquiet aliquis, hoc Spiritu, hocque modo, acquiram forſitan ego dona quidem pietatis & devotionis, aliaque communia quæ vel quis e plebe poſſit adipiſci, & quibus ego bonus, ſimplex & pius idiota evaſero, cæterum forte indoctus nec rerum naturas & proprietates ſupra vulgus apprime callens. Miſer & inconſiderate, qui a Dei tui potente & ſapiente cura ac regimine vis aufugere & ſubtrahi, ut ab imbecilla rationis tuæ activitate ſola pendeas, & omnia exſpectes! Itane neſcis quid ſit illa tui regiminis, tuæ activitatis, tuæ rationis imbellis & evanida potentia, quam quotidie ſomnus, intemperies, morbillus inſanam, deliram, ſtolidam, caſſam poſſint reddere? quam interclusus narium tuarum halitus vitæque labilis vapor evaneſcens momento poſſint ſic efficere impotentem & nullam, ut ipſemet

met hinctibi omnino nullus ſis futurus; quando tamen ex iſtis anguſtiis (in quas certo certius incides) unum Dei regimen omnipotens, te, ſi ei fueris commiſſus, totum poſſit in integrum, imo in æternum & perfectiſſimum ſtatum reſtituere; malueriſne proprio ductu evanidas ineptias venari, quam tantiſper exſpectare, donec omnis boni & veri, increati atque creati fontem tuto accipias?

Differ, habent parvæ commoda magna moræ. Etiam hic interdum Deus momento ea, & plura, largitur, quæ propria activitate non ita inventa fuiſſent. Nec vero rationem & dona naturalia is deſtruit: ſed poſtquam curationis puſillo tempore deficere viſa ſunt, perficit ea demum & ornat quam abundantiſſime & nitidiſſime; niſi quando ſapienter videt ornamentis ſuis nos in ſuperbiam & perniciem eſſe abuſuros: quod ſuperbiæ periculum fere ſemper ſubeſt, clauditque liberales manus provido ſalutis animarum curatori & amatori. Ecce enim, quando nugamenta futiliſſima vix poſſidemus vanamque eruditionis umbram, illico tamen ſic ſuperbimus, ut plebeji ſimplicioreſque animæ nobis jam ſordeant, & veluti ab alto deſpiciantur, nec non omnium quæ humilia ſunt, nos pudeat! Quid ergo ageremus ſi vera bona nobis eſſent concredita? Scortaremur ſane ſpiritualiter cum illis, nobiſcum & cum ſpiritibus nequitiæ rebuſque creatis omnibus, daremuſque ideis illarum, rationis agilis exercitio, nec non propriæ excellentiæ conſiderationi, affectus omnes, facultateſque noſtras,

ſtras, & delicias totas, relicto Deo, animarum inhabitatore, domino, ſocio & ſponſo, qui præciſe creavit animas noſtras ut illæ cum eo deliciarentur & occuparentur; non autem cum creaturis & chimæris vanis relicto Creatore benedicto, qui ſane dudum conqueri poſſit nos hactenus nil aliud feciſſe, quam animas noſtras omnis generis vanitatibus eruditionis falſæ Satanæque dominatoris hujus conſtuprandas proſtituere, deſerto Ipſomet earum Sponſo, qui & adulterii hujus ſæpe omnes ſub Iſraëlitarum typo admonet, & verò ad pœnitentiam facti animam propitiabili animo ſic revocat: (a) *Vulgo dicitur, ſi dimiſerit vir uxorem ſuam, & illa recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid revertetur ad eam ultra? nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus; & ego ſuſcipiam te. Leva oculos tuos in directum, & vide ubi non proſtrata ſis,* [quibus objectis tete, deſerto Deo, non tradideris,] *in viis* [in diverſis modis & methodis falſæ eruditionis] *ſedebas exſpectans eos* [obſervans omnis generis objecta, nova, curioſa, rara, vulgaria etiam] *quaſi latro in ſolitudine,* [ut ea a ſcopo ſuo ad tuam voluptatem avide raperes, & in cerebro tuo, mente, muſeo ſola apud te pertractares] *& polluiſti terram in fornicationibus tuis, & in malitiis tuis,* [ad propriam gloriam, & potentiam & voluntatis tuæ obſequium iis abutens.] *Quamobrem prohibitæ ſunt ſtillæ pluviarum,* [non amplius deſcendunt cœlitus ſuper te dona Dei gratioſa]

(a) Jer. 3: 1.

&

& ſerotinus imber non fuit, [repreſſæ ſunt gratiarum divinarum plenitudines, ultimis ſeculis veſperæque temporum promiſſæ.] *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi* [gloriaris impudenter de iſta tua defectione a Deo ad eruditionis falſæ meretricia :-] *& noluiſti erubeſcere* [quod velis ſcortari continuo cum nube falſæ ſapientiæ.] *Ergo ſaltem a modo voca me, Pater mi, dux virginitatis meæ tu es*, [juventutiſque verus & unus moderator !]

Nunquid vero tu, Domine, iraſceris in perpetuum, nec amplius adorandi vultus tui lumine nobis in horrendis noſtris cœcitatibus & tenebris, inque vanarum, abſurdiſſimarum & Satanicarum ineptiarum fluctibus hactenus ob ingratitudines noſtras in te immanes, obque tui oblivionem demerſis & jactatis, illuceſces? Itane patieris animas noſtras, *thronum gloriæ tuæ*, ab inimica tenebrarum poteſtate *profanari* in perpetuum, *& creaveris incaſſum filios hominum*! Tune diutius

Omnia certo fine gubernans,
Hominum ſolos reſpuis actus
Merito Rector cohibere modo?
O jam miſeras reſpice terras,
Quiſquis rerum fœdera nectis.
Operis tanti pars non vilis
Homines, quatimur fortunæ ſalo.
Rapidos, Rector, comprime fluctus.
Disjice terrenæ nebulas & pondera molis,
Atque tuo ſplendore mica,

Eph. 2:2. Et eripe nos a *Spiritu nunc efficaciter operante in filiis tibi rebellibus*: ſaltem eos reſpice qui non ſpontanea nec cognita ſibi electione; ſed

ſed veluti miſera infelicis nativitatis, educationis, aſſociationis ſorte hos in calles inciderunt. Ecce enim, a pueritia inſcii erudimur in omni re vana; & quod ultimo vel nunquam docemur, viæ ſunt Chriſti tui! Quis vero ſic, Domine, præſervare poſſit animam ſuam ab omnibus iſtis falſarum diſciplinarum tricis & periculis hactenus recenſitis? Quomodo miſera adoleſcentis anima, vias tuas nondum experta, atque ſtudiorum periculoſum pelagus eruditionis gratiâ ingreſſa, naufragium evaſura eſt æternum; niſi tu, Domine, animarum Pater, lux & rector, prehenſa manu, & vibrato lucis tuæ in interiora noſtra fulgore, eruas nos a blanditiis mulieris illius meretricis, Eruditionis falſæ, cujus parabolica deſcriptione a ſapientiſſimo Regum propoſita clauſurus ſum hoc quicquid ſcripſi hic operis ad Sapientiæ tuæ æternæ gloriam, quam in nobis & per nos, Deus, promove ea charitate & potentia, quibus nos & creaſti, & ad creationem novam revocaſti, paratus illam exſequi, ubi ſponte ab eruditione falſa volemus recedere, divinæ vero attendere, ad quam nos ita benigne Sapientis ore allicis:

Proverb. Cap. VII.

Fili mi, [dilecta hominum progenies, quæ ut a me Deo tuo nata; ſic a me es erudienda] *cuſtodi ſermones meos*, [quibus te conformes] *& præcepta mea reconde tibi*, [ne per mentis

ad

ad inania diſtractionem a te prætermittantur.]

Fili, ſerva mandata mea, & vives, [non idealibus vanitatibus titillatus, ſed vita vera & ſolide beata inde ditatus:] *& legem meam quaſi pupillam oculi tui:* [inde enim animæ viſus lumenque pendet.]

Alliga eam digitis tuis, [praxi & exercitiis] *ſcribe illam in tabulis cordis,* [in facultatibus conſtantis & ardentis deſiderii & amoris.]

Dic Sapientiæ, [Eruditioni veræ] *Soror mea es:* [macte animo, & oratione continua familiaritatem Sapientiæ Dei, Patris communis, quære, pete, ſpera] *& prudentiam* [quæ omnia juſto pretio æſtimat & tractat] *voca amicam tuam* [tuos affectus ei conſervando.]

Ut cuſtodeat te a muliere extranea [ab Eruditione falſa, externas res ſolum & tranſeuntes reſpiciente] *& ab aliena* [quæ nec a Deo eſt, & verò cor ab eo alienat] *quæ verba ſua facit dulcia* [verba eloquenter fucans, & ſplendidis promiſſis auriculas demulcens.]

De feneſtra enim domus meæ per cancellos proſpexi: [ab intimis ad externa meditationem meam traduxi.]

Et video parvulos [video adoleſcentes inexpertos & ad quemvis ductum paratos:] *conſidero vecordem juvenem* [cui animus non eſt reſiſtere vanitati, neque deſiderare Creatorem ſuum in diebus juventutis ſuæ.]

Qui tranſit per plateam, juxta angulum, [qui & per mundum locaque mundanis illuſtriora,] *& prope viam illius* [prope loca Eruditioni

ditioni falſæ propagandæ deſtinata,] *gradi-tur in obſcuro*, [in tenebris mentis ſuæ,] *ad-veſperaſcente die*, [quando lucis pii igniculi, quos a prima infantia ſentiebat, jam in eo lan-gueſcere & deficere incipiunt,] *in noctis te-n ebris & caligine*, [toto mundo tenebris uni-verſalibus etiam immerſo.]

Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, [Eruditio falſa, cor adulterans, & ornata titulis graduum magnificis, omniſque gene-ris diſciplinarum phaleris,] *parata ad ca-piendas animas*, [omnia ſic diſponens, ut animabus perſuadere poſſit ſibi magis quam Deo adhærere,] *garrula & vaga*, [rixoſa, diſputatrix, loquacula, & tumultuans vage in chimæris & in ſuperficie rerum] *quietis im-patiens* [nec intus quiete fruens, nec alios quieſcere permittens] *nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis*; [impotens ſpiritualibus & intimis animæ dare conſiderationes & affe-ctus ſuos:] *nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos inſidians*, [quærens allicere animas modo per quævis propoſita externa, modo per celebritatem nominis inter erudi-tos objectam, modo per tritas mundanarum ſcientiarum vias.]

Apprehenſumque deoſculatur juvenem, [ea parte, qua amori proprio ſatis fieri poteſt, inexpertum aggreditur, pacemque & omnia fauſta ei ſtatim denuntiat,] *& procaci vultu blanditur*, [impudenti adulatione verbiſque compoſitis affectus ejus allicit,] *dicens*:

Victimas pro ſalute vovi; [hactenus plus ſatis & ſufficienter de rebus ſalutis ſumus ſolliciti:

eæ in tuto ſunt. Ecce, Chriſti mortem obtulimus Patri, victimam ſalutis;] *hodie reddidi vota mea*. [Sacra etiam quotidie fere frequentamus, & Deum ſufficienter colimus.]

Idcirco egreſſa ſum in occurſum tuum, [quæ cum ita ſint, & hac ex parte omnia ſint in tuto, ſupereſt ut quoad cætera te dones ſpeculationibus & exercitiis, ob quæ me tibi offero,] *deſiderans te videre*; [inter diſcipulos eruditionis] *& te reperi*] opportune ad hoc diſpoſitum.]

Intexui funibus lectulum meum, ſtravi tapetibus pictis ex Ægypto: [exercitiorum noſtrorum palæſtram, ubi deliciabimur, omni philoſophica & ſyllogiſtica cohærentia, & dialectica ſubtilitate rhetoricesque mundanæ pigmentis exornavi,] *aſperſi cubile meum myrrhâ, & cinnamomo*, [& quicquid animi ſenſibus propenſionibusque tuis naturalibus gratum eſt, id apud me paratum adeſt.]

Veni, inebriemur uberibus, & fruamur cupitis amplexibus, [doctrinæ meæ ſuccum & lac imbibe, cætera nil curans; ac per me naturæ tuæ propenſiones, queis faveo, ſequere,] *donec illuceſcat dies*, [donec tandem lucidam veritatem apud me ſic aſſequi poſſis.]

Non eſt enim vir in domo ſua: [JESUS CHRISTUS, caput Sapientiæ veræ, animarumque ſponſus & habitator, non amplius habitat nunc in domo animarum, neque eſt cur ulterius eum intus exſpectes.] *abiit via lon-*

longiſſima; [receſſit in cœlum, procul a nobis.]

Sacculum argenti ſecum tulit: [dona ſua ſpiritualia, infuſione gratuitâ animam ditare apta, reſumſit, ac ſecum abſtulit:] *in die plenæ lunæ reverſurus eſt in domum ſuam*; [in die extrema, quando res ſublunares mutabilitatis ſuæ curſum impleverint, tunc ad nos redibit, nec ante: cur ergo jam de illo te ſollicite maceres?]

Irretivit eum multis ſermonibus, [multis ratiocinationibus & argumentationibus, quas miſer & cœcus ne diſcernere quidem, multo minus eis reſpondere valens, pro meris veritatibus admiſit:] *& blanditiis labiorum* [orationibus, panegyricis, encomiis de ſcientiarum ſuarum ſuorumque eruditorum præſtantia & laudibus] *protraxit illum.*

Statim eam ſequitur quaſi bos ad victimam, [ruunt enim ad mortem quotquot ejuſmodi vanis futilitatibus applicantur deſerto Christo, atque veluti pecora ſtolide ſequuntur quocunque ducantur:] *& quaſi agnus laſciviens* [in juvenili, improvida, & petulanti licentia vitam interim ducens,] *& ignorans quod ad vincula*, [tenebrarum, errorum, vitiorum & tandem mortis,] *ſtultus trahatur.*

Donec tranſigat ſagitta jecur ejus, [donec ejus cupiditas infecta ſit prorſus telis inimici animarum, bonaque æternitatis deſideria in eo ſint omnino mortua:] *veluti ſi avis feſtinet ad laqueum; & neſcit quod de periculo* [æterno] *animæ illius agitur.*

Nunc ergo, fili mi, [Creatura mea dilecta, quam potente & bona Sapientia mea creavi, ut omnium meorum ſis heres,] *audi me* [Deum tuum & Patrem tuum, tibi dum adhuc tempus eſt conſulentem,] *& attende verbis oris* [CHRISTI] *mei.*

Ne abſtrahatur in viis illius [falſæ & meretriciæ eruditionis] *mens tua, neque decipiaris ſemitis ejus* [ſpecioſis.]

Multos enim vulneratos dejecit; & fortiſſimi quique [les Eſprits forts, præſtantia quæque ingenia Deo non adhærentia] *interfecti ſunt ab ea.* [Quid ergo tibi adhuc dum tenero & debili ab ea non timendum?]

Viæ Inferi, domus ejus, [qui in ea habitant & poſiti ſunt ad diabolum vias decurrunt latas,] *penetrantes interiora mortis*, [quarum terminus eſt, penetrantius & profundius damnari, quam omnes cæteri qui aliis viis damnantur.] Et qui timet Dominum ab ea liberabitur. AMEN.

Pſ. 119: 176.

ERRAVI SICUT OVIS PERDITA. QUÆRE SERVUM TUUM MANDATORUM TUORUM NECDUM OBLITUM.

FINIS.

Sequuntur nonnulla

APOLOGETICA.

ETſi in publicandis iis quæ a mea tenuitate proficiſci poſſunt, hunc mihi ſcopum propoſuerim, talia expromere, quæ hactenus aut prætermiſſa, aut minus bene explicata, ipſeque optaſſem prius mihi ab aliis oſtendi, ut eorum ope liberarer difficultatibus queis circa hæc antea premebar, & quarum ſolutionem poſtea inveniſſe mihi viſus ſum: non dubitavi tamen quin meum illud, quod ſane illaudabile eſſe non poteſt, proficiendi aliis ſtudium a plurimis ſiniſtro oculo inſpiciendum eſſet, maxime vero ab illis qui contraria tenebant, aut vero ea ediderant vel defenderant quæ ego minus vera eſſe oſtendebam. At quamvis oppoſitiones aliquot exſpectarem, non tamen credideram, ullos eo ignaviæ delapſuros, ut me impugnaturi, opiniones, eis quas clariſſime meas declaravi contrarias, meas eſſe dicerent, deinde eas vel refutarent, vel irriderent, ut coram aliis de illorum ſinceritate non dubitantibus triumpharent de me, & ita a veritatibus momentoſioribus, quæ in ſcriptis meis occurrunt, quæque illis ſunt tam inviſæ quam ſilentio diſſimulatæ, legendis, revocarent quotquot inde ſi non eruditiores, ſaltem meliores fieri potuiſſent. Cui malo

non video me obviam ire poſſe, præterquam ſi ſemel aperte declaravero, ea quæ ab adverſantibus mihi ut mea imputantur, nequaquam pro meis a me agnoſci; rogaveroque omnes qui de meis judicare falſo nolint, uti dignentur quæ ipſe ſentio, in meis libris, non autem in aliorum relationibus, ore, ſcriptis, inſpicere. Et ut appareat me non ſine cauſa id poſtulare & conteſtari, exemplis nonnullis nunc probatum dabo, me jam ſimile quid iniqui a non uno nonnullius nominis aliquoties eſſe expertum.

I.

Pauci non norunt, nil emolumenti (ut moderate loquar) per *Cogitationum Rationalium* mearum *de Deo*, *Anima & Malo* editionem deceſſiſſe rei Carteſianæ in quantum veritati innititur, hoc eſt, in quantum docet, animam & inextenſam eſſe, & ex natura cogitare, & verò exiſtere Deum, admirabilibus, iiſque perfectiſſimis præditum attributis, unde ipſa ſcientiarum fundamenta debeant deſumi iiſque inniti. quas veritates momentoſas a Carteſio per rationem demonſtratas ut agnovi & faſſus ſum; ſic & iiſdem de rebus multo plura quam ipſe Carteſius demonſtrare ſum aggreſſus, & ea quæ ipſe demonſtratu impoſſibilia putabat, veluti animam non eſſe (ſepoſito revelationis argumento) a Deo annihilandam, præſtiti: idque non tantum ſterili & mere ſpeculativo diſſerendi modo; ſed eo, quo conabar lectorum animos urgentibus demonſtratio-

tionibus permovere uti meliores, & Dei virtutiſque amantiores fierent. Quæ quidem res, quod ſciam, nullis e Carteſianorum numero cordatioribus diſplicuit, etſi in eo libro haud minus decies a Carteſio diſſenſerim, eumque toties vel pluries erroris in multis redarguerim. Verum ſciunt omnes axioma Carteſii eſſe, ipſi minime credi debere, niſi quantum is rationem & veritatem ſecutus eſt: ita ut non dubitem generoſioris indolis Carteſianos nequaquam ægre laturos ab eo in omnibus diſſentiri, modo oſtendatur eum a ratione recta in omnibus declinaſſe. In hoc ipſo enim legem ejus omnium æquiſſimam obſervarent, atque ita ab optima parte maxime Carteſiani eſſent.

Poſtquam autem per tempus & otium plura melius ſcrutari & videre potui, edidique altera vice Cogitationes eaſdem, ſed prioribus multo auctiores, miratus ſum Carteſianos nonnullos, qui Editionem priorem non mediocriter approbaverant, huic eſſe infenſiores, & pro cauſa dixiſſe, priorem veluti ab hac deſtrui, quippe quæ multa oppoſita & diverſa contineret; proinde diſcipulis ſuis legendam diſſuadebant, quorum nonnulli ſerviliter admodum obtemperabant dictitantibus. Non putaſſem ſane inter eos, qui liberioris philoſophandi methodi ſe dicunt ſectatores, facile reperiendos, qui contra Methodi ſuæ legem, quicquam aliis ſine prævio examine rejicendum injungerent; neque crediſſem inter Carteſianiſmi diſcipulos tam bruta inventum iri pecora, ut quic-

quid a Magiſtris ſuis ſibi, nulla allegata ratione, injungeretur improbandum, id ipſi mancipiorum modo ſine lectione & examine ejus, protinus improbarent. Si ex prima methodi ſuæ lege, de magiſtrorum ſuorum effato dubitantes, rem ipſam examinare voluiſſent, illico deprehendiſſent, id quod Editioni iſti imputatur, falſiſſimum eſſe; quippe quæ tantum abeſt ut priori opponatur, ut potius præter ejus textum eundem, notis & augmentis eaſdem veritates mille in locis & profundius & diductius illuſtret, multaque de Metaphyſicis & Moralibus penitius detegat, quam factum ſit antea. Equidem de novo in nonnullis diſſenſum meum a Carteſio indicavi, nec non in notis ſententiam unam atque alteram a priori Editione diverſam, veluti de rationis humanæ terminis & imbecillitate, de Prædeſtinatione rigida, de animæ propagatione, de motu per attractionem, fovere, non diſſimulavi: at quandoquidem & in Editione prima vel plus decies in multis a Carteſio diſſenſeram, & quædam mea in Appendice correxeram, hæc non poſſit eſſe cauſa, cur Editionem eam improbent totam, quæ, ſi a potiori denominari debet, dicenda potius eſt priorem confirmare, uti revera eam vel millies corroborat, ubi ſolum ter quaterve ab ea diſſentit, eoque modo, qui nemini poteſt eſſe fraudi: ſiquidem invariato primæ Editionis textu, rationes diſſentiendi ſic ad calcem apponuntur, ut liberum cuique ſit, examinatis utrinque rationibus, quam judicaverit meliorem ſententiam

tentiam amplecti, atque adeo & priorem retinere ſi ſolvere poſſit rationes dubitandi appoſitas: quarum appoſitione gratiam Carteſianorum demereri potius quam improbationem crediderim, quando earum vi prioris ſententiæ firmitas non labefactata, illuſtrior & ſtabilior apparebit.

At revera aliud quid ſubeſſe reor ob quod ſuis diſſuaſerint novum opus. Vident in illo nonnulla, præſertim de rigida Prædeſtinatione, errores quos fovent nec deſerere audent, irreparabiliter evertentia; ſententiam vero ſuæ oppoſitam (quæ & Anglorum & Brandeburgicorum Reformatorum eſt) firmiſſime ſtabilientia. Hæc ſi nobilioris indolis ſtudioſi viderint, ea in diſputando illis opponent quibus nec poterunt reſpondere, & vero erroneæ doctrinæ ita convincentur. Quod cum jure timeant, revocandi ſunt diſcipuli ab ejus Operis lectione, quo poſſent Magiſtros ſuos vincere: id quod diſſimulata hac cauſa, per generalem libri calumniam, indicata nulla ratione, tutius fieri poſſe judicarunt. Niſi forte quidam minus cauti id faciant ex Spinoziſtarum quorumdam impulſione, qui videntes omnem Spinozæ Atheiſmum detegi & refutari in Notis, nec non in opuſculo adjecto fundamenta exitioſæ ejus Ethices eâ methodo Geometricâ prorſus ſubverti qua is illa ſtatuminare conabatur, putaverint non melius poſſe labenti Atheiſmo ſuo conſuli, quam ſi per improvidos minimeque Atheiſmi ſuſpectos traduci curarent ea, in quibus portentoſa impietas & veritate invi-

ƈta & propriis ſuis telis conficitur. Non auſim ſane in cauſam hujus ſui agendi modi adferre eam, quam dė Virgine quadam divinitus erudita feci in Appendice libri mentionem: ea namque & in Editione prima, nullis non grata, exſtabat; & eruditarum fœminarum elogia cum omnium approbatione jam dudum plurimi evulgarunt eruditi quique viri; etſi non nemo, (qui Mentis ſuæ morbum & tenebras noviſſime ſatis prodidit, quando portentoſis quibuſdam de Angelis & diabolis opinionibus ipſe faſcinatus iiſdemque mundum faſcinare geſtiens, totas enervavit Scripturas,) teſtatus ſit non ſine calumniis in ea quam Belgice conſcripſit, hiſtoria Eccleſiaſtica, id ſibi vehementer diſplicuiſſe. Sed quid mirum ſi homini ita affecto diſplicere id poſſit quod rectum eſt & veriſſimum? Quicquid ſit, nulla de cauſa ulli credam licere, uti aliis perſuadeat, alia in ſcriptis meis contineri quam revera continentur, maxime verò in iſto, cujus augmenta, nedum ſint nullius pretii aut momenti, ea ſunt, ut quicquid boni in Editione prima continetur vix comparandum veniat vel cum ſola præliminari Diſſertatione alteri addita, non meo tantum, ſed & ſolidiſſimorum ac ingenioſiſſimorum quorumcunque judicio; qui indignabantur, ſe ab ea tantiſper abductos fuiſſe ignavo linguarum perverſe judicantium artificio. Quam culpam tamen iis non ignoſco tantum, ſed &, ſi perſeverent, poſſem beneficio compenſare, eis penitius & amplius quam adhuc feci, Carteſianiſmi errores & im-

imbecillitatem detegendo, non quemadmodum ab Ariſtotelicis nonnulliſque aliis ad hoc non ſatis aptis factum eſt; ſed eo modo, cujus neſcio an quiſquam alius ſit me forſitan capacior, qui vel ipſiſmet forte profundius ſuorum placitorum validitatem & debilitatem a radice novi. Sed ab ingrato quieſcam officio, ipſi a maledicendo abſtinere ſi poterunt.

II.

Lipſienſes Actorum Eruditorum conditores ſimile quid de earundem Cogitationum editione altera commiſerunt, quando lectoribus perſuadere voluerunt eas & *prioribus eſſe obſcuriores, & Theologiæ Myſticæ, quam paſſim deprædicent, immerſas.* Fateor me eam Theologiam ſemel aut bis nominaſſe cum elogio: at a veritate alienum eſt ejus deprædicationem paſſim ibi occurrere, & falſius illi librum immergi. Confudit articuli hujus Auctor, profundiores Metaphyſices meditationes cum Theologia Myſtica, quia, utræque quid ſint bonus ille vir pariter ignorare videtur: unde quæ aptis mentibus philoſophemata ex ſe ſunt clariſſima, illi myſteria obſcura fuerint, veluti erant olim Carteſianæ Meditationes iis, qui ſeſe egregiè eruditos credebant. Iterum, ſi non de induſtria, ſaltem minus caute ea de me ibidem refert, quæ falſum lectoribus inculcant ſenſum, quando ait, me *perhibere eos qui verba in Scripturis ſacris revelata aſſumunt atque conſulunt, humanam rationem ſequi, neglecto fidei immediate a Deo venientis lumine.* Atqui mea mens

Act. Erud. Ann. 1685 in Decemb. p. 548.

non eſt, unum & idem eſſe, vel neceſſario ſimul connecti, τὸ aſſumere & conſulere verba Scripturarum, & τὸ humanam rationem ſequi neglecto fidei lumine, ita ut qui faciant prius, eo ipſo alterum committant; quemadmodum ex verbis illorum lector illico colligere poſſet: ſed improbavi & deploravi ibi, dari plurimos, qui verba in Scripturis S. revelata ſic aſſumunt atque conſulunt, ut quando de ſenſu eorum agitur, recurrant magis ad intellectûs ſui activitatem & ideas corruptas, quam ad Deum, committendo ipſi fideliter & ardenter intellectum ſuum, ut is in illo lumen gratioſum excitet: quod ultimum fidei dico eſſe, primum ad rationem humanam ſpectare: quæ ſi ſuis *Theologis* jam dicant *non placere*, egregia ſane laude eos ſic mactabunt. Miratus vero ſum quid Lipſienſes iſtos, qui Lutherani ſunt, commoverit uti ſenſa mea ſic odioſe detorquerent & exhiberent, quippe qui gratiam non parvam ab iis commeruiſſe debui quando iis, prædeſtinationi rigidæ adverſantibus, in meo libro de ea, deque libertate, non pauca propoſui, e quibus ſententiam ſuam & melius quam factum ſit digerant, & firmius ſtatuminent.

Sed deſii mirari cum in ſequenti Actorum menſe illorum unum eo eſſe animo vidi, ut pro relatione candida Satyram ſcommatibus & falſitatibus refertam ſcriptitârit in defunctam D. Antoniam Bourignoniam, admirandæ eruditionis divinæ Virginem ſanctiſſimam, inque ejus Opera (quorum eo tempore

pore non niſi duodecim octerniones legebat) nec non in ejus Operum Vitæque Apologetem. Quam animoſi affectus intemperiem magis adhuc prodidit, quando ab illaudata manes aggrediendi methodo per *Monitum neceſſarium ad Acta* ſua depulſus, jam non Satyram & ſcommata; ſed ignes & flammas, omniſque generis ſordes, & (quæ vel ſubulco indigna, nec ſine lectoris venia referenda continuò in ore habet) *oleta*, (honos ſit auribus) *ſtercora*, *vomitus*, *ſputorum linctus*, *cacationes*, *ructus*, *excrementa*, *fimeta*, maledictaque & epitheta omnis generis *diabolica* & immania; etiam ab ipſo titulo expectoravit in libro alio quem *Defenſionem Relationis Lipſienſis* inſcripſit: idque ideo quod ſibi imaginatus ſit, & ſe invadi, quando tamen ipſe invaſor erat, prorſum antea incognitus; & vero ratus ſit durius ſe repelli quam pro merito aut dignitate ſua debuerit. Atqui ſi vel Princeps aliquis larva vilibuſque calonum veſtibus perſonatus ſimpliciores & plebejos incognitus laceſſitum iret, eorumque operas improbe vexans, inde bonum fuſtuarium ab illis reportaret, nemo non judicaret ſane id uni ſuæ imprudentiæ culpæque attribuendum fore; nedum ſic periculo facto, rem deberet evulgare, aut ridicule conclamare ſibi injuriam factam eſſe, mulieroſaque convicia in laceſſitos effundere voce lamentabili; imo nil convenientius ab eo fieri poſſe quam ſi taceat potius, ne ſe aliis noſcendum præbeat & deridendum. Tale factum vexatori noſtro, quantuſcunque ſit, per ſatyri-

tyricam tamen chlamydem larvamque ignoto, ſi acciderit, ejus erat ſane, id vel e Politica prudentia tacite apud ſe ſolum digerere potius, quam tragice palam exclamare ſe jam ternis jam ſenis velitum jaculis (quæ propria tela erant in ipſum revertentia) invadi, atque impotentia convicia muliebriter jactitare, calumniaſque nulli credendas; maxime poſtquam Hamburgenſes Ephemeridum Eruditorum Auctores, neſcio an ipſo conſcio vel poſtulante, declaraverant, me eum eſſe quem clamoribus ſuis obtundere voluerit. Namque nemo eſt qui *Cogitationibus* meis, *Oeconomiaque Divina* editis & lectis, non numeret inter calumnias, quæ is paſſim mihi amiciſque meis imputat (a) *Vaniniſmum* ſive Atheiſmum, *Bodiniſmum*, *Naturaliſmum*, *Socinianiſmum*, *Pelagianiſmum*, & doctrinam *Judaiſmo atque Mahometiſmo* deteriorem; nemo qui inde non judicet ejuſmodi auctori ut in his, ita in cæteris quoque minus momentoſis, ob nubila per turbidos affectus menti obducta, fidem non eſſe adhibendam: ſic ut mihi non ſit opus oſtendere, (quod facillime poſſum) in ſingulis ejus ſcripti pagellis, & fere lineis & vocibus, veritatem, æquitatem, modum, charitatem, humilitatem deſiderari; namque adeo craſſis affectuum motibus iſtas virtutes conculcavit, ut omnium quæ de Eruditorum falſorum in eos qui ſolida protulerunt agendi modis ſuperius dixi, ideam & memoriam iſta non poſſint non revocare; & ſi cui liber ejus imponat ſeu perſuadeat lectori, hunc ego lectorem quovis ſtipite ſtupidiorem,

(a) Defenſ. Rel. Lipſ. pag. 9. 99. 104. 105. &c.

rem, in demonſtrato habeo. Quia vero iſte aggreſſor veritatis a me audiendæ & recipiendæ adeo incapax eſt, ut mihi in *nugaciſſimas nugas* (a) annumeret quod docuerim ea quæ Chriſtus fecit & paſſus eſt, a nobis de facto & inhærenter intus veluti medicamina aſſumenda eſſe, ſi quidem ſanari velimus; cum ut non imputative, ſed inhærenter ſanet Deus, rogo. Cæteros conteſtor, ut ne ſenſa noſtra unquam ex adverſariorum libris, quippe qui contineant contraria, cognoſcere velint; ſed cum ex Cogitationibus, Oeconomiaque, nec non ex Irenico Univerſali cum illa Gallice edito; tum ex incomparabilibus eruditiſſimæ cœlitus Virginis Antoniæ Bourignoniæ ſcriptis, omnis Eruditionis ſolidæ clavem viamque veram vividiſſimo palpabiliſſimoque modo ſubminiſtrantibus: in quibus omnibus paſſim, maxime verò ex profeſſo in Præfatione Apologetica ejus Vitæ præfixa, videbunt eas cavillationes & calumnias, jam dudum centies a maleferiatis quibusvis calumniatoribus, eadem chorda ſemper oberrantibus, objectas, & toties repulſas, clariſſime diſſolvi, & omnibus dubiis ſufficientiſſima luminoſæ veritatis detectione ſatisfieri. Si qui autem adhuc etiam poſtea calumniis nos obruere velint, & Fimbriæ inſtar, furere, publiciſque accuſationibus nos denuo invadere, eo quod toto corpore ictus ſuos non admiſerimus, ſed ab eis ita declinaverimus, ut aërem ferierint; ſique inveniant, qui ſibi in iniquis ſuis agendi modis & credant & adjumento ſint contra

(a) p. 115.

nos,

nos, quamvis contraria eis quæ nobis imputantur (ſunt vero cogitata) atteſtantes: tunc innocentiſſimæ Suſannæ a vetulis veteratoribus falſo accuſatæ, & a credulis nimium judicibus damnatæ, imitabimur exemplum; atque ab hominibus ad Deum converſi cum eadem dicemus: *O Deus immortalis, qui occulta noſti, qui omnia ante eorum ortum proſpicis! tu ſcis hos falſum teſtatos eſſe adverſum nos, noſque damnari cum nihil fecerimus* (nec ſenſerimus) *eorum quæ contra nos iſti per malitiam commenti ſunt.* Equidem decuiſſet Lipſienſes Aggreſſoris noſtri Socios ejuſmodi conquerendi anſam nobis præripuiſſe, impediendo ne adverſarii iſtius noſtri criminationes Actis ſuis aſſuerentur; aut vero, poſtquam per imprudentiam eis immixtæ ſemel fuerant, eaſdem prima occaſione data improbando. At vide, quæſo, quo uſque vincula mundi, vana gloria, eruditioniſque falſæ venenum eruditorum corda penetraverint & corruperint! Ipſimet quando Acta ſua omnis generis Eruditionis falſæ materiis replere debent, nec non vaniſſimis nugamentis, v. g. (*a*) de modis quibus ranæ coëunt, & quomodo ſe habeant marium & fœmellarum podices ante & poſt coitum, ſimilibuſque muſtaceis, ea ſunt conſcientiæ teneritate, ut ejuſmodi futiliſſimas nugas non audeant referre niſi juratos emiſſarios teſteſque oculatos de iſtis ineptiis prius *ſancte conteſtantes* audiverint. At quando agitur de proximis ſuis (quos lege omnium ſanctiſſima, ſub vitæ æternæ damno, tanquam ſe ipſos amare debent) in-

(*a*) Act. Lipſ. an. 1687. pag. 248.

infamandis, deque rebus divinis, ſuum & omnium hominum naturalium captum ſuperantibus, & quod plus eſt, ea lingua ſcriptis, quam ipſi ne intelligunt quidem, nedum ea legerint: tunc conſcientia in longum & latum dilatata illis permittit, non modo ſemel adoptare odioſa ea quæ ex illis unus irriſorio & palam inimico, adeoque non credendo ſtylo retulit; ſed etiam, quanquam moniti, cum oblata in monito illo ſeſe excuſandi ratione, malunt tamen in perverſo iſthoc agendi modo pergere, & in Actis ſuis (*a*) obfirmato animo de æquitate ſua, deque nulla nobis illata a ſe injuria teſtari, veluti iniqua illa mulier apud Salomonem, (*b*) quæ *poſtquam comedit* [peccatum,] *tergit os ſuum, & ait, non commiſi iniquitatem*; quam veritati dare manus. Verum, ut cum Auguſtino (*c*) loquar, *ea putatur gloria vanitatis, nullis cedere viribus veritatis, in perniciem utique ejus cui vitium tam immane dominatur.* Aſt omnia tandem in veritatis oppreſſæ emolumentum ceſſura ſunt. (*d*) *Omne telum contra te cuſum, erit infortunatum; & omnem linguam quæ contra te ad diſceptandum ſurrexerit, condemnabis. Hæc eſt Domini ſervorum hereditas & juſtitia auctore me, inquit Dominus* apud prophetam. (*e*) *Ecquomodo apparebit veritas* (Macarii teſtimonio) *niſi habeat adverſarios qui ſint mendaces, & qui in illam irruant?* His auctoribus Lectorum curioſitas ita provocabitur, ut partium utrinque dicta videre geſtiant: eis vero lectis, poſtquam viſuri ſunt ſe adverſariorum quidem ſcriptis ad nullum bonum

(*a*) ib. pag. 233, 234.
(*b*) Prov. 30. 20.
(*c*) Aug. de Civ. Dei. Lib. VI. c. 1.
(*d*) Eſa. 54:19.
(*e*) Homil. 17.

bonum nullamque virtutem propelli, ſed animas ſuas per ea omnis generis odioſis & acerbis moribus percelli; per noſtra vero ſe potentiſſime & ſine fuco ad Deum omneque ſolidum bonum impelli, atque cum inimitabili veritatis, corda penetrantis, irradiatione & efficacia, ab omni malo, vano & falſo revocari; non poterunt (quod multis jam accidit) quin indignentur portentoſis adverſantium calumniis: & vero noſtræ innocentiæ favebunt, nobiſque etſi ejuſdem cum adverſariis Sectæ eſſent, non recuſabunt teſtimonium, quale olim Chriſtianis dabat Judæus ille Tryphon apud S. Juſtinum: (a) *Quæ a multis in vos jactantur, indigna ſunt fide.....Veſtra ſane præcepta tam magna & admiranda eſſe novimus, ut ſuſpicio noſtra ſit a nemine illa ſervari poſſe: inceſſit enim ea cura mihi ut ea legerem.* Nec hic ſtabitur, ſed (ut ait Pſaltes) (b) *poſtquam juſtitia ad judicium reverterit*, ſive poſtquam juſte judicatum fuerit, *omnes qui recto ſunt corde convertentur ad juſtitiam, & ex ore infantium & lactentium perficientur laudes Domini, ut deſtruatur inimicus &* (ut legebatur tempore Sulpitii) DEFENSOR.

(a) Dial. cum Tryph. p. 227. Edit. Col. 1686.

(b) Pſal. 8. & 94.

(c) Sulpit. in vita Martini cap. 7.

III.

Inter exempla eorum qui parum fidas de nobis relationes divulgarunt, haud jam recenſerem Auctorem Epiſtolarum Gallicarum quas *Paſtorales* vocat, ſi is poſtquam ei reſpondi, verioraque oſtendi, ea, quæ nobis perperam in relatione ejus affricta erant, ex Editionibus poſt-

poſtmodum iteratis, nec non e Belgica verſione curaviſſet eliminari: Quod cum non fecerit, ſtentque, imo & reponantur ejus adverſum nos teſtimonia, cogor hic monere, in eis omnia & dogmata & facta nobis imputari quæ noſtris ſunt omnino contraria. Equidem poſt reſponſum (*a*) meum ſilentii partes tenuit, id quod pro agnitione injuriæ nobis ab ipſo factæ interpretor: ac ne ægre ferat illud hic a me dici, id ipſum etiam mihi argumentum eſt, eum non tam e proprio fundo ſuo, quam ex improba aliorum relatione & credulitate ea prius ſcripſiſſe, quæ ſi certius & exactius cognoviſſet, per animi honeſtatem (quæ eum, ut opinor, retinet ne ſimilia denuo nobis attribuat) illa haud propalaſſet: qua in re ex obfirmatorum aliorum calumniatorum familia ſe neutiquam eſſe palam facit. Et, ne ſoli illius culpæ inſiſtam, meâ diſſimulatâ, fateor & doleo, ab amicis propriaque conſcientia dudum monitus, me eo tempore magis ceſſiſſe tentationi, qua ex conſideratione injuriarum nobis ſtylo acerbo & minante factarum, aliiſque de cauſis tunc impellebar ad acerbitatem acerbitate penſandam; quam reſpexiſſe ad lenitudinem Chriſti, jubentis benedicere iis qui nobis maledicunt. Dabo operam, cum gratia Divina, in poſterum in me id ut emendem, utque per me non ſtet quin ille & ego poſtmodum re ipſa de verbis Paulinis implendis inter nos decertemus: (*b*) *Induite ut Dei electi, amatique, affectum miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, manſuetudinem, patientiam, alius alium feren-*

(*a*) *Irenicum Univerſale*, ſive, *La paix des bonnes ames dans tous les partis du Chriſtianiſme.*

(*b*) Col 3.

ferentes, & invicem condonantes ſi quis habet quod de alio expoſtulat: quemadmodum Chriſtus vobis condonavit, ſic vos quoque facite: Sed ſuper hæc omnia, charitatem, quæ perfectionis vinculum eſt; vigeatque divina pax in veſtris animis ad quam eſtis ad unum corpus vocati.

IV.

Haud ita pridem alius quidam neſcio qualis, nomine fictitio *Jani Philadelphi* aſſumto, conſcriptaque *de Optima Chriſtianorum Secta Conſultatione Deſultoriâ*, e numero eorum eſſe voluit, qui gratis de me, amicis, librisque meis falſa diſſeminant. Is poſtquam inter alios celeberrimam Virginem aliquoties dictam, amicoſque annumeraſſet iis qui Religionem Chriſtianam magis moribus & ingenio quam verbis contentioſis exprimere volunt, ſententiamque ſuam de illis veluti de hypocritis pronunciaſſet ipſe, antiquo ſcilicet Jano (qui ante & retro videbat, iſte vero & in intimis) oculatior: ſubjungit, (*) *Antoniæ Bourignoniæ fœminæ pridem nutanti, magna nunc iterum acceſſu per Poiretum auctoritas, ut qui magna contentione & ipſam Θεόπνευστον, & veram fuiſſe vatem uberrimis* OECONOMIÆ DIVINÆ *libris oſtendiſſe ſe putat, opportune ob hoc ipſum multatus.* Quis non crederet e verbis hujus Jani Philadelphi, materiam ſeu argumenta librorum Oeconomiæ hanc eſſe quæſtionem, quam is recenſet? Atqui in illis, ne hac quidem quæſtione ſemel mo-

(*) Conſult. de-ſult. pag. 82.

mota, Dei opera & regimen erga homines tam in creatione, quam in lapſu, in redemtione & reſtitutione; in internis pariter & externis, ſic proponere conatus ſum, ut rerum omnium tam naturæ quam gratiæ ortus, cauſæ & effectus, cum omnium capitalium difficultatum, etiam earum, quas Athei, Philoſophi, Theologi inſolubiles putabant, ſolutionibus ibi apparerent quam clariſſime, per demonſtrationes & rationes intimas & rebus eſſentiales, Mathematicam certitudinem æquantes vel ſuperantes, & Scripturarum teſtimoniis fulcitas. Quæſtionum autem omnium momentoſiſſimarum, ibi acquieſcentiſſimo modo ſolutarum numerus pene infinitus facit, ut *ubertas* librorum, quam is videtur objectare, in multitudine materiarum, quarum nulla fere eſt cujus rationes fundamentales ibi non expoſuerim, conſiſtere dicenda ſit, non in prolixitate ſermonis de unaquaque quæſtione: qua in re multò ſane preſſior fui quam Janus noſter in conſultatione ſua deſultoria; quippe qui ibi octo octernionum folia huic uni quæſtioni de Optima Chriſtianorum Secta, impendere non dubitavit ut inde hanc concluſionem eliceret, ſuam Sectam eſſe optimam omnium. Ego autem multis quæſtionum millibus ne centum & quadraginta quidem duodernionum folia in toto opere dedi, quæ millena Jani Philadelphi methodo dari debuiſſent. Quoniam autem celeberrimæ Virginis Bourignoniæ ſenſus (vel opiniones ſi vis) cognoſcere ſi quis alius, dicor, multorumque curioſitas eo vergit, ut

ut quid illa ſenſerit, diſcurſus vel hiſtoriæ gratia ſcire peroptent, iis ut ſatisfacerem, interdum in eo opere indicavi (idque aliquoties cum elogii verbo,) quibus in locis materias de quibus agebam illa tractaverit; quod miror Jano noſtro adeo inidoneum videri, ut propterea librum meum veluti infamaturus, temerarie dicat, *me ob id ipſum opportune eſſe multatum*. De multa vel minima, per Dei gratiam, nil hactenus quicquam ſcio vel expertus ſum, qui ſcripſerim & vivam in Provinciis liberis, ubi pro æquitate Magiſtratuum, cæteros omnes toto terrarum orbe hac virtute ſuperantium, pia animi ſenſa palam facere, ſine Inquiſitionis Eccleſiaſticæ timore licet, & facio permultis gratiſſimus, qui non hic tantum, ſed & quocunque loco degunt. Namque nobiliſſimorum, probiſſimorum, & in omni ſcientia, virtute, Secta, etiam in illa quæ eſt Jani, præſtantiſſimorum Virorum benevolentiam & amicitiam loco multæ conciliavit mihi opus illud Oeconomiæ Divinæ, quod verbis & literis ſuis non pauci tanti facere voluerunt, ut nec modeſtia propria, nec invidia aliorum id me proferre patiatur. Quid enim dicerent invidi, ſi quis propalaret ſuum quoddam opus ex cordatiſſimis & excellentiſſimi ingenii viris nonnullos ut incomparabile extuliſſe; alios, ut donum cœli; alios, ut cui poſt Scripturas ſacras nil invenerint ſimile; alios, cui par inter omnia quæ unquam viderunt excuſa non legerint; alios, quod dolendum omnium manibus non teri; alios, cujus le-
ctione

ctione dubiis omnibus perfectè ſoluti ſint; & multò plura? quæ, niſi quis abſurdiſſimus ſit, non licet ei de ſuo cogitare, nec ſine pudore ex aliis indirecte referre, niſi interdum in ruborem dandus eſſet mendax livor e manibus proborum proficua ſcripta excutere tentans, ſuppoſito falſæ aut ridiculæ materiæ titulo & infami libri ſucceſſu? quod calumniandi genus ut ex efficaciſſimis apud ſimpliciores, ita ex indigniſſimis eſt. Quid diceret Janus Philadelphus, ſi quis calumniator publicaret, eum ob diſſertationem ſuam opportune multatum aut virgis cæſum fuiſſe? nonne ægrè ferret ejuſmodi indignâ calumniâ librum ſuum efficacius horrori vulgi exponi quam ſi quis ex profeſſo eum refutaſſet modo apertè calumniatorio? Ergo ſi verè Philadelphus eſt, ſeu fratrum amator, primum, non dicam fraternitatis, ſed humanitatis præceptum, *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, oſtendat ſibi eſſe cordi: nec in poſterum contemnat eos qui Deo accepti, multa ab ejus divina liberalitate non contemnenda dona receperunt, ut incomparabilis illa Virgo Antonia, quam per contemtum Antoniam fœminam aliquoties vocitat, & cui nutanti me auctoritatem aitconciliaſſe, ac pro Vate eam a me haberi & commendari. Ego ſane ſic habeo, Antoniam fœminam, & Janum Philadelphum maſculum, & omnem pariter hominem, in ſe & ſine Deo non nutare tantum, ſed etiam omnino nihil eſſe: At Antoniam fœminam, invito licet Jano maſculo, nec nutaſſe nec nutaturam un-

unquam, quatenus ſolidæ veritati Euangelicæ & Spiritui Chriſti innixa: qua in re neque acceſſu auctoritatis per Poiretum, aut per ullum alium opus habebit: Verum cum non pauci quibus veritates divinæ per viros aut fœminas prolatæ uſui eſſe poſſent, cum inde abſterreantur per falſas aut ridiculas relationes, quapropter opus habere videntur teſtimoniis vel auctoritate quorundam quibus inducantur ad examinandos propriæ utilitatis cauſa eos libros, quos nonnulli invidi aut ſaluti hominum irati, eis velut contemnendos aut abjiciendos mala ſua auctoritate vellent haberi; ſi talibus Poireti vel teſtimonium vel auctoritas circa ſaluberrima Antoniæ ſcripta tale quid proficere poſſit; ea ille lubentiſſime accommodabit, quo uſque hoc vivæ Euangelii veritati & virtuti promovendæ inſervire poterit; nec ultra. Neque id tantum circa ſcripta illa; ſed & quorumvis aliorum, ſeu virorum, ſeu fœminarum, dum veritates divinas efficaciter continent, & faciam & feci jam aliquoties, quando v. gr. partim verti, partim edidi Gallice libros incomparabiles (quorum ſubſtantia mea fides eſt) *Kempiſii communis*, *Theologiæ Germanicæ*, *Theologiæ Cordis & Theologiæ Amoris*, quæ duo ultima collectanea ſunt, in quibus inter virorum ſcripta occurrunt quatuor trium fœminarum, opera virorum longe vincentia. His ego in meis ſcriptis do interdum teſtimonia, ſic tamen, ut non ſequatur mea ſcripta nil aliud quam tales aliorum commendationes aut Apologias continere; quemadmodum hic

auctor

auctor videtur perſuadere velle. Cæterum omni abſurditate eſt abſurdius, virtutem & eruditionem, ſeu divina hæc ſit ſive humana, in aliquo contemnere ob ſexum, quando cordatiores ex eruditis eam in fœminis magis quam in viris laudare ſoleant. Haud ita diu celebris (a) Theologus Academiæ Kilonienſis in Holſatia, integro tractatu fœminas dotibus animi conſpicuas impenſe laudavit. Hanc vero de qua agitur, ſic parum contemnunt doctiſſimi quique, ut inter ea quæ in libris meis gratiſſima ipſis fuere, numerent occaſionem eis à me ſubminiſtratam divina ejus ſcripta lectitandi & cognoſcendi, quando de eis tale protuli in Oeconomia teſtimonium, cujus nedum me pudeat aut pœniteat, tenorem hîc, Jano licet haud arridente, apponere non dubito. " Scilicet, ſi quid in Theologicis vel naturalibus rectius novi, id ex Virginis admirandæ principiis, ejus ore aut libris à me " perceptum vel deductum eſſe, meque inde " mentis lumina & aptitudinem, quorum " ad omnia uſus extendatur, hauſiſſe; ſine " quibus adhuc implicarer tenebris exitialibus, corde cœcus, rationique corruptæ " adeo mancipatus, ut me non naſci ſatius " fuiſſet. Sinceras mentes, quæ ad divina " hæc ſcripta accedent humiles, deprehenſuras, quam vivide ea rectam Dei ejuſque " potentiæ, ſapientiæ, bonitatis, juſtitiæ, " libertatis, myſteriorumque Redemptionis " noſtræ adorandorum cognitionem imprimant mentibus; quam profundè corruptionis humanæ immenſitatem detegant;

(a) D. Kortholt.

"quam tranquillum & tutum reddant animum circa ea quæ in Religionibus quibuſvis diſputantur; quam univerſaliter controverſiis finem imponant; hæreſibus omnibus interitum procurent; & verò excitent, percutiant, penetrent nec quieſcere ſinant cor noſtrum donec dedatur Deo, ejusque divinæ uni voluntati tradatur ab omnibus rebus evanidis disjunctum, ſoli neceſſario adhærens, partibus nullis vitioſe addictum, pacificum, humile, contentum; atque, ut verbo dicam, deprehendent probi lectores ſibi per ea ſatisfieri de omnibus quæ quidem circa theoriam & praxim, externam & internam vitæ inſtitutionem erga Deum, erga ſe, erga alios, probos juxta atque improbos, moveri & deſiderari poſſent: idque fieri non obſcuris quibuſdam modis; ſed cum incredibili quadam accommodatione & facilitate nulli comparanda, quam etiam vel infantuli bonæ voluntatis capiant in rebus alioqui arduis & ſublimibus; cumque tanta evidentia atque claritate indubia, nec non ea ſcopi, ſolum amorem Dei ſpirantis, ſolam peccati deſtructionem intendentis puritate; ut non capiam ſane quî fieri queat, aliquos coram Deo & in ſinu non eſſe improbos, & ſimul tamen opera adeo divina damnare aut contemnere poſſe, ſi modo ea legerint, aut eorum ſaltem præcipua, veluti *Lucem Mundi*, v.g. aut *Lucem in tenebris*, aut *Anti-Chriſtum detectum*, aut *tractatum de Solida Virtute*, aut *Renovationem Spiritus Evangelici*, aut *Lapidem Lydium*,

dium, (qui tres ultimi Latine exſtant, cæteri Gallice, Germanice & Belgicè.) Nec ego ſolus hæc ſentio. Sunt & fuerunt plures, iique non contemnendi judicii, qui in eadem mecum mente concordant. Nec ignorat, credo, Janus Philadelphus Medicus, Doctorem Swammerdammium, Medicum celeberrimum, in Anatomicis inventis nemini ſecundum, diviſſæ Antoniæ eruditionis admiratione & æſtimatione eouſque captum fuiſſe, ut ejus commendandæ gratia integros libros, veluti *Ephemeri vitam* publicaverit, proprioſque Antoniæ quoſdam (librum videlicet de *Solida Virtute*, quem celebris alius Latino ſermone publicavit) Belgice ediderit. Is Dn. Swammerdammius poſtquam Virginem per aliquot menſes viſitaſſet & examinaſſet, dicere ſolebat, ſe duo hæc apud illam didiciſſe: primum quidem eam à Spiritu Dei doceri & regi; alterum vero ſe, præ illa & ſcientia & virtute deſtitutum eſſe. Fuiſſe autem ſagaciſſimum ſcrutatorem eorum quæ ipſe inquirebat, ſciunt quotquot ex converſatione vel operibus illum norunt: neque deſtitit ad mortem uſque Virginis ſcripta quovis auro habere cariora. Quæ omnia refero ut Jani contemtum ſaltem ad æquilibrium redigam, per teſtimonia ſuo non minus ponderoſa: quibus alia quam plurima ſuperaddere poſſem Virorum undiquaque præſtantiſſimorum, quos non tantum non pudet dona Dei in Virgine agnoſcere & venerari; ſed qui & ipſa publicare ſponte ſua geſtiunt. Celeberrimus Menagius, in omni genere literaturæ verſatiſſimus, *Antoniam Burignoniam Theologam* inter illuſtres eruditi-

ditione fœminas atque Principiſſas honorifice nominat & locat in libro quodam Italico (a) quem una cum hiſtoria mulierum Philoſopharum haud ita diu Lugduni evulgavit. Id quoque inter alia apparet ex illuſtris Juriſconſulti D. Mackenzei, apud Scotos Advocati Regii, dum hæc ſcriberem fatis functi, & monumentis literariis (b) clari, libello *de humanæ ratiocinationis imbecillitate*, ab extremis Europæ terris, Scotia, nuper huc transmiſſo, & ab humaniſſimo celeberrimoque D. Grævio Ultrajecti publicæ luci dato: in quo libro clariſſimus Auctor, poſtquam de rationis nævis & imbecillitate diſſeruiſſet, oſtendiſſetque multis, verum ejus uſum veramque efficaciam in hoc eſſe, ut ad ſuperna & æterna, cæteris contemtis nos remittat; pro concluſione omnium veluti vim in uno Virginis Antoniæ, etiam adhuc infantis, exemplo comprehenſurus, hac peroratione claudit: *Tanta eſt ratiocinationis hujus efficacia, ut etiam in ætatis diluculo infantes illuſtrare, adultiſque ad ſubtilia ineptis perſuadere valeat. Cujus exemplum paucis abhinc annis nobis tulit Flandria, in virguncula infante, ſeptimum ætatis annum nondum egreſſa,* (Antoniam indigitat) *quæ cum vitam hanc ſpatio brevem, & curriculo miſeram ſatis cerneret, mortales tantopere eâ capi obſtupuit. Et cum Jeſum Chriſtum vitam immortalem ſuis acquiſiviſſe audiviſſet, enixe & continuo parentes rogavit ut ſe in Chriſtianorum regiones ducerent. Cum autem ipſi Chriſtum in Flandria coli reſponderent, hoc incredibile exclamavit: Chriſtum enim pauperta-*

(a) Lezzione ſopra'l Sonetto VII. di M. Fr. Petrarca.

(b) Vid. de eo Nouvell. de la Rep. des lettres an. 1685. menſ. Jun. artic. 8.

tem

tem laudaſſe, illis autem nummos numen eſſe; illum dignitates ſpreviſſe, iſtos autem has ambire, flendo arguebat. Et

——— quis talia fando
Temperet a lachrymis?

Sit ergo in votis meis primum, ratione recte uti. Sit ratio hæc a cœlo, unde eſt profecta, irradiata; nec a cœca turba ducta. Termineiur mea ſuperbia contemtu mundi, & mea ſeveritas in me ſolum ſe exerceat. Nullus ſit mihi niſi in cœlo theſaurus; nec cupiat animus ea quæ ſunt a ſana ratione aliena! Hæc ſi *Deſultoriæ Conſultationis* Auctor imitatus fuiſſet, tunc ſe & verum *Janum*, qui poſteriora ſeu temporalia, & anteriora ſive æterna recto videat oculo, & verum *Philadelphum*, qui ex charitate malum non cogitet & gaudeat de veritate, comprobaſſet: & vero diſceret, divina non *deſultorio*, ſed ſedatiſſimo deinceps animo tractare:, quod ipſi animitus opto in illo, quem magis a ſe edendum promittere, quam ab alio dudum editum indicare videtur, tractatu de *Religione Medici*.

V

Quamvis ex omnium partium cordatioribus nemo hactenus ſcripta mea ſuſceperit modis legitimis impugnanda, non defuere tamen, ut jam viſum, e præcipuis Sectis, etiam inter Philoſophos, animoſiores fumoſoque zelo partibus ſuis pertinacius dediti, qui ea ſiniſtris oculis inſpexerint, nec non eadem cupiverint aggredi: quod aperte non auſi, indirecte tamen narratiunculas, hiſtorica fide & veritate ne quidem præditas, eis ſatis fuit

promulgaſſe, & vel ridicula, vel calumnioſa pro meis haberi voluiſſe, inter quæ Pelagianiſmum cum Socinianiſmo poſuerant in Relatione ſua Lipſienſes. Verum ut ſimul conſtaret, & me ab ejuſmodi criminatione eſſe, ſi quis alius, innocentiſſimum, & ne ex famoſioribus Sectis deeſſet aliquis iniquior cui ſcriptorum meorum ſolidæ veritates diſplicerent; oportuit & hujus Sectæ vel membrum vel fautorem aliquem exſiſtere, cui ſcripta mea eſſent ideo invìſa quod principiis Socinianiſmi & Pelagianiſmi maxime opponerentur, quique hac de cauſa, methodo adverſariis meis uſitata, hoc eſt, relationibus falſis & ridiculis ea perſequeretur. Is autem cui viſum fuit eas partes ſuſcipere, *Bibliothecæ Univerſalis*, Gallici libri, viginti vel neſcio quot voluminibus conſtantis, Auctor eſt, hoc & aliis ſcriptis eo nomine notiſſimus, quod non tantum univerſaliter in quoſvis virgulam ſtringat cenſoriam; ſed & maxime quod in libris ſuis Pelagianiſmum & Socinianiſmum omni arte defendere & propugnare allaboret, nec non & ex ſanctioribus purioris Chriſtianiſmi Patribus, quotquot principiis quibus favet, adverſantur, omnium ludibrio & deriſioni per artes quaſdam ſuas exponere audeat. Etſi autem iſtiuſmodi hominum ſtylo ea de cauſa cum maximis & ſanctiſſimis quibuſque impeti, ſit argumentum laudis: quoniam tamen illi hanc cauſam coram aliis diſſimulant; alias falſas atque ineptas fingunt; moniti non deſueſcunt; & præterea latentes indirecte, inexſpectato & ubi lubet quos volunt, ſic adoriuntur,

tur, ut quivis malit aperto marte impugnari, quam artibus ita doloſis & tectis invadi, quippe quæ ſincerioribus ſub ſpecie quadam pacis, moderationis, ſinceritatis, veritatiſque, falſa & mala perſuadent in veritatis ſolidæ detrimentum: ſatius videtur eorum inimica artificia vel ſaltem ſemel in apertum protrahi. Quod ego jam opportune de iſto omnium univerſali meoque Cenſore crediderim eſſe mihi faciendum, atque ita quidem, ut ab illo diſcernam & ſeparem eos quibuſcum nulla mihi intercedit contentio, ejus nempe in libro componendo tum Socium olim, qui ad hunc articulum (de quo agetur) nil conferre voluit; tum Continuatorem qui non potuit, quippe a vigeſimo demum tomo continuationem aggreſſus, quique præterea ſit animi ad talia ſincerioris. Cum autem orbi ſit notiſſimum, quinam ex libris Anonymis noſtro tanquam Auctori aut editori tribuantur, fruſtra de reticendis quæ nemini non nota ſunt, eſſemus hîc ſolliciti. Cæterum Epiſtolam, ne longior aut confuſior viſa tædio ſit lectori, diſtinxi in Sectiones novem, in quarum ſingulis hæc præcipua ſpectari poterant.

In *prima*, cauſæ & materia Epiſtolæ in genere.

In *ſecunda*, Dominum Clericum non ideo ullis aut mihi poſtponi, quod nonnulli ejus recenſendi ſint defectus, & incipiant recenſeri.

In *tertia*, generaliora quædam, in ſcriptis D. Cl. conſideranda, interſerto inſigni aliquo errato.

In *quarta*, Generaliora ſphalmata Domini Cl. in relatione ſua de Oeconomia mea Divina.

In *quinta*, Specialiora ſphalmata ejuſdem in eadem de Oeconomia Divina relatione.

In *ſexta*, de articulo quodam Præfationis Tomi V. Bibliothecæ Univerſalis, & de convicio quodam in Tomo ſequenti.

In *ſeptima*, quantum fidei Domini Cl. relationibus de aliorum libris ſit habendum, aliquot exemplis oſtenditur.

In *octava*, de ejus in ſanctiores Eccleſiæ Patres, præſertim in S. Auguſtinum invectivarum perpetuarum cauſis, fide & æquitate, nec non de ejuſdem irriſorio genio agitur.

In *nona* denique, plura eſſe in ejus ſcriptis & propoſitis irridenda & carpenda, quam quæ in aliis ipſe irriſit & carpſit; ſed optandum alia & Chriſtianis magis digna methodo dedoceri errores.

AUCTORI BIBLIOTHECÆ UNIVERSALIS

Critico Singulari

PETRUS POIRET

S. D.

§. 1.

(De cauſis & materia hujus Epiſtolæ.)

DOMINE,

INtempeſtiva dubio procul videbitur tibi hæcce mea ad te epiſtola de negotio ob quod vel nunquam, vel alioqui jamdudum interpellandus eras. Diſces hinc primo, me ea, quæ contra me verbis aut ſcriptis paſſim expromere haud veritus es, & neglexiſſe hactenus, & neglecturum quoque poſthac fuiſſe, niſi forte nunc quicquam prælo commiſiſſem ſimillimi argumenti cum eis, quæ mihi tecum interceſſerant; quando tu quidem in *Bibliothecæ* tuæ *Univerſalis Tomo V.* de Oeconomiæ meæ Divinæ tractatibus relationem inſtituiſti; ego vero ei relationi, revera in non paucis fallaci, oppoſui relationem aliam in *Novellis Reip. literariæ* anni 1687 menſibus Junio & Julio publicatam. Illius namque occaſione argumenti, quod modo præceſſit, circa ſenſus quoſdam a meis alienos mihi a

pluribus perperam attributos rediit in memoriam, veluti exemplum eorum de quibus tractabam, tua mecum agendi ratio: quam cum non tantum in libri tui editione prima publicam feceris; ſed eandem, etſi relatione mea aliter ſumma cum moderatione monitus, & deinceps renovas verbis ſimulac de me loquendi tibi naſcitur occaſio; imo in libro tuo aliquoties denuo repetere auſus es, tum aliis in locis, tum ubi accidit tua ſine emendatione eorum quæ me concernunt, de novo recudi: propterea non ægre feres ſi, ad impediendum ne in poſterum alii per te credant cogitata & ſcripta mea eſſe alia quam revera ſunt, ea tibi hic coram propoſuero, quæ ad hoc efficiendum idonea mihi videntur. Et certe alii, ſine exceptione, omnes, (quia hîc non quæretur an meæ opiniones tuis veriores ſint nec ne, ſed tantum quænam ex ſint,) facilius credent, mea cogitata, meorumque verborum ſenſa mihi magis quam tibi perſpecta eſſe: Tu vero, ſi exactioris Critici officio fungi cupis, quandoquidem de meis referre & judicare tibi viſum fuit, gratulaberis tibi de modis tua circa hæc judicia emendandi: tametſi vereor ne ob materiæ, quæ in tuis & meis ſcriptis occurrit, oppoſitionem fere omnimodam, mea tuo ſic adverſa ſint animo, ut quamvis eorum conſcius, ipſa nihilominus aliis perpetuo diſſimulaturus ſis, abſurdaque eorum loco cum ſarcaſmis conſuetis illuſorie mihi imputaturus. Hoc ipſum ſane jam feciſti, & licet monitus, tamen iterare non dubitaſti: an ex animi

animi malitia, vel ex timore, ne, ſcripta mea te ſincerius indicante, legentes a ſenſis tuis, quorum fundamenta ibi convelluntur & contraria commonſtrantur, recederent; an vero ex ignorantia, eaque pertinaciori quam ut iis quæ tuæ relationi repoſueram, vinci potuerit, id judicandum Deo, tibi, aliiſque committo. Attamen quoniam meliora de te tuique animi ſtatu opto, hoc ultimum potius credam; ad quod proinde removendum efficacius quam prius a me factum eſt, referenda hîc erunt nonnulla, prius a me prætetita, tibi forte futura minus grata, neceſſaria tamen ut veritati ſua conſtet apud quoſvis incolumitas. Ea veras animi tui in me infenſi cauſas internas externaſque complectentur. Quæ quidem omnia parum intereſſet publicum reſcire, ſi perſonas tantum reſpicerent: verùm ex quo in ſinceritate cordis ea ſcriptis conſignavi, quæ ſi faceremus, omnes, inde & eruditiores & meliores, & Deo beatitudinique propinquiores, nec non in tempore & æternitate perfectiores nos futuros, nemini ſit dubitandum; jam non mea, ſed gloriæ Dei, utilitatiſque communis & veritatis fructuoſæ cauſa exigit, ut & *veritati* ſatisfaciam, reſtituendo eam qualis eſt; & *juſtitiæ*, monendo alios, ne ſi falli nolint, diſtortis illuſoriisque tuis teſtimoniis habeant fidem; & *charitati*, pro emendatione tuâ argumenta ſufficientia proferendo. Quæ omnia quidem ita proponere conabor, ut quoniam non quæ ad me ſolum, ſed quæ & ad alios & ad ipſamet Chriſtianiſmi fundamenta pertinent, ſæpius

elenchis tuis & dogmatibus oppoſitis ſoles concutere; ex dicendis poſſit iis iri obviam quæ & objicis plurimis & male diſſeminare tentas. Hoc ut tibi æque ac aliis omnibus proficuum ſit, Deum ex animo comprecor.

Chriſti Servatoris verbum eſt, *eos qui opera mala patrant, lucem odiſſe, neque ad eam accedere, ne opera ſua mala pateſiant*: quod etiam de iis dicendum, qui errores malos fovent & communicant; eos nempe veritatem odiſſe, neque ad eam accedere, quin & alios ab eadem arcere velle, ne errata ſua mala manifeſtentur. Quibus docemur, eos qui veritatem relationibus falſis, calumniis, aut externis quibuſdam modis impugnant, non ex cauſis quas ipſi prætexunt, ſed ex odio ejus occulto id facere; odium autem illud provenire ex tenebrarum & errorum amore: qui quidem non uni, ſed omnibus hominibus ex nativitate corrupta ineſt; ſi quidem omnis homo naturaliter ſe ipſum & amet impenſe & magni æſtimet; tenebræ autem & error faveant ſuperbiæ iſti & amori proprio, quibus veritas (homines nihili & turpitudinis ſuæ convincens) eſt infenſa & exitium accelerat. Unde ſequitur primò, omnem hominem ex origine ſua corrupta & ad amorem tenebrarum errorumque, & ad veritatis odium eſſe propenſum: hinc ejus elogium in Scriptura, *Omnis homo mendax*: ſecundò, eum non poſſe inde liberari, niſi ab alio principio quam a ſe corrupto impellatur intus a tenebris ad lucem, & verò ipſe naturales grataſque propenſiones, quas ad errorem & tenebras habet,

ſpon-

ſponte impugnet, ut amaræ veritati, eum prius humilianti & conterenti, ſeſe, ut ut repugnante ſenſu, animitus tradat: tertiò, non poſſe eundem per externa ab erroris mala via revocari, niſi ad erroris & tenebrarum internum fontem conſiderandum revocetur, quem ut melius noſcat, nec ſibi diſſimulet, ejus rivuli externi, quibus vel falſa diſſeminata ſunt vel vera impugnata, ei poterunt oſtendi. Hac tertia via erga te nunc agam, quando poſtea quibus ad errorum fontes poteris revocari, rivulos tangam, tum eos quibus errores diſſeminaſti; tum alios, quibus veritates, & obiter quoque aliorum ſcripta impugnaſti: ubi & exempla ex aliis & ex me deſumam atque eorundem genium explorare annitar, nec non quædam de odio tuo Myſtico, amore Critico, methodoque irriſoria vel interſeram vel in concluſionem reſervabo. Alteram autem quam modo enarravi, viam, Deo, & tibi (libertate tua ad placitum uſuro,) relinquam.

§. 2.

Dn. Clericum non ideo ullis nec mihi poſtponi, quod ejus defectus nonnulli recenſendi ſint & incipiant recenſeri.

Sed ne tibi aſperior videatur meus procedendi modus, adhibebo & priorem viam, qua non tu ſolus, ſed & omnes iiſdem internis malis ex ortu pariter impliciti apparemus: unde cognoſces te nec ulli per me poſtponi,

& multo minus odio cujuſcunque exponi; cum omnes ex nobis æque perditi ſimus; & ille omnium ſit perditiſſimus, qui vel omnium ultimo (quem putaret talem) vellet aut faceret male, vel eidem inſultaret, ipſe ſe interim ſtare credens, qui non niſi per gratiam Dei erigi potuit, & verò a Deo, ob malevolentiam in proximum, vel ad momentum deſertus, inferiora petet inferni, dum interim Deus illum qui hactenus in malo & tenebris jacuit, inde eripere poteſt, & luce donatum in egregium mirabilis ſuæ gloriæ inſtrumentum convertere. Quod tibi ut eveniat, animitus, Deo teſte, optavi ſæpius & opto, ut quas ingenii dotes accepiſti naturales nec paucas, eæ in manu & regimine Dei opus ejus divinum perficere poſſint. Nec dubito quin, ut te in naturalibus donis mihi præpollere autumo, ſic in eis quæ gratiæ ſunt & divinioris veritatis me infinitis paraſangis fuiſſes cautior, melior & fidelior, ſi eas gratiæ & veritatis adipiſcendæ occaſiones nactus eſſes, quas indigno mihi & in Deum fere perpetuo rebelli, obtulit præ multis, neſcio quare, immenſa Dei benignitas. Quapropter non prius ea dicam quibus errorum tuorum fontes & rivos aliquo modo agnoſcas, quam in me eas malorum origines, tuis non minores, agnovero.

Namque & ego, perinde atque tu & cæteri omnes, in fundo amoris proprii & ſuperbiæ natus ſum & crevi. Et cum accidiſſet ut eruditioni operam deberem navare, ego & qui mecum eruditionis aut promotores

tóres aut condiſcipuli, loco doctrinæ ſanctæ; qua nobis viles & odibiles, tanquam creaturæ quæ ex ſe nihil, impotentes, rebelles ingrataque in Creatorem eſſent, nobis appareremus, ut inde ad Sapientiam corruptiſſimi operis reformatricem diſceremus recurrere; horum, inquam, loco, operam vaniſſimis quiſquiliis ſic dabamus, ut inde ſuperbia & amor proprius ingenitus creſcerent & nutrirentur: etenim propter hæc laudabamur ab iis quos tanquam valoris rerum arbitros æquiſſimos habebamus; qui cum idcirco gratum nobis animum teſtarentur, viderемque me propterea etiam aliis gratum eſſe, quæcunque idealiter ſtudiis acquirebam, ea tanquam ornamenta veſteſque decoras ſuperbi amoris mei proprii, imo tanquam vitam intuebar; unde iis eo ardore, eaque pertinacia adhærebam, ut non modo ea ab aliis impugnari nollem, ſed & quæcunque vel iſtis oppoſita, vel ab iiſdem diverſa erant, ipſe voluiſſem delere funditus; & cùm non poſſem, ſaltem irriſionibus efficere, ut aliis eadem contemnentibus, ipſa per ſe caderent. Atque ut ſuperbia mea de ſolido fundamento ſibi congratulari poſſet, exactiora literarum humaniorum, linguarum & critices ſtudia, quæ cortices, bullas & ſpumam eſſe jam videbam, non ob rei veritatem, ſed ob animi faſtum aſpernabar, ut ſolidiora, Dei videlicet opera, tum corporea & phyſica, tum ſpiritualia & metaphyſica, ipſa etiam ſupernaturalia & Theologica, amplecterer: ex quorum acquiſita co-

gnitione

gnitione judicarem, meum & aliorum de eruditione mea teſtimonium, caſſo non inniti fundamento. Sed quia Deus reſiſtit ſuperbis, hinc multas chimæras ideis meis ſterilibus, concupiſcentiaſque meas infirmare non valentibus, admiſcebam & coacervabam, rationiſque corruptæ idolo tantum non ut Deo adhærebam; unde in omnem & vanitatem & hæreſin potuiſſem labi, niſi obſtitiſſet cura benigna Optimi Maximi, *qui vult omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* Hic tollebat mihi occaſiones & phyſicorum experimentorum mihi alias exoptatiſſimorum, & lectionis multæ, quæ jam mihi in pernicioſo quodam Curcellæi libro legendo circa corruptionis nativæ negationem incipiebat eſſe damnoſa, & verò ſanctiora Kempiſii, Theologiæ Germanicæ, Taulerique ſcripta ſubminiſtrabat; tum a primis annis divini timoris aliquantulum intus inſtillaverat, ſervabatque, quo tangebar antè & citra omnem ratiocinationis actum, ita ut corruptæ rationis meæ impetus eo refrænaretur, & ſincere optarem omnia quæ haberem divinæ gloriæ inſervire poſſe: quod bonæ voluntatis deſideriolum (gratiæ ejus donum) ſequebatur nonnulla, ſed rudiſſima cognitio corruptionis, in qua mundus atque Chriſtianiſmus hodiernus jacent ſepulti. Obſervabam, haud debite commendari animæ purificationem in Theologia, neque eam inniti ſatis fundamento amoris Dei & proximi. Inde diſplicere incipiebant Sectarum ſchiſmata & rixæ: cumque omnia in concordiam redire optarem,
quæ-

quæcunque in diverſis Sectis diſſona erant ab illis in quibus fueram educatus, conabar in optimam partem interpretari, & in unum, quoad fieri poterat, concordiæ gratia reducere, ne excepta quidem Socinianorum ſecta, quam ad veritatem & unitatem facile revocari poſſe putabam unius atque alterius principii ope, veluti eſt, 1. Deum, & quæ in Deo ſunt, eſſe humanæ menti incomprehenſibilia; quæque de eo capiuntur, ſic imperfecte comprehendi, ut infinities plura adhuc in Deo ſuperſint. 2. In Deo eſſe primò quidem ejus naturam directe cogitantem, deinde cogitationis ejus luminoſam ideam atque repræſentationem ſive formam; & tertiò acquieſcentiam lætam Dei in ea. 3. Trinitatem in Deo toties laudatam hæc tria eſſe; & præterea in eadem ſupereſſe infinita captum noſtrum exſuperantia. 4. In Chriſto eſſe humanitatem quidem mente & corpore conſtantem, quæ Deus certe non eſt; ſed & eidem Divinitatem modo ſtrictiore quàm ulli unquam creaturæ adeſſe, quam unionem omni alia cogitabili arctiorem, ne re conceſſa de nomine contendatur, perſonalem nominare non recuſaverint, ob quam humanitas, & Divinitas in Chriſto una perſona dicantur, in qua perſona ſuperſint (ex principio primo) etiam infinita, quæ humanam mentem ſuperant, agnoſcenda. Hæc bene deducta ſufficere putabam Socinianis per Chriſtianum amorem redigendis in fidei unitatem: ſed mali origo, Pelagianiſmus, latebat me. Hic enim unus eſt omnium Socinia-

cinianiſmi errorum maxime capitalis & exitioſus, Pelagianiſmus, ſive propriæ, intimæ univerſæque corruptionis ſuæ negatio; nec non neceſſariæ gratiæ divinæ, omnia intus & extus purificantis, illuminantis & reſtaurantis, ſublatio : ſine quo errore ſi ipſi ad Deum, humili animo opem lumenque ſibi omnino ad intima uſque corruptis implorantes, recurrerent, eorum cæteri de SS. Trinitate Chriſtique perſona errores facile paulatim diſſiparentur divina luce atque opera. At vero qui ſe nec corruptos uti ſunt, agnoſcere volunt, nec opitulatione Dei interna pro omnibus facultatibus ſuis egere, quin potius rationi viribusque ſuis in divinis rebus perſcrutandis confidunt, eos etſi prius orthodoxi in cæteris fuiſſent, neceſſe eſt in omnis generis exitiales hæreſes ruere, & quandoque tandem in Atheiſmum dari præcipites, adeoûſque perniciosa eſt una hæc inter omnes hæreſis capitalis, qua ſine omnes cæteræ collabuntur; qua verò poſita univerſæ inde profluunt. Et fateor me ideo quòd corruptæ rationi nimis adhærerem, ab eo veneni fonte non fuiſſe valde remotum, etſi id neſcirem diſtinctius. Quicquid ſit, modis hactenus dictis inſtructus videbar mihi multis non deterior, ne dicam iis melior, veritati magis amicus, a ſuperbia & amore proprio defæcatior, etſi nunquam carebam ſtimulo tacite me dejiciente & obſcurius condemnante, quando per medium tibi multiſque aliis ludibrio habendum, (Virguncula ipſa erat, quam in tua relatione non honoris ſed irriſionis

nis gratia characteribus majuſculis indigitaſti) Deo viſum eſt mihi primò quidem generalius meam omniumque univerſalem corruptionem, tenebras, errores, vanitates, plurimis luminoſis veritatibus oſtendere, quæ quidem àpprobante judicio non poteram non amplecti: deinde vero ſpecialius ſuperbiam meam amoremque proprium meum, (quæ in me valde minuta ex cœcitate putabam,) vividiſſime ad intima uſque ſauciare. Et ecce tunc in fundo meo exurgere advertebam repugnantiam adverſus divinam veritatem me carpentem, ut & frigiditatem, indifferentiam, fugam, odiique adverſus eam, nec non contemtus, & forte irriſionis etiam principia & motus. Tum verò obſtupui & horrui; meque ipſo (qui talium affectuum ac motuum adverſus id quod veritatem divinam ſciebam eſſe, prius incapacem exiſtimaveram) aliquantum ſollicitius inſpecto, expandi in magno angore animam meam coram Domino, exponens & confitens ei miſerias meas, atque diabolicas fundi mei, hactenus mihi ea in re incogniti, diſpoſitiones & malitias, eumque deprecans ut vel eas in me occideret; vel, ſi mala mea eſſent inſanabilia, ipſe me potius morti traderet quam ut pateretur infernales iſtiuſmodi radices fructus ſuos adverſus veritatem in gratiam meæ ſuperbiæ & amoris proprii proferre: ſatius enim eſſe me tunc unum perire, & ſolum damnari, quam ſupereſſe & inſtrumentum fieri hoſtile diminutionis glorioſæ ejus veritatis, nec non forte damnationis plurium aliorum. Atque ab eo tempore affulſit ſpes,

ſpes, Dominum in bonam partem exaudiviſſe vocem deprecationum mearum: namque inde Veritatem ſuperbiæ meæ amorique proprio, nec non ornamentis & fulcris imaginariæ vanæque eruditionis, judiciorum & idearum coacervationi, ac diſpoſitionibus propenſionibuſque aliis adverſantem cœpi purius noſcere & diligere; tum optare & precari ut ictibus ſuis potentius interiora mea percuteret, donec inde omnis planta quam non plantavit Pater cœleſtis tandem eradicaretur; ſimul tum decrevi veritatem eandem aliis pro virili commendare quocunque calumniarum, oppoſitionum, irriſionumque genere ſuperbus meus amor proprius (in ſuam utique qua opus habet diminutionem meumque adeo bonum) ab hominibus impetatur, modo tantum non deſit mihi ſperata Dei gratia; ſiquidem ex eventu modò dicto, didici de me deque meâ erga veritatem fidelitate non amplius ſpondere: favere intime veritati, donum eſſe gratiæ Dei: in interioribus noſtris latere principia inimicitiæ adverſus Deum, & odii contra veritatem & præterea eos qui contra veritatem odio feruntur, non omnes id facere ſcientes, præmeditantes, ex malitia animi præparata; ſed interdum ex fundo illo nativo ſuperbiæ & amoris proprii, cœcitati noſtræ occulto, in quem totum genus humanum eſt collapſum: proinde Chriſtiana commiſeratione potius quam odio excipiendum. Quæ omnia aliquanto prolixius tibi, Domine, in lenimentum futuræ redargutionis & in auxilium

lium emendationis profero, ex quibus forte plusquam è multis contentionum aut confutationum chartis proficere poſſit quiſquis irriſorio Iſmaelis ſpiritu excluſo, in ſe ipſum deſcendere volet ſimili methodo ſeſe excuſſurus.

Quod ipſum ſi tentare lubeat, tuum erit Domine, in te inſpicere, annon, quamvis in ſuperbiæ & amoris proprii elemento natum te ex communi corruptionis nativæ cœcitate (Pelagianiſmi erroribus aſcitis obfirmata) haud bene agnoſcas, annon tamen huic morbo originario teſtimonia dent primi tui, quantum memor es, anni? Annon ex tui exiſtimatione & amore proprio omnia primitus feceris & judicaveris? Annon his ſtimulis in eruditione tui fueris educatus, iiſque ſæpius gratiſſime affectus? Annon ut commendabilior tibi appareres, tuiſque ſeu parentibus ſeu inſtitutoribus gratior, ea quæ ipſi æſtimavere magni, (qualia ex editis à te, video eſſe humanarum literarum, linguarum, criticesque minutias,) ſtudioſe tibi comparaveris, iiſque ex more ſeculi, vulgaria philoſophemata, Theologiamque qualis in tuis libris apparet, addideris, quibus veluti ornamentis indutus, jam te tibi aliiſque gratiorem eſſe vehementer ſis gaviſus? Iſta quando rectè animadverteris, tunc ſcias hæc eſſe in te (uti in cæteris) fontem & originem omnium tenebrarum errorumque, & principia unde impellitur animus tum ad falſa & vana propalanda, tum ad contemtum veritatum vanis idoli noſtri ornamentis adverſantium, tum etiam ad calumniam & irriſionem.

nem eorum, qui veritatem proferentes, falſa & vana quibus ſuperbus amor proprius ſibi aliisque commendabilis videtur, nihil eſſe demonſtrant. Atque tuum erit inde perpendere, annon niſi tunc Deum exores, ut potenter vividis gratiæ ſuæ ictibus amorem ſuperbum cum ſuis phaleris percutiat, niſique eos ictus, etſi amaros hominemque in ruborem dantes, cum tui abnegatione & crucifixione ſenſûs tibi grati, & æſtimationis propriæ, humillimè excipere ſis paratus; non modo non ſis ſanandus in æternum, ſed ne quidem unquam veritatem pure ſis amaturus, ne dicam poſſeſſurus: tunc enim amabis tantum eam non ob ſe ipſam, ſed quatenus amorem proprium & ſuperbum ornare videbitur; unde ſequetur non eam, ſed te, a te diligi; neque veritatem, ſed vanum & falſum ejus ſimulacrum tantum haberi; ſiquidem veritas non poſſit ſubſiſtere cum vanitate, falſitate, fumo & mendacio, quibus omnis ſuperbia abſolvitur. Et in genere non tantùm non poteſt veritas, ſed nec ulla virtus verè poſſideri, antequam quis per amaram contra ſe pugnam & ſui diſplicentiam, amorem proprium & animi ſuperbiam, (quæ & in ipſis virtutibus tectum ſibi nidum condere vellent,) debellaverit, & tandem deviceric; quæ utinam omnibus & cordi eſſent, & in Ethices ſuæ principiis de acquirenda virtute, fundamenti inſtar ſubſternerentur!

Porro nolim dubitare quin Benigniſſimus Deus omnes homines ſalvos & veritate imbutos volens, ex adverſa parte tibi bonos motus non paucos etiam inſpiraverit, quibus

&

& amoris & gloriæ ejus,& proximorum dilectionis atque concordiæ deſideria in te excitaverit, quorum in ſcriptis tuis comparent veſtigia, quando omnia inter Chriſtianos moderatiora & concordantiora peroptas, &, ut huc redeant, in meliorem partem trahis ea in quibus diſſentiunt. Equidem ex amore proprio ſolent ſeſe gloriæ Dei, concordiæ paciſque prætextu velare qui inviſos publicant errores. At nolim te ex ejuſmodi mera corruptione exiſtimare agentem, tametſi illa è pravo fundo, modo indicato, non ſemel appareat immiſta erratis non paucis, quæ tum in dogmaticis tum in elenchticis tuis interſeruntur.

§. 3.

De Generalioribus in ſcriptis Dn. Cl. conſiderandis, & ſophiſmate quodam periculoſo.

Quacunque argumentorum, hic non dicendorum, certitudine apud me perſuaſus ſim, te plurium, de quibus mentio fiet, librorum auctorem eſſe; non idcirco eos nominabo *tuos*; ſed vel ideo quod à te palam agnoſcantur, uti *Bibliotheca univerſalis*, nec non *Sentimens ſur l'hiſtoire Critique du Pere Simon*, qui liber in P. Simonis reſponſione tibi nominato centies ſic tribuitur, ut ejus Defenſionis (*Defenſe des ſentimens*) auctor id ſibi dictum agnoſcat, ſeque ut qui is ſit, defendat: vel etiam *tuos* dicam, quia publicâ voce (quam mendacii arguere nolim) tui dicuntur, veluti *Entretiens ſur diverſes matieres de Theologie*, quoad partem alteram; item & *Liberii de S. Amore Epiſtolæ Theologicæ*, quorum principia principiis ali-

orum

orum tuorum ſcriptorum non modo ſunt conformia, in iiſque interdum laudata vel defenſa, veluti *Entretiens* in Biblioth. Tom. V; ſed & quod publicè tibi attributi cum eſſent (uti *Epiſtolæ Liberii* à P. Simone) nil (a) auſus es hic inficiari: niſi ipſe illos forte impoſterum cum opinionibus contentis revoces & rejicias: quod ut cum gaudio viſuri eſſemus, nec tibi amplius eos aſſerturi; ſic quia id adhuc infectum eſt, atque ut tibi hinc purgandi occaſio naſci poſſit, tam publicè tibi aſſertos, quàm quos ipſe agnoſcis, pariter tuos hactenus ſinemus eſſe. Qui ergo tuos libros modo dictos legerunt, annotare poterunt, te ſtyli quidem puritati ſummam dare operam, ne vocis vel periodi aſperitate delicatulus lector offenſus, amori proprio laudeculam elegantiæ recuſet ſcriptoris: At utinam pura & ſolida materia æque tibi curæ fuiſſet! In dogmaticis namque tuis ſic deſunt veritates ſolidæ & ſubſtantiales, ut non inſint niſi vel vanæ de critica minutiæ & de corticibus rerum obſervatiunculæ, vel errores ſummè, ut puto, noxii, dum (in Liberio præcipuè) Socinianiſmi principia, (quædam & pejora) cum ſuis argumentis, exceptionibus, Scripturarum depravationibus, nec non & Methodo has explicandi ex grammatica & critica profaniſque auctoribus, negata ad hoc & ad virtutes acquirendas Spiritus S. interna operatione ſic proponuntur, ut hinc videatur ad ſalutem perinde eſſe, an quis ſit Socinianus vel ſecus. In elenchticis verò tuis quivis obſervare

(a) Defenſe des ſent. p. 28.

vare poterit, te impugnare gratiam operationemque Dei internam eo uſque, ut & videaris (a) eam chimæris accenſere, & verò affirmare audeas, (b) nullum eſſe in tota Scriptura locum, ubi *gratia Dei* operationem Spiritûs S. internam in anima immediatamque ſignificet: quum tamen etſi nomenclatura a Scripturis abeſſet, ipſa res ſeu operatio Dei in animis interna, in nullo fere capite aſſerta non occurrat: imo etiam res multis vocibus ſæpius eo ſenſu (cum ipſo quoque expreſſo nomine, ἡ δύναμις ἡ ἐνεργουμένη ἐν ἡμῖν,) vel in tribus (c) Epiſtolæ ad Epheſios capitibus primis reperiatur. Porro obſervabit & unuſquiſque te rejicere ſenſum ſpiritualem Scripturarum, & cum labe originali quæcunque Pelagianiſmo & Socinianiſmo in his aliiſque quibuſdam opponuntur. Præterea te ubi quam plurima (d) de inſpirationibus Sanctorum, magis abſurda & temeraria quam cœci cujuſvis de luce & coloribus judicia velut ex alio protuliſti, multa etiam ex libris Scripturæ, Jobi, Pſalmorum, Proverbiorum, totum quoque Eccleſiaſten, totumque Canticum Salomonis veluti Spiritu S. indigna traducere: in perſonis vero impugnandis te eos aſſumere ut plurimum adverſarios qui opinionibus tuis erroneis, maxime verò Pelagianiſmo & Socinianiſmo, obluctantur; nec magis parcere recentioribus orthodoxis, quam ſanctioribus purioris Eccleſiæ Patribus, in primis S. Auguſtino, cui præ cæteris es infenſior. In modo autem quo dogmata perſonaſque impugnare ſoles, ſequentes videris tibi præſcripſiſſe

(a) Entret. p. 3: 5.
(b) Ibid. p. 345. & ſeq.
(c) Eph. 1: 6, 7, 8, 13, 17, 18, 19. cap. 2: 5, 6, 7, 8, 10, 22. Cap. 3: 7, 16, 17, 19, 20.
(d) Sentimens lett. 11, & 12.

leges: 1.° Adverſarios tuos (ſi vivunt) pungere, irritare, & ad iram ſic concitare, ut inde turbati, affectuumque nebulis involuti, & lumine & charitate magis deſtituantur; & vero tunc aliquid dicant aut agant inordinatius, unde tibi aliiſque deinde ludibrio eſſe poſſint, tuque eorum adverſus te veritatibus veluti per homines ob affectuum turbinem veri non capaces prolatis, coram omnibus fidem derogare ſpecioſe tentes. 2. Eoſdem, mortuos etiam, veluti ridiculos omnium ludibrio exponere, ut tuarum chartarum lectores, ipſos, & quæ ab iis ſunt, non dilectione, ſed contemtu & odio proſequantur. Quæ duo efficere ſoles aculeatis quibuſdam irriſionibus & ironicis ſannis, non tam in verbis ſeorſim ſingulis, quam in modo dicendi conſiſtentibus, eoque magis animum adverſarii irritantibus, lectorumque riſum concitantibus, quo mente frigidiore & veluti ſedata, quaſi aliud agendo, eas proferre videris. Atque his (quibus ſcripta tua in omni, etiam ſanctiſſima materia, abundant) tantopere delectaris, ut hoc elementum tuum eſſe videatur, tamque dexter & peritus in eis es magiſter, ut vel ipſe Momus queta eſſe tuus diſcipulus. Quoniam autem poſſibile non eſt adverſarios omnes tuos, ipſos etiam inter Sanctos venerabiliores, ludibriis iſtis juſtam præbuiſſe materiam, tu eam ſequentibus, quæ regularum tuarum numerum producunt, ſic comparas. 3. Imponis eis falſa, abſurda, contradictoria, verbis tamen vel iiſdem vel ſimilibus illis quibus uſi ſunt; ſed compoſitione, applicatione & ſenſu diſſimilli-

millimis, ut artificio altero efficias ne fides tua ſuſpecta videatur; altero verò, ut derideantur tanquam fatui, quos ita traducis. 4. Involvis ſilentio bona, ſolida, præcipua quæ habent, tibi ſæpius non intellecta, interdum nec lecta; & minutias ſuperficiarias de ſtylo, de critica deque futilitatibus quibuſdam minus obſervatis, tanquam capitalia mimico dente arrodis. 5. In ipſis bonis, quæ a te carpi nequeunt, ut tamen critica tua mordax aliquid reprehendendum habeat, ſic agis, ut, ſi adverſarii de ſubjecto, quod tractant, quædam notiora non tangant, eos arguis quod præcipua quædam & notabilia omiſerint: ſi vero eadem recenſeant, dices hæc ſuperflua eſſe, & nemini antea non nota. Si ea dicant, quæ cum receptis quadrent ſententiis, ais eadem ab aliis multoties eſſe jam dicta, eſſeque vulgaria: ſi vero quædam non ita obvia proponant, jam culpas eos quaſi videri vellent *aliter atque cæteri homines cogitare, novaque ſibi ſolis e cœlo lumina ſuppeti*: ita ut nihil omnino quocunque modo vel dici vel taceri queat, quo, hac methodo, Critices tuæ livorem non paſcas, quodque ita ſimpliciorum contemtui non exponas. 6. Ea bona, quæ vel non intelligis, vel aliquatenus tantum capis, quæque vel videri non vis directò impugnare, vel nullis rationibus potes aggredi aut refutare, quando præcipue ea ſolidiſſime opiniones tuas noxias diſtruunt; ea inquam ut tamen conficias, incruſtare ſoles nominibus & titulis ridiculis rerum, quibus in lectorum animis vel indifferentia, vel nau-

ſea, vel contemtus, vel riſus excitetur. Ita paſſim in libris tuis orthodoxia, gratia Dei vera, aliæque ſanæ doctrinæ audiunt *Scholaſticorum errores* (*abſtractiones*, *chimæræ*, *ideæ Platonicæ*, (ô quantum Pelagianis ideis anteponendæ!) *Metaphyſicæ ſubtilitates*, *myſteria myſtica*, & quæ ſimilia; ipſi etiam orthodoxi mox *Scholaſtici*, mox *Metaphyſici*, jam *Platonici*, nunc *Myſtici*: qua arte poſtquam Lectores adverſariorum tuorum deriſores, iiſque minus faventes reddere anniſus es, eoſdem tibi, veluti nugarum & chimærarum debellatori magno, fautores conaris efficere. Recenſerem adhuc & alias tuas artes, niſi ſolam Criticam tuam Elenchticam, quam in me & in alios multos exercuiſti, non autem dogmaticam & poſitivam, exponere eſſet animus. Etſi autem quæcunque modò dixi, vel ad primam fere quamlibet ſcriptorum tuorum aperturam hinc inde pateant, præcipua tamen nonnullis exemplis comprobabo, poſtquam id quod ſupra dixi, intermiſceri in libris quorum auctor haberis, nonnulla Socianianis etiam pejora prius oſtendero, atque ſpecialiores cauſas, cur in me infenſus iniqua de me meiſque publico dederis judicia, palam fecero.

(a) pag. 7. & 8. In Liberii de S. Amore Epiſt. I. docetur (*a*) Divinitatem & humanitatem in Chriſto non ita ſtricte inter ſe uniri atque duæ creaturæ inter ſe uniri poſſunt. Idque ut probetur, demonſtraturum te promittis *Duas creaturas arctius inter ſe uniri poſſe, quam creaturam cum Deo*, hoc eſt, Deum & creaturam minus inter

ter ſe uniri poſſe quam creaturas inter ſe. Quo quidem aſſerto non tantum id, unde Chriſto dignitas & gloria ſua vera emanat, e medio tollitur; ſed & in homine deſiderium & amor ejus erga Deum deprimuntur; tum verò amor atque deſiderium affectuſque ejuſdem erga creaturas, (quibus quippe magis quam Creatore frui detur) vehementer extolluntur, præferentur & incenduntur. Id enim amabilius eſt cum quo unio & fruitio major & ſtrictior fieri poteſt. Atqui non credo ullos Socinianos in extenuanda unione, quæ in Chriſto eſt, hypoſtatica, eo extremitatis unquam eſſe prolapſos, aut hæreſin ſuam ex principio in amorem Dei creaturarumque abnegationem (Religionis Chriſtianæ fundamenta) tam injurio & pernicioſo ſtabilire voluiſſe. At verò Liberius hæc non modo confidenter aſſeverat; ſed & id demonſtrat ſcilicet, idque hoc modo:

Eo arctius res uniri poſſunt, quo major inter eas eſt convenientia.

Sed major eſt convenientia inter duos ſpiritus finitos, (duaſve creaturas) *quam inter ſpiritum finitum & Deum*, [ſive inter creaturam & Deum.]

Ergo duæ creaturæ arctius poſſunt inter ſe uniri, quam Deus & creatura.

Egregia demonſtratio! Patere, quæſo, me inſigne hoc ſophiſma, etſi præter inſtitutum, hîc obiter diſſolvere, ſiquidem pernicioſis non nimis obviam iri poſſit. Res dicuntur inter ſe convenire duobus modis: 1. ratione ſuæ materiæ aut formæ ſimilis, deinde

ratione ſui finis & ſcopi, quando nempe res una eſt facta propter aliam & ad aliam. Dabo exempla palpabiliora. Ratione prima inter ſe conveniunt pes & pes, calceus & calceus, urbs & urbs, homo & homo, ignis & ignis, lignum & lignum, mas & mas, fœmina & fœmina, creatura & creatura: ratione altera inter ſe conveniunt pes & calceus, urbs & homo, ignis & lignum, mas & fœmina, eâdemque etiam Deus & creatura Quo animadverſo, patet clariſſime Liberiani axiomatis fallacia, aut concluſionis inconſequentia. Si enim axioma illud de priori convenientia intelligas, abſurdum eſt & falſum, ea quæ in materia aut forma conveniunt, magis uniri poſſe, quam ea, quæ eo modo diſconvenientia, conveniunt tamen reſpectu finis aut ſcopi; & ratio diſparitatis hæc eſt, quod quæ materialiter aut formaliter conveniunt, eatenus tantum ſimilia ſunt, non autem ideo præciſe unionis capacia: at quæ ratione finis conveniunt, horum hoc ipſo unius natura, facultates, proprietates, conſtitutio, effectæ ſunt & diſpoſitæ ad alterum, ſive ut alterum exciperent, eique ſtrictiſſime uniri poſſent. Atque hoc in exemplis allatis patet: nam etſi calceus & calceus magis inter ſe conveniant ratione materiæ & formæ, quam pes & calceus, non tamen magis inter ſe uniri poſſunt, quam calceus & pes, qui ratione finis conveniunt: ſimile de exemplis cæteris aliiſque infinitis dicere eſt. Si vero axioma Liberianum ratione finis (uti fieri debet) interpreteris, tunc falſum eſt aſ-

ſum-

ſumtum: poſito namque ea magis inter ſe uniri poſſe quæ magis inter ſe ratione finis conveniunt; falſo aſſumitur, creaturam & creaturam magis inter ſe convenire, quam Deum & creaturam: namque creatura, humana præſertim, de qua hic agitur, non eſt finis & ſcopus creaturæ alius; ſed Deus eſt finis & ſcopus creaturæ, quæ etiam expreſſe ideo facta & conſtituta eſt ut Deo uniretur. Ergo Deus & creatura magis poſſunt inter ſe uniri quam creatura & creatura: unde cadit prætenſa illa & vere hæretica demonſtratio, quam etiam olim alibi (a) ex alia conſideratione everteram, cum multis aliis quæ in ſcriptis tuis reperiebam impenſe, meo quidem judicio, exitioſa. Et hîc quidem latet cauſa ſpecialior, cur ſcriptis meis in relationibus tuis infenſus adeo fueris.

(a) Cogit Rat. Edit. II. pag. 238.

Namque quamvis primò nec te nec ullum adoriri in animo habuérim, cum tamen mihi proponerem ea ſcribere ex quibus Dei gloria, ejus ſanctitas, ſalutaris veritas ejuſque amabilitas, hominis vero ſolidum bonum, virtutes, ſolida eruditio, nec non vitiorum ſuperbiæ, vanitatis, aliorumque abnegatio promoverentur; ea propter ſi quando forte in manus meas incidebant libri ubi iſta concuterentur, tum principia mea non modo iis libris magis in oppoſitum ſtabiliebam, ſed & ſæpe argumenta adverſa in iisdem occurrentia vel evertebam prorſus, vel tuto præveniebam, maxime quando ſpeciem aliquam præ ſe ferebant, erantque in libris anonymis, quorum cum nullus auctor diceretur

aut nominaretur, nullus etiam idcirco ſe pro impugnato habere debuerit. Atque hoc modo cum tui libri anonymi (quorum nonnullos neſcivi niſi poſt annos aliquot tuos eſſe fœtus) in manus meas incidiſſent, & præterea cum ſcirem ea quæ prius edideram, & quæ ſentiebam a te coram aliis contemni, iiſque contradici, ut ab eis omnes poſſent avocari; tunc non modo veritatum a me propoſitarum principia firmius ſtabilivi contra anonymorum ſcriptorum tuorum errores, quos noxios & capitales credidi; ſed & ab exceptionibus tuis vera vindicavi, & argumenta tuorum dogmatum everti in omni fere materia. Quod maxime in Oeconomia Divina ſum exſecutus, ubi vel a præfatione præjudicia anonymi (*a*) cujuſdam libri tui contra rerum intellectualium cognitionem diſcutiuntur, dein in reliquo opere apparent hinc inde expreſſa tui Pelagianiſmi cum ſuis rationibus diſſipatio principiorum Socinianiſmi, quæ defendenda vel pallianda videris ſuſcepiſſe, everſio; Critices tuæ de Scriptura per eam ſine lumine & operatione Spiritus S. interpretanda, deque quorundam librorum canonicorum rejectione deſtructio; tuæ de potentia & ſtatu hominis doctrinæ, deque peccati originalis negatione cum omnibus argumentis & exceptionibus quæ in eodem libro anonymo a te edito proſtant, exterminatio, & plura alia: ita ut qui mea legerit, eum ejuſmodi capitales periculoſique errores nec movere poſſint, nec lædere amplius. His ita ſe habentibus, Oeconomia illa mea, errores illos evertens, tibi viſa eſt,

(*a*) Entretiens ſur diverſes matieres de Theol.

ſa eſt, cujus relationem vel Epitomen in Bibliotheca tua dare ſuſcipiebas quidem; ſed an ſine indignatione & odiò id exſequi potueris, judicabunt illi, qui diſpicient quid huic præcedaneæ quæſtioni ſit reſpondendum; An probabile ſit hominem, cujus principia & ſtudia in eo verſantur ut naturæ ſuæ corruptionem agnoſcere nolit, ſed eam tegat & excuſet, quique præter generales fontes odii contra veritatem, ſuperius dictos, ſpecialiores etiam habet per impugnationem eorum quæ ipſi ſunt intima & chariſſima; an, inquam, probabile ſit talem hominem bona fide relaturum eſſe vim operis & argumentorum quibus chariſſima ſua idola disjiciuntur? Neceſſe namque eſt ut nunc publice moneam (quod huc uſque tibi parcendi cauſa tacui) te hic non judicem aut relatorem, ſed adverſantem partem eſſe, qui in Opere toto impugnationem tuorum principiorum reperias; ne deinceps judicia tua de meis credantur a Lectoribus e veritatis cognitione potius quam e vindictæ cupiditate & affectu, uti revera ſunt, elicita.

Equidem non pauca extant in tua relatione, de quibus non debeo conqueri. Et ſane ſi omnia aperte falſa eſſent, nemo hominum tibi fidem habere potuiſſet. Quando vero plura recte refers quidem; at non modò præcipua omittis, ſed & multa abſurda interſerere audes; nemo non videt, hæc eo credibiliora aliis fore, quo plura vera iis intermiſcebuntur: niſi qui ſolidioris ſunt judicii inde potius contra te concludant, eum qui, te referente, tales aliquot conſpicuas & mo-

momentoſas veritates protulit, ejuſmodi ab ſurdorum quæ ei deinde tribuis, capacem non videri; unde tuæ relationis fides hoc ipſo eis fiat ſuſpecta.

§. 4.

Generaliora ſphalmata D. Cl. in relatione ſua de Oeconomia *mea* Divina.

Tam falſa autem, tam abſurda, tamque contradictoria mihi impegiſti, eaque modis ironicis atque ſarcaſmis ita ſedate mordacibus & inexſpectatis propoſuiſti, ut qui verum te narrare putabunt, non poſſint non me veluti fatuum, meaque tanquam abſurda & lectione indigna cum ludibrio & ſannis contemnere & deridere: quod me referre non pudet, ſiquidem & veterum & recentiorum ſanctiſſimos atque doctiſſimos, nec non diviniſſima quæque, hac eadem etiam methodo tua irriſoria excipis qua & mea tractaſti, quæ quidem cum de diviniore maximeque ſeria materia agerent, videbantur lectore in meo exigere mentem non profana irriſione, ſed Dei timore, rerumque divinarum veneratione percitam. Sed de his & ſimilibus poſtea. Interim generalia (ut ab his exordiar) quæ in relationis tuæ fide deſidero, duo ſunt. Primum, quod etſi in præfatione ſpeciali *Oeconomiæ Creationis* monuerim & rogaverim lectores, ne de opere toto judicent ex libro primo, quia is & abſtracta quædam contineret, & omnia fere opinionibus vulgaribus

bus vel adverſa, vel etiam ſuperiora & ſublimiora: tu tamen cæteris quinque libris omiſſis, & titulo tenus non ſine ludificatione indicatis, primi tantum libri contenta recenſes; etſi in præfatione monueram, eos qui Metaphyſicis non ſunt aſſueti (quales plerumque ii quibus relationes tuas populari ſcribis ſermone) lectionem ſuam ordiri debere a libris ſequentibus, qui idcirco eis a ſincero relatore potius proponendi erant: atque libri quidem primi contenta (quæ non ſemel mihi aliiſque faſſus es te non intelligere) ſic recenſes, ut ne quidem interdum ad ea, nullatenus vero ad ſequentium contenta videaris reſpexiſſe: cenſes enim in primo deſiderari (a) conciliationem ſufficientem prædictionum divinarum de contingentibus cum libertate humana: quam tamen in ultimo libro non tantum tractavi, ſed & expreſſe tum in præfatione primi, tum ibidem in fine cap. 12. p. 330. monueram, rem, etſi ejus principia inſigniora præcipua in libro primo exſtarent, in ultimum tamen rejici, ibique eſſe quærendam. Adeo juxta Critices tuæ regulas ea legis in quibus criſin tuam vis exercere. Scilicet magni Critici atque Hiſtorici non opus habent ut ea legant & inſpiciant de quibus referunt & judicant.

(a) Bibl. p. 431.

Alterum, ubi in genere æquitatem tuam deſidero, illud eſt: quod inculces materiam aliam in libris meis contineri, quam revera contineatur: quod facis aſſeverando multis modis me myſticum myſtica myſticè tractare. Hoc vel in ipſo indice omnibus meis cogitatis

S 6 applicas;

applicas: quin eo uſque hac in re ridiculus es, ut non modo librum Irenicum meum, de controverſiis hodiernis agentem, myſticum nomines, ſed & in uno ex ſequentibus Bibliothecæ tuæ tomis, ubi de operibus Molinoſii agitur, annum 1687 contendas debere a me & ab illo denominari *myſticum*: ab illo, qui librum unum; a me, qui *libros myſticos octo* ediderim: & quia iſto modo riſum & nauſeam erga opera mea non dubitas te in lectoribus excitaturum, hoc adeo tibi arridet, tamque ſollicite inculcas, ut id mendacii non bis aut ter, ſed vel omnino decies in libro tuo repetas, nec non hodieque, quoties de me meiſque loquendi anſa tibi datur, eadem continuo oberres chorda. Et myſtica quidem ipſa non modo non contemno; ſed & ea, quia nil aliud ſunt quam totius divinitatis theſauri communicati, tanti facio, ut ſi bonorum totius mundi jactura, miſeriarumque omnium afflictionibus ea redimere poſſem, hilari animo cum divino Ignatio dicerem: *Ignis & crux, beſtiarumque congregationes, diſperſiones oſſium, conciſio membrorum, molitiones totius corporis, malæ punitiones diaboli in me veniant, ſolum ut* JESU CHRISTO *fruar*, arcaniſque & myſticis ejus amplexibus. Sed qui infinite ab illis abſum, neque de his ex profeſſo ſcribere hactenus præſumſi, aliorum tamen opera quædam myſtica egregie exquiſita in lucem edidi, & præfationibus illuſtravi, nec non ea in meis ſcriptis aliquoties laudavi, principia quædam generaliora allegavi, phraſes aliquas explicui, nonnulla quæ

remp-

remoram facere poſſent ſuſtuli, & lectores ad ea legenda prægustu quodam diſpoſui & hortatus ſum, ut, quantum in me eſt, non omittam indicare & commendare media, ſcriptis meis toto genere & infinito intervallo ſuperiora, quibus bonæ animæ ad amorem Dei puriorem, atque ad felicitatem æternam provocari poſſint. Sed meos libros inde eſſe myſticos, aut myſtica ibi eſſe omnia, non magis ſequitur, quam *Cogitationum* mearum editionem primam myſticam eſſe, id quod nemo unquam ſomniavit, etſi in illa myſticos auctores aliquoties (*a*) laudaverim: aut non magis quam verum ſit, tuos libros, libros eſſe poëticos, Horatianos & Ovidianos, eo quod hos auctores, ſæpius quam ego myſticos, laudes & proferas, Ovidianaſque Metamorphoſes & Horatianas cantiunculas pro egregio Scripturas interpretandi adminiculo inter alia commendes. Fatere, quæſo, id quod res eſt. Si Theologia myſtica Pelagianis & Socinianis faveret, non adeo ab ea abhorreres, ut libros tibi odioſos ab eadem contemtûs ergo nuncupares myſticos. Quin videmus Liberium tuum, quando conjiciebat per myſtica rem Socinianam ſuffulciri poſſe, ad Theologiam allegoricam (quæ tibi myſtica eſt) de facto recurrere, etſi nomen myſtices proferre refugiat, ne ipſe ſcilicet in irriſionum tuarum Myſticarum flagellum incurras proprium. Et hinc eſt quod loca Scripturæ, ubi creatio propria Chriſto tanquam ejus opus attribuitur, Liberius ut in gratiam Socinianæ opinionis illa explicet, de creatio-

(*a*) Vid. pagg. 30. 72. 250. 251. 293. &c.

ne allegorica, deque operationibus & creaturis Myſticis, (quas ſic nominare non audet, ſed *novas* pro *myſticis* dicit) intelligenda eſſe ſuggerit. Atque ita hæc loca: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod eſt factum*, &c. &, *Mundus per ipſum factus eſt*. item: *Omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt. Ipſe eſt ante omnia*, &c. quæ (a) Johannes & (b) Paulus ad Chriſtum referunt, ſi ex Socinianorum & Liberii expoſita mente aliis verbis & terminis propriis explicentur, debebunt rejecto prorſus literali ſenſu, hoc modo exponi: "In principio myſtico erat verbum, & verbum erat myſtice apud Deum, & Deus erat myſtice verbum. Omnia myſtica per ipſum myſtice facta ſunt; & ſine ipſo nihil myſtici factum eſt, quod myſtice eſt factum. Item: Mundus myſticus per ipſum myſtice factus eſt. Iterum: Omnia myſtica per ipſum & in ipſo creata ſunt myſtice; & ipſe eſt myſtice ante omnia myſtica; & ſic conſequenter." In quibus neſcio quis riſum tenere poſſit, dum videbit eos qui alioqui ſunt myſticæ Theologiæ irriſores, errorum gratia vel invitos cogi, ut ad eam adeo ridicule tentent ſe recipere. Sic ergo etiam Dominus Johannes Clericus (Liberio ni renunciet) inter Myſticos! At ut non ex animo, ita nec diu: neſcit enim adhuc quid ſit Theologia Myſtica, quod prius ipſe ex aliquo auctore (v. g. ex Theologiæ Cordis præfatione & ejuſdem partis alterius ultimo libro) diſcere deberet. Subolfecit

(a) Joh. 1: 1, 10.
(b) Coloſſ. 1:16.

olfecit tantum generalius eam principiis ſuis erroneis, nec non vanis minutiarum ſtudiis parum favere; novitque eam diſplicere tum mundanis plurimis, tum eruditis ſuperficiariis falſiſve permultis; item & carnali vulgo, forte & ſimplicioribus quibuſdam, aliorum de ea calumniis circumventis: atque hoc ſatis ei fuit, quo conceptum erga ſcripta mea ſuis principiis adverſantia odium & contemtum aliis communicaret, ea ut ſibi odioſo *myſticorum* titulo falsò inſigniret, & omnia in eis perridicule ad myſtica referret. Indignari quæſo noli, Domine, monenti ut Myſticorum reſpectu intra grammatices ſphæram te contineas, neve Theologiæ myſticæ te intermiſceas, tyrunculi ne a tergo rideant ad myſtica referentem, uti (*a*) facis, ratiocinationes & probationes quibus uſus ſum ad libertatem demonſtrandam, argumenta peccatum originale animarumque propagationem evincentia, ultimos rerum eventus externos a me recenſitos, analyſin meam Epiſtolæ ad Romanos, & plura alia quæ incapacia per ſe ſunt ut inter objecta & materiam Theologiæ myſticæ recipiantur. Ægre ferrem tibi dici poſſe ab imprudentiore forſan tyrone verbum Syracidis, *De mendacio ineruditionis tuæ confundere*; vel illud Apellis, *Ne ſutor ultra crepidam*: aut forte aliquid ſimile, *Ne Criticus ultra cortices.*

(*a*) Bibl. p. 432. 438. 439.

Hic dices, patefcere tuam de meo in Criticos infenſo animo querelam eſſe legitimam, quando refers me CLAMARE *in opere meo contra Criticos*. Si cum Pareo, celebri Theo-

Theologo, abſolute dixiſſem, Critices auctorem omnino eſſe Diabolum, poſſem cenſuram tuam iſtam forte aliquo modo meruiſſe. At ego Criticos ſobrios, qui ſub litera ſpiritum quærunt & venerantur atque commendant, non modo non tango, ſed & eos magnifacio & veneror, & verò commendatos maxime volo; qualis inter alios erat nuper Illuſtris Uſſerius, qui S. Barnabæ Epiſtolam, totam allegoricis & myſticis ſenſibus plenam, primus edidit & maximi fecit: ſuperiore autem ſeculo magnus Eraſmus, nulli facile poſt ſe comparandus. Hic ut ut humanioris literaturæ & Criticæ eruditionis inexhauſtæ vir, opera tamen ſua, ſuas præſertim in Novum Teſtamentum egregias paraphraſes, rebus allegoricis & myſticis ſæpiſſime veluti gemmis non dubitavit condecorare: Arnobii junioris commentarios in Pſalmos, myſticis quoque ſenſibus abundantes primus & in lucem produxit & impenſe laudavit. Denique, quod inſtar omnium eſt, in Enchiridii Militis Chriſtiani capite altero, hanc ſtatuit regulam: *Ex interpretibus divinæ Scripturæ eos potiſſimum delige qui* A LITERA QUAM MAXIME RECEDUNT. *Cujuſmodi ſunt in primis poſt Paulum Origenes, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus.* Addit: *Video enim neotericos Theologos literæ nimium libenter inhærere, & captioſis quibuſdam argutiis magis quam* ERUENDIS MYSTERIIS *operam dare: quaſi vero non vere dixerit Paulus Legem noſtram* SPIRITUALEM *eſſe. Audivi ego nonnullos qui ſibi uſque adeo humanis illis commenta-*

mentatiunculis placebant, (inſpice ſis contra quos hic clamet,) *ut veterum interpretamenta pene pro ſomniis contemnerent. . . . . Conſeneſcunt in litera, neque ad ſpiritualem ſcripturarum cognitionem elaborant. Neque audiunt Chriſtum in Euangelio clamantem, Caro non prodeſt quicquam; Spiritus eſt qui vivificat: Et, Scimus quoniam lex ſpiritualis eſt, non carnalis:* & SPIRITUALIBUS SPIRITUALIA COMPARANDA, *Olim in monte, nunc in Spiritu vult adorari Pater Spirituum. . . . Te ergo*, ſubjungit, *qui ingenio tam felici prœditus es, omnino nolim in ſterili litera lentum eſſe; ſed ad* RECONDITIORA MYSTERIA *feſtinare, & improbum conatum induſtriæ crebris* PRECIBUS *adjuvare, donec aperiat tibi librum Is qui habet* CLAVEM *David, qui claudit & nemo aperit* ARCANA PATRIS, *quæ nemo novit niſi Filius & cui voluerit Filius revelare.* Tales cedo mihi nunc Criticos, & eos ego quovis auro cariores æſtimabo, commendabo, venerabor. At ſiqui Critici cauſam, vim eſſentiam & centrum omnium *realitatum*, adorandum Spiritum Dei, ejuſque internas operationes atque ſenſus arcanos rejiciant & irrideant, fiantque idcirco myſtico-maſtiges: ſi earundem realitatum ipſis *ideis* ſint infenſi, & has, prætexendo Metaphyſicum odium, & ideas Platonicas, eliminare cupiant; ſi ne quidem umbram harum rerum, quibus craſſiore modo deſignetur eſſentialis realitas, tolerare velint, atque adeo allegoricæ Theologiæ illudant: ſintque inſuper infenſi omnibus illis, ut ut ſeculorum antiquitate & ſanctitate conſpi-

ſpicuis', qui iſta commendarunt, ut nil tandem remaneat pro ſuis deliciis criticis quam cortex corticaliter explicitus, ſive litera ſine ſpiritu, ſine ejus ideis intellectualibus, ſineque umbris ejus ſolum literaliter, per ideas grammatiſticas & criticas, Pelagianas & ethnicas, Homericas & Virgilianas, Horatianas & Ovidianas, ideis Platonicorum immenſum vaniores, expoſita, idque ea temeritate, ut quicquid eis non placet pro captu critico, ex ipſarum etiam Scripturarum codice eliminent, ſibique incognita myſteria damnent, & ſuas præterea interpretationes grammaticas haberi velint pro *Sacris obſervationibus*, *quæſtionibus*, *annotationibus*, & ſi quid eis ſimile, quoniam ſcilicet materia externa aut cortices & verba ex Scriptura ſacra deſumta ſunt; hos ego non clamore, ſed demonſtrationibus, ut (*a*) feci, convincam de ſuæ ejuſmodi critices inanitate & abſurditate ſtolida; atque ſi demonſtrationes capere necdum queant, per ſimilitudines magis palpabiles oſtendam eos non minus vane atque ridicule agere, quam ſi quis olim ex Iſraelitis, ut ſacrificii oblati particeps eſſet & alios participes redderet, victimæ quidem internam ſubſtantiam relinquere, ejus vero cutem, pilos, aut excrementa ſola ſuſcipere voluiſſet, quibus poſtquam ora, vultum ſeque totum egregie ſuperillinere abſolviſſet, curreret per caſtra clamans, *Sacrificium ſacrum! Unctio ſacra! Edulium ſacrum!* Scilicet hæc e ſacra victima deſumſerat ille eodem modo, quo Critici noſtri e Scripturis

(*a*) Oecon. Tom. IV. chap. 14.

ris ſacris ſacra ſua obſervata deſumere conſueverunt, iiſque ſe & alios nutrire; ſane veluti furfuribus nutriuntur ſues, frugis fariñâ & ſubſtantiâ internâ, acſi inanis pulviſculus eſſet, contemtim aliis relictâ.

§. 5.

Specialiora ſphalmata D. Cler. in relatione ſua de Oeconomia Divina.

Jam ſpecialiora ſunt quæ ſequuntur.

1. In Bibliothecæ tuæ Univerſalis (a) relatione, ubi me introducis promittentem in Oeconomia *demonſtrationes Geometricis nil cedentes de rebus Theologicis & Philoſophicis, Metaphyſicis, Phyſicis & Ethicis, nec non de Politices fundamentis*, addis, *me non ſperare vim earum demonſtrationum captum iri a lectoribus qui ſolam illic adhibebunt rationem humanam: oportere abſolute eos & aliquid* FIDEI *adferre, ſine qua affirmem eos nil ibi intellecturos.* Et, *me credere, illiteratos ipſos omnia, exceptis quibuſdam primi & ſecundi libri, intellecturos, modo & attentionem adferant, & vero* RECIPIANT CUM FIDE *veritates quas promitto me eos docturum.* E quibus quicunque nec me norunt, nec te audebunt ſuſpicari de eorum irriſorum numero eſſe, qui impoſturas pro irriſionum ſuarum ſale de induſtria excogitant, non poterunt a cachinnis de me temperare, audientes, *veritatum demonſtrationes a me promitti, modo cum fide recipiantur.* Aſt, qui-

(a) pag. 414, 416.

quicunque me pro mortalium ignorantiſſimo non habebunt, quin potius exiſtimabunt, mihi non minus ac tibi, & forte cuilibet alii, notum eſſe ecquid ſit *Demonſtratio*, quique animadvertent me eas promittentem ſupponere a prima operis pagina, lectorem eſſe vel ſcepticum increduliſſimum; non dubitabunt ſane quin hîc malæ fidei ſubſit cavillatio. Et quando conſpicient in ſerie operis, me nil explicite deducere in concluſionibus meis niſi id quod in principiis implicite & ex natura ſua continebatur (quod demonſtrare eſt) principiaque ipſa quando per ſe nota non erant, iiſdem modis ex alio, hocque ex alio, & tandem ex primo incontroverſo deducta eſſe, (quod multi teſtantur ſe animadvertiſſe) mirabuntur & exiguitatem prudentiæ tuæ & in cavillando intemperantiam, qua ne te gaudiolo privares lepidum hunc aculeum, *demonſtrationes promittere modo cum fide recipiantur*, ſarcaſtice ſemel & bis proferendi, aliosque eo ad riſum concitandi, non potuiſti irriſorium ſtylum continere, quamvis non potuerit non inde fidei malæ dedecus in te redundare. At ſcilicet *fidem* nominavi & commendavi ad rerum intellectualium perceptionem! Rem paucis explicabo. Dantur interdum demonſtrationes, quarum multi, etſi non parum ingenioſi, vim non capiunt. v. g. Carteſius demonſtravit certe animæ immaterialitatem & Dei exſiſtentiam: quarum tamen demonſtrationum, etſi attente ſæpiuſque lectarum, doctiſſimi Geometræ vim aſſequi ſe non potuiſſe, (*a*) teſtati ſunt.

(*a*) Obj. VI. in Medit. Cart.

ſunt. Hodie dantur Carteſiani qui non aſſequuntur demonſtrationes de Dei libertate indifferente, aut de Dei ſufficientia, etſi immediate ſequantur ex eo quod Deus ſit ens perfectiſſimum, adeoque aliis præter ſe non indignes, ergo ſe ſolo ſibi ſufficiens; quique adeo, ſi aliorum habeat ideas aliaque fecerit, ex indifferentia ea cogitavit & fecit, indifferens ergo ipſe primus: & tamen hæc non capiunt. Quis non capit hæc principia, Deum ſe ipſum ſuaſque proprietates negare non poſſe, neque conſcientia intima, neque dicto aut opere externo? At quotus quiſque eſt, qui capiat ſequi neceſſario & demonſtrative, opera Dei non tendere ad annihilationem, non eſſe inactiva, tenebroſa, ſibi adverſantia, ſeſe deſtruentia & angentia; atque adeo eſſe permanentia, activiſſima, luminoſiſſima, concordantiſſima, felicia & glorioſa, ac proinde res non fuiſſe conditas in ſtatu malo, in quo jam ſunt; ſed hoc ab auctore inordinationis peccante proficiſci? Ecce has multi non capiunt demonſtrationes, quemadmodum concipiunt a Deo non poſſe eſſe mendacium. Atque id ipſum eo ſæpius accidere poteſt, quo magis demonſtrationes ſunt de veritatibus a primis principiis paulo remotioribus, nec non præjudicia inveterata concutientibus. Quid jam erit remedii ut adjuvetur ratio ad vim ejuſmodi demonſtrationum ſentiendam. Requirunt alii attentionem: ego etiam. At illi, de quibus nunc, dicunt ſe attentiſſimos eſſe & fuiſſe, nec tamen demonſtratio-

num

num vim adhuc ſentire. Quid ergo præterea? Alii alia: Ego vero hoc. Requiro ut non attendat ſolum lector ad rationem, ſed etiam ut eam ſequatur, hoc eſt, ut praxi efficiat ea quæ ratio demonſtrative præſcribit eſſe facienda antequam ulterius ad plures alias demonſtrandas intelligendas ſeſe accingat. Exempli cauſa, ſi demonſtratio quædam mathematica, eaque complicatior & operoſior eſſet intelligenda, oporteret etiam, ratione id dictante, ut prout legit, ſic quoque actu & praxi deſcriberet circino vel norma aut cyphris ea quæ attenta lectione pre currit: alias diſſiparetur & confunderetur ſola ejus attentio, medio practico alioqui confirmanda. Ita de intellectualibus. Poſtquam aliquis per rationem ſeu quocunque alio modo convictus eſt Deum exſiſtere, eumque eſſe & omnis boni & omnis luminis auctorem omnipotentem & benevolum, primum quod ratio dictat eſſe faciendum antequam ad alia bene ſe accingat, eſt, quod debeat laudare Deum, ei gratias agere, deinde ab eo exſpectare & optare animo confidente operationes ſuas bonas & luminoſas. Aut mens me deſtituit, aut hoc omnino ita eſt. Ratio me impellit neceſſario ut *optem bonum & lumen*, idque a *Deo* & in *anima* mea, quia is eſt auctor luminis & boni, ego vero ejus ſum opus, & anima mea ſubjectum luminis: & hoc quoque *anima confidente*, quia Deus eſt benevolus & omnipotens. Atque hæc animæ diſpoſitio, qua offert ſe Deo confidenter optans lumen & bonum ejus, ſive is recur-

ſus

ſus mentis gratæ & confidenter optantis Deum boni fontem, ea res eſt quam FIDEM appellavi: quæ Fides, ſive, qui recurſus mentis Deo ſe committentis & confidentis, non quidem immediate demonſtrationes de intellectualibus ingerit, ſed per illum facultates animæ ipſaque ratio fiunt magis magiſque a Deo vividæ, ſanæ, perſpicuæ, habiles atque aptæ, quæ poſtea facillime rerum intellectualium ideas veras efforment, concipiant, penetrent, videantque quid in illis ſit, & quid ex illis neceſſario ſequatur; hoc eſt, capaces fiant conſequenter percipiendi & ſentiendi vim demonſtrationum de rebus intellectualibus. Iſtane etiam necdum capis Domine Critice? Hæccine ſunt *promittere demonſtrationes modo cum fide quis eas recipiat, & parum fidei ad eas adferat?* Aut vero an ego locutus ſum obſcurius quam ut poſſim capi? Quaſi non expreſſe dixerim (a) *nos ſpiritu fidei approximari Deo, unde dum conformes ei in interioribus efficimur, mens ratioque noſtra nec omnes facultates habiles fiant pro ſuo quæque modo* AD EXPRIMENDUM (ſeu in nobis excitandum idealiter) *characteres & magnalia Dei & eorum quæ in ipſo atque in conceptu divino ſunt; ita ut* ACTIVITAS RATIONIS *acquirat imperceptibiliter* HABILITATEM AD REPRÆSENTANDUM *modum quo Deus omnia concepit & fecit. Eſſe in nobis* FACULTATEM REPRÆSENTANDI CLARISSIME & FACILLIME IDEAS & OPERA DEI *eorumque* RATIONES & *pulchritudines* VIDENDI; *quæ facultas quando approximatur Deo, recipit per lumen fidei*, ſive per lumen quod Deus animæ

(a) Prefat. Oecon. folio. ** 2 & **

mæ

mæ fidenti communicat, DISPOSITONEM AD PERCIPIENDAS *veritates & opera ejus*, & quæ plura ejuſmodi. Vide hinc, quomodo fides ſeu approximatio fida ad Deum in anima lucentem, diſponat activitatem rationis ad habilitatem excitandi in ſe ideas ideis Dei & rebus ipſis conformes, & ad capiendas rerum veritates & rationes. Verùm hoc eſt antipelagianum, adeoque tibi inviſum, uti etiam illud quod ibidem expreſſe monui, *Pelagianos, Criticos literales, eoſque qui operationes Dei in anima negant, idcirco eſſe ineptos ad res intellectuales percipiendas, eo quod ægra ſit, craſſa & corruptiſſima eorum ratio.* An ergo, quoniam hæc forte tibi dicta putabas, oportebat a te ſenſum meum clarum, ſanum, præſtantiſſimaque & ſaluberrima præcepta continentem vindictæ ergo in falſum & ridi-
Rom. 1. culum ita perverti? Nonne Paulus ante me annotavit cauſam cur Philoſophi *tenebris* ſint involuti & evanuerint *in ſtultas rationes*, hanc eſſe, quod *agnitum Deum non glorificaverint ut Deum*, ut auctorem luminis & boni, ad quem recurrendum eſſet; quodque *ingrati fuerint*, *atque vane* confiſi ſint & innixi *propriis ratiocinationibus deſerto Creatore benedicto*? Utinam vero omnibus Philoſophis ineſſet divina hæc fides, quo ſanaretur eorum ratio, nec minus omnibus relatoribus humana fides, quo candide aliorum facta aut dicta referrent?

2. Pari fidelitate jaculariter & contemtim refers (*a*) *Metaphyſicam meam non poſſe multis in locis perfecte intelligi, niſi quis in tenebras*

(*a*) Bibl. p. 418.

nebras divinas inque contemplationem principii Dei ſit admiſſus. Debuiſſes dicere, Metaphyſicam meam explicare quædam de divinis, quæ quidem idealiter bene concipi poſſint, at quæ nullus poteſt vivide experiri in ſe niſi Deus, principium noſtrum, ſe detegat ipſi eo modo qui jam nobis eſt tenebroſus, id quod obiter monui appellari a Myſticis, *admitti in tenebras divinas & in contemplationem principii ſui* (non principii *Dei*, ut male capis.) Atque ſimilia nullus non dixit Metaphyſicus. Nam quando v. g. demonſtrant,in contemplatione Dei ſummam felicitatem conſiſtere; hoc quidem quiſque capere poteſt; ſed id ipſum neminem experiri ſenſu ſine ſupernaturali operatione Dei nobis nunc obſcura & tenebroſa, fatebuntur. Ita ego in Cogitationibus Rationalibus totum caput circa *Æternitatem* divinam, noſtramque participatam, occupavi, quarum demonſtrationum vis facile idealiter percipi poteſt, at rei ipſius experimentum vivum non poteſt, ut ibi monui, *niſi Optimæ Menti, quæ nos ſuſtinet, placeat ſe ipſam nobis ſecundum noſtræ Cogitationis plenitudinem jungere*, & quæ ſequuntur dicto capite: quæ etſi obſcura nunc experientiæ noſtræ, a magnis tamen ingenioſiſſimiſque viris tanti æſtimata ſunt, ut id unum caput cæteris omnibus totius libri prætulerint, quidam etiam memoriter verbotenus didicerint. Verum ii erant ex eorum numero, qui res Divinas ſerio & reverenter tractandas, minime vero irridendas eſſe credebant.

3. Facultatum duas dedi definitiones: unam

(a) Oecon. Creat. p. 156. (b) ibid. p. 142. (c) ibid. p. 395. (d) Bibl. p. 422.

nam rei (*a*), quam dixi *explicatione* indigere, utpote naturam rei indigitantem; alteram nominis, ut quivis ſciret quid per nomen facultatis indigitarem, dixique (*b*) nomen facultatis perinde mihi eſſe ac *potentiam faciendi ſive agendi*, & latius (*c*) *capacitatem agendi & recipiendi ſeu patiendi*. Tu vero, (*d*) quando lectori ſpem feciſti *me oſtenſurum quid facultas*, *& quo ſenſu* HOC VOCABULUM *ſit recipiendum*, omittis nominalem definitionem ad captum omnium claram; & realem ſolam, explicatione deſtitutam, adeoque obſcuram, adfers, ut lectoribus, quibus ſpes claritatis facta eſt, inexſpectatam pro ea reperientibus obſcuritatem, riſum moveas, eadem ſcilicet arte tua vel ſimili qua geſticulatores quædam præſentia faciunt dextera agilitate diſparere & inexſpectata apparere, ut ſpectatores hiſtrionico hoc agendi modo ad riſum concitentur. Et quemadmodum hiſtriones, quando credunt ejuſmodi ſpectacula ſpectatoribus eſſe arriſura, ea ſæpius repetunt; ſic tu objecta Myſtica hinc inde ex ſcena tua etiam producis; ſed toties, ut iſta tua hiſtrionica tandem fiat profecto nauſeabunda.

(e) Bibl. p. 428.

4. Eadem arte ludicra, poſtquam lectores ad ſerium & ſublime quid a me audiendum de divinitate animæ præparaſti, ſubito introducis me (*e*) quaſi me ipſum nomine proprio & titulo Domini interrogantem; deinde mox, me omiſſo, cæteris velut ex cœlo delapſis, nec interrogantibus, reſpondentem; omnia modis perridiculis, quos in meo opere nemo reperiet, ſed tantum difficultatem a lectoribus ſibi ipſis propoſi-

poſitam : quam ut abſurdam eſſe oſtendam, removeo eodem omnino reſponſo quo Philoſophus Claubergius (a) eam ipſam velut reſponſione alia indignam rejectabat; Mirum homines doctos ſcurrandi ſtudio adeo excœcari, ut non videant ſe, dum omnia mimicis veſtibus induere geſtiunt, cum Hiſtrionum ſartoribus de artificio certare.

(a) in Exerc. de Deo.

5. Sed interim non pauca ſeria & bene ſatis relata quandoque interponis, unde etiam Lectorum mentes iſtis ſerius aliquamdiu detentæ, eo ſapidius deinde affici poſſint lepidis tuis jocis myſticis hinc inde recurrentibus, quorum uno præmiſſo pergis poſtea (b) de SS. Trinitate ſerio agere, nempe ut ibi Socinianis ſis auxilio, in quos me *clamaſſe* dicis, acſi SS. Triadem negarent eo ſenſu quo eam explicui, quod tu pro illis is inficias. Age, ſiquidem eorum es procurator aut advocatus, fac ergo ut illi hæc mecum fateantur, 1. Eſſe in Divinitate æterne Trinitatem adorandam, quæ vocibus Patris, Filii ſive Verbi, & Spiritus S. in Scripturis deſignatur. 2. Eam eſſe quidem, non minus quam omnia quæ in Deo ſunt, incomprehenſibilem finito intellectui noſtro; attamen id quod de ea pro modulo noſtro concipimus inadæquatiſſime, hoc eſſe, quod Pater ſit ſui fruendi deſiderium Divinitati eſſentiale; Filius imago viva & lux Divinitatis; Spiritus vero ſanctus, Amor ejus, fruitioniſque lætitia & acquieſcentia eſſentialis. Hæc ſi renuant Sociniani admittere, eo ipſo oſtendent, ſe ab eo quod ego

(b) Bibl. p. 430.

de SS. Trinitate ſentio & explicui (quæ hæc ipſa ſunt) diſſentire. Si vero hæc admittant, tibi & illis gratulabor : neque tamen ii omnino erunt innocentes aut excuſandi, quod SS. Trinitatem prius ideo negaverint, quod illa eis clare ſatis non fuerit explicita ; quam ſi vidiſſent uti nunc proponitur expoſitam, non utique negare voluiſſent. Etenim aliquando Deus de operibus ſuis aut de ſe ipſo quædam obſcurius revelat hominibus, tum ut hi id ei honoris deferant quod veracibus ſolemus, eis credendo de non viſis ; tum etiam ut tenuitatis intellectus conſcii, nobiſque diffidentes, humiliemur continuo, petamuſque ab ejus ope & lumine dilucidationem neceſſariam obſcurorum. Jam ſi nonnulli ex ſuperba cœcitate, *primo* nolint ad Dei operationem lucemque petendam recurrere ; ſed eas irridentes, ſuoque intellectui veluti ſibi ſufficienti audacter confiſi, nolint, *ſecundo*, admittere res revelatas, eo quod miſero intellectui ſuo, ipſas ſuis viribus comprehendere nitenti, videantur repugnantes ; ſique, *tertio*, intellectus ſui corrupti opera, pro Creatore creaturas ſubſtituere haud vereantur (veluti Sociniani, qui iſta tria committunt, & pro Spiritu S. creaturas aut dona Dei creata ſupponunt ;) illine extra culpam fuerint, ſi, quando diceret illis Deus, Ecce, quæ ex ſuperbia non vultis a gratia mea poſtulare ; quæ de me rejicitis, quia ea ſuperbus veſter intellectus ſibique confiſus non capit ; & in quorum locum creaturas ſubſtituiſtis : illa ipſa ſunt quæ ſi aliis terminis modiſque vobis explicantur, ita de eorum veri-

tate

tate vos cum omnibus ſentietis convictos, ut ea rejicere non poſſitis. Illi, inquam, ſi jam demum hæc ultima crediderint, fuerintne idcirco prius ſine culpa ſuperbiæ, incredulitatis, & ſeu idololatriæ, ſeu injuriæ in Deum aut divina, pro quibus creata ſubſtituerunt? Hoc ipſemet jam judica, & Socinianis applica, quorum primarium præcipuumque malum non tam eſt in eo quod multa myſteria negent, quam in hoc, quod corruptione ſua diſſimulata, viribuſque rationis corruptæ confiſi, ab ea, non ab operatione Dei gratioſa, ſua exſpectent lumina.

6. Non movebor iis quæ a me de libertate dicta, pro tua arte perhibes (a) partim myſtica eſſe (hoc eſt, tibi incognita & antipelagiana,) partim ab aliis dudum prolata. Carteſio aliquando objectum eſt, nil adeo novi eſſe, quod diceret ſe cogitare: hoc omnes dudum etiam ſciviſſe & dixiſſe. Is reſpondebat ita quidem rem eſſe: at ante eum negabat fuiſſe obſervatum, hoc ipſum eſſe philoſophandi principium, ex eo omnia deduci poſſe, idque ſe præſtitiſſe. Qui opus meum attente legent, videbunt ex iis quæ explicui de libertate, ſequi, explicari, ſolvi omnia, quæ gratiam, prædeſtinationem, juſtitiam Dei, modoſque omnes ejus cum hominibus agendi, concernunt: quæ ab aliis hactenus dicta, ea generaliora, obſcuriora, minus evoluta, adeoque ad effectus dictos fere inutilia fuiſſe; non ſic ea quæ penitius propoſui, & ad nodos pro inſolubilibus habitos, primus, quod ſciam, cum ſucceſſu ap-

(a) Bibl. p. 433.

plicui: nec vereor dicere, libertatem ſi explicuiſſent ea, qua ego, ratione (præſertim à pag. 510 ad 520,) nullum Pelagianiſmum, nullam de gratia hæreſin, unquam auſam fuiſſe caput extollere. Hæc me tua cenſura coactum oportet profiteri ſimulque monere, ut, quoniam ſæpius pronunciare geſtis quædam dicta mea jam prius ab aliis eſſe dicta, tua, ſi placet, inſpicias, videaſque an, ſi quæ ex aliis, ſæpe illaudatis, ſurripuiſti, abeſſent, Æſopicæ corniculæ non renovaretur magna ex parte fabula.

(a) Bibl. p. 435.

(b) ibid. & p. 426.

7. Neſcio, unde aſſeveres, hominem rectum (*a*) *potuiſſe, mea ſententia, formare vi imaginationis ſuæ corpus aliud, corpori ſuo ſimile*: quando tantum mea mens eſt, imaginationem ad ejuſmodi formationem non concurrere niſi ut cauſam ſociam & incompletam. Dubito etiam an excitandi riſus gratia (quia alioqui materiam de familiaritate cum Deo ludibrio habes) (*b*) retuleris me ſcripſiſſe, *inutiliter laborari in detectione naturæ quamdiu quis familiaritatem cum Deo non recuperavit: cognoſci ideo oportere Divinitatis interiora.* Certe Divinitatis interiora, cogitata, ideæ, ſunt rerum cauſæ & efficientes & exemplares; adeoque ut res effectæ per cauſas cognoſcantur, debent per notitias eorum, quæ in Deo ſunt, cognoſci: hæc autem, Deo ipſa non communicante, aſſequi neminem poſſe clarius eſt, quam ut pluribus verbis egeat.

(c) ibid. p. 436.

8. Quando refers (*c*) me ex vita & viſione aliqua S. Tereſiæ deſcribere rerum lucem

cem primævam, ut ejuſmodi allegatio & philoſophis & Proteſtantibus appareat ridicula, omittis indicare, hoc (antea ex attributis Dei deductum) à me ibi confirmari per octo aut decem Scripturæ ſacræ teſtimonia, quibus illuſtrationis gratia verba S. Tereſiæ adjunxi, credens ſatius eſſe, res divinas ſimili ſanctæ mentis teſtimonio illuſtrare, quam velle Scripturam ſacram e Virgilio, Horatio, Martiali & Ovidio ſimilibuſque Criticorum Oraculis dilucidare.

§. 6.

De Articulo quodam præfationis Tomi V Bibliothecæ Univerſalis, & de eo quod in Tomo ſeq. me dicit Enthuſiaſten.

Cætera ne longior ſiam prætereo, luſtraturus monitum quod Bibliothecæ tuæ Tomo V præfixiſti, ubi conſcius te juſtam conquerendi cauſam dediſſe, tum pervertendo ſenſum, tum omittendo multa neceſſaria in relatione tua, utrumque conaris excuſationibus frivolis prævenire. Et primum quidem, inculcando te forte non bene ſatis intelligere potuiſſe nonnullos auctores, quibus propterea affricas *confuſas ideas*, quando meæ aliis, te intelligentioribus, ſunt clariſſimæ; *enunciationes incommodas*, quæ aliis & tibi ipſi alicubi ſunt *valde emphaticæ*; *inutilitatem parentheſium*, quæ tamen utiliſſimæ ſunt, ne reſpectus quiſpiam ad ea quæ tractantur neceſſarius, oblivioni tradatur; *ratiocinationes inordina-*

dinatas, cum tamen Opus totum ſit ratiocinationum concatenatio ordine continuo procedens; *æquivocam vocum uſurpation. m*, quando e contextus inſpectione indubitatus vocum ſenſus patet; *linguæ propriæ ſemi-ignorantiam*, cum non minus atque tu ſubſtantiam ejus intelligant, quanquam grammaticas, criticas & ſyllabicas minutias, ipſis forte non ignotas, etſi non uſu tritas, obſervare non curent, veluti tu, qui ad iſta magis attendis quam ad ſolidiora, & ad ea quæ de aliquo Auguſtinus: (a) *Fauſtus, magnus laquens Diaboli, & multi implicabantur in eo per illecebram ſuaviloquentiæ: quam ego jam tametſi laudabam, diſcernebam tamen a veritate rerum, quarum diſcendarum avidus eram. Nec quali vaſculo ſermonis, ſed quid mihi ſcientiæ comedendum apponeret, intuebar.* Verus linguæ uſus eſt magnalia & laudabilia Dei & ſalutaria proximis ſimpliciter ex bono corde proferre; non autem operam dare, ut omiſſis parentheſibus, ſervato vocularum ſeveriore ordine, loco, ſono, fucis minutiiſque nugacibus, aures delicatulorum prurientes demulceri poſſint modis amori proprio gratis, & qui idolo ſuperbiæ noſtræ eloquentium virorum vanam gloriolam acquirant. Ita ut ex prætenſis horum in obſervationibus, & pedaneis grammaticaſtrorum futilitatibus nec poſſis prætexere obſcuritatem, nec cauſam neceſſariam obſcura perverſo ſenſu referendi: ſiquidem in eloquentiſſimos & nitidiſſimæ elocutionis Auctores, iiſdem artibus agas, ut videbimus: & Ill. Epiſcopi Meldunenſis de

(a) Conf. L. 5.

SS.

SS. Trinitate quædam egregia eo ſtyli nitore, ea perſpicuitate, ut nil ſuprà, enunciantis, Orationem nomines (*a*) ſemel atque iterum *du galimathias*, confuſam barbaramque vocum congeriem; rem autem ipſam, chimæras. Veriores cur his modis agas cauſas, cum generaliores tum ſpeciales, ſuperius commonſtravi; ut & cauſas obſcuritatis materiæ, quando dixi illos, qui ægritudine diſſimulata, viribuſque propriis confiſi ad Deum non recurrunt, nec opem ejus internam deprecantur, eſſe rebus ſpiritualibus percipiendis omnino ineptos. Quid vero cauſæ erat, cur cum in iſtis vel te fatente nil intelligeres (prout longe eſt certiſſimum) in Socium tuum, onus articuli iſtius componendi non devolveres? An ſuſpicandum eſt te timuiſſe ne ille pro voto tuo non irrideret, ſed commendaret quæ tibi erant adeo inviſa? Aut vero cur in Opere meo legendo non ſequebaris Præfationem monentem, ut, quibus hæc difficilia viderentur, ab ultimis tomis ordine retrogrado lectionem inſtituerent? Etſi nunc experientia edoctus, video & commendarum optem minus intelligentibus, ut a tertio vel quarto tomo incipientes pergant ad finem Operis; & tunc demum ad prætermiſſos tres ſi ſe accingant, tuas de obſcuritate querelas ſuis non comprobabunt.

(*a*) Entrct. p. 302.

Nec minus invalide tuas ſuppreſſiones excuſas, tum paucitate pagellarum ſcriptioni tuæ deſtinatarum; quod, ſi aliquid, certe ridiculum eſt: (ne dicam paucioribus paginis & plura & integriora tractari potuiſſe;

T 5 ceu

ceu experimento in Novellis Reip. literariæ fidem feci)-tum numerando eos qui de te conqueri poſſent, inter *eruditos inhabiles, literis, lectura, notitia rerum mundi deſtitutos, aliter opinione ſua ac cæteri cogitantes, & imaginata ſua veluti lumina ſibi ſolis* COELITUS *infuſa habentes*. Quæ omnia, etiamſi vera eſſent, nil tamen ad rem faciunt: non minus enim talium ſcripta fideliter & ſine truncatione ſunt referenda, quam ſcripta Doctiſſimorum Criticorum, qui omnia legerunt, exceptis iis quæ legere oportuiſſet; & qui omnia ſciunt, exceptis iis quæ ſcire oporteret, quique ipſi errores ſuos ſibi proprios valdeque exitiales appellant *(a) lumina ſibi a Deo data*, & *admirabilia media quibus providentia Dei utitur ad alios ab erroribus revocandos*. Quod me inter minus eruditos ſubinnuas, non modo non diſplicet; ſed & vere & ſincere profiteor, me Solidæ Eruditionis necdum verum adhuc eſſe diſcipulum: ſolum ut a miſerationibus & gratia Dei ad illius verum diſcipulatum diſponat & aſſumat, precibus enixe contendere animus eſt. Eruditionem autem tuam, omnibus exceptionibus tuis, ſententia quidem tua majorem, tibi non invideo. Equidem quid de ea ſentiam, jam nil opus eſt me hic edicere; at precor tantùm Deum, ut ab illa me & quoſvis bonos præſervet in æternum. Quid mihi ſit legendum aut ex rebus mundi cognoſcendum, non quæram ex iis Criticis, qui neſciunt ſatius eſſe paucos libros originarios & ſolidos legere, & paucos uniones lapideſque pretioſos ſervare, aut etiam ſæpius

(a) Enmet. p. 191. & 204.

ſecum

ſecum intus in intimis animæ receſſibus ſine omni apparatu externo vera & ſolida quærere & intueri, quam extus infinitas interpolationes & quiſquilias coacervare atque immenſos ſiliquarum acervos inſatiabiliter devorare. Quam legem ſi obſervaſſes, omnibus tuis magnis Epiſcopiis & Curcellæis, illuſtribus Hammondis, incomparabilibus Grotiis, Polonorum fratrum Bibliothecis immanibus innumeriſque ejuſmodi prætuliſſes vel unius veſtratis Hermanni Herberti aurea opuſcula, tibi, tanto Lectori, ne quidem, quantum conjicere poſſum, adhuc vel viſa; etſi ab eo viro omne, quicquid primi Remonſtrantes boni habuerunt, ita deſumſerint, ut ſine eo fuiſſetis nulli: quanquam nunc admirabilis hujus viri, primariæque originis veſtræ, non modo quaſi neſcii & immemores, ſed & ejus vere divinorum ſcriptorum & principiorum deſertores & adverſarii plerique videmini. Hunc ſolum ſi tu, Domine, qui de curioſa eorum cognitione quæ in toto orbe & geſta & chartis illita ſunt, etſi ad vos nequaquam pertinentia, videris gloriari, dum proxima tamen, dum interna, dum maxime domeſtica atque neceſſaria reſpuere videris; hunc ſolum, inquam, ſi cæteris prætermiſſis vertiſſes in ſuccum & ſanguinem, nec te ſane pœniteret olim, & vero nunc videre potis eſſes, vel una unius ſolida lectione plus profici quam infinitorum futilium continua abſorptione. Quemadmodum enim terra quotidie multifariis ſeminibus conſita nil ſolidi producere poteſt, ſic

anima mille recularum farraginibus quotidie conſperſa nil eruditionis ſolidæ productura eſt unquam: hæc enim pauciſſima lectione, copioſiore meditatione, ampliſſima vero atque continua oratione & praxi, nec non in ſeceſſu & ſeparatione a vanis ideis & rebus mundi acquirenda eſt. Sufficit ejus diſcipulo de mundo ut ſciat, *id omne quicquid*
(a) 1 Joh: 2: 16. *in eo eſt, eſſe (a) concupiſcentiam oculorum, concupiſcentiam carnis, & ſuperbiam vitæ*, & hæc perire cum illis qui ea magni faciunt & concupiſcunt, dum qui bene ſtuduit ut ſolum Deum & ſe cognoſceret in Chriſto, permanebit in æternum, etſi ad tempus ludibrio habitus ab inflatis mundanæ ſapientiæ tympanis, quorum mentes vano aëre chimærarum, nugarum atque quiſquiliarum periturarum repleri geſtiunt; at ut plenæ fieri poſſint Spiritu Chriſti æterno, id ludos ſuos faciant, & pro *Enthuſiaſmo* irrident, quem mihi a nonnullo diſputatore fuiſſe impactum, ipſe in Bibliothecæ tuæ Tomo poſt quintum neſcio jam quo, lætus, in medium adducis, nec non & in operis indiculo ſollicite annotas *Poiretum Philoſophum Enthuſiaſten juxta τὸν δεῖνα.* At pro tua in excerpendis fide omittis addere iſtius a me hic non nominandi antagoniſtam, cujus etiam libri reſponſorii contenta refers, illi reſpondiſſe, Poiretum unum in Philoſophicis, de quibus erat quæſtio, vel quindecim ſimilibus illius τοῦ *δεῖνα* eſſe præferendum: quod tuum illum Philoſophicum Enthuſiaſmum, quo mihi inſultare coram gaudebas, nec non tua ejus publicatione curare, ut

ut ab omnibus talis haberer (in quo te jam Hamburgenſes quoſdam graculos eſſe imitatos audio) deſtruxiſſet. Ego ſane ſi pulcherrimos titulos qui tibi a quam plurimis tributi ſunt, colligere vellem, quot quæſo paginas iſtis encomiis non replerem? Sed viles animas eſſe exiſtimo, quæ ſordes ab aliis dictas reſumere & recoquere ſatagunt. Atque ut ſcias quam parum tuæ iſti recoctioni veritatis ſubſit, confidenter te provoco ut mihi deſignes vel unum, qui unquam exactius & firmius, atque ego, Enthuſiaſmum omnem profligaverit a Philoſophia, nec non Enthuſiaſmum fanaticum a Theologia. Haud ignoras Philoſophos quoſdam, præcipue modernos, omnem actum naturalem voluiſſe pro Dei actu immediato haberi; rationem humanam, ejuſque ideas, imo extenſionem & figuras oculis perceptas, eſſe ipſum Deum, ejus lumen eſſentiale, ejuſque ſubſtantiam; & per iſta nos cum Deo ipſo commercium habere, & vero ſuaviſſima colloquia miſcere, quæ integris libris meditationum prodiderunt, & plura ſimilia, quæ verus Philoſophicus Enthuſiaſmus merentur dici, quæque ego a fundamentis in *Oeconomiæ* libro primo, a te lecto, nec non in Diſſertatione præliminari *Cogitationum de Deo*, Editionis ſecundæ, ſic everti, ut demonſtraverim rationem ſenſuſque nunquam eo pervenire poſſe, ut cum Deo ipſo commercium habeant; ſed tantum cum ejus picturis & imaginibus, quæ ſunt ex genere rerum creatarum. In Oeconomiæ vero Coo-

perationis Cap. IX. Theologiam & Chriſtianiſmum a fanatico Enthuſiaſmo ſic vindicavi, ut oſtenderim eos, qui perfecte ſibi corruptæque naturæ propenſionibus & motibus mortui non ſunt, de inhabitante & regente Spiritu Chriſti nec debere gloriari, nec ejus adhuc eſſe capaces. At vero per purificationem non debere eo a nobis adſpirari, nec poſſe Chriſtianos veros debite & vere fieri SPIRITUS CHRISTI compotes, nec eos eſſe *templum, tabernaculum, domum* DEI, CHRISTI, SPIRITUS SANCTI, *qui in eis inhabitet, maneat, vivat, regat, doceat,* ſic ut tandem *abundent & pleni ſint omni plenitudine Dei,* hoc, quod hodierni Pelagiani negant, niſi ſim impius & profanus irriſor Dei ejuſque promiſſionum & Scripturæ, cujus hæc ſunt verba expreſſa & promiſſa, non negavero unquam. Atque ſi hoc ipſum ſit quod per ludibrium appellent Enthuſiaſmum, idque per hoc verbum mihi exprobrent, ego Chriſtum cum ludibrioſo titulo opprobrio crucis expoſitum, non minus propterea cum titulo illo deriſorio, Regem & intimum animarum Rectorem & Dominatorem agnoſcam & amplectar, nec pudebit palam profiteri me Spiritûs ejus donationem, præſentiam, regimen in me efflagitare & vivide ſperare. *Etiam, Domine, in te ſperavi: non confundar in æternum. Veniat ſuper me miſericordia tua, Domine; ſalutare tuum ſecundum eloquium tuum. Et reſpondebo exprobrantibus mihi verbum; quia ſperavi in ſermonibus tuis. Da mihi lætitiam in ſalute tua, & ſpiritu tuo principali fulci me* modo: Tunc

non

non curabo ſi Enthuſiaſtis accenſear, veluti nec moror an mea hæcce verba ab irriſorum gente Deifuga pro Enthuſiaſmi motibus habeantur. O utinam ejuſmodi Enthuſiaſtarum, quorum plenum eſt cœlum, etiam terra eſſet plena, ut ſic *fieret voluntas Dei ut in cœlo ſic & in terra*, *deſcenderetque de cœlo ad nos a Deo nova Jeruſalem parata* donis Spiritus Chriſti, *ſicut ſponſa ornata viro ſuo*, *eſſetque tunc cum hominibus tabernaculum Dei habitantis cum eis*, *ita ut ipſi populus ejus eſſent*, *& ipſe Deus*, *Deus eorum cum illis & omnia in omnibus!* qualem tibi ſtatum inter eos, ex benevolo apprecor animo, pro eo, quod me abſurdum ab aliis haberi haud benevole velis, perperam ita meos erga te agendi modos non hic modo, ſed & alibi compenſans, quando (vera loquor nec ficta) apud nonnullos probos, quibus ob quædam opinione ſua irreverentius de rebus divinis & ſpiritualibus dicta & ſcripta multum male audiebas, effeci ut meliora de te crederent. Conſequentiis enim extremis non eſſe gravandos quotquot principiis quibuſdam errorum fœcundis ſunt impliciti: atque adeo, exempli cauſa, ſi qui Dei gratiam Spiritusque ejus internam operationem & inhabitationem non agnoſcant, eos, quamvis Deum veluti inefficacem fingant, Spiritumque Chriſti ſanctum habeant veluti pro mortuo & inerti trunco, qui vel non inhabitet membra corporis Chriſti, (hoc eſt, Chriſtianos veros) vel eis non communicet vitam & motum, nilque in eis operationum ſuarum produ-

ducat; non ideo exſiſtentiam Dei negare nec Spiritus ejus, etſi eam in ſe negent & a ſe arceant: quod non illis ſolis peculiare eſt, ſed commune eis omnibus, qui, quamvis iſta ore & judicio confiteantur & approbent, de facto tamen concupiſcentiarum impulſibus obſequentes, rejiciunt a ſe gratiæ atque ſancti Spiritus Dei operationes & præſentiam: qui practicus Pelagianiſmus eſt & Atheiſmus, isque generalior, quam ut multi ſe ab eo excipiant. Qua de cauſa nos oportet erga errantes agere multo quam ſoleant clementius; ſiquidem quæ illi idealiter & per theoriam, ea nos re ipſa & per praxin impugnamus omnes in nobis ipſis, ea propter coram tribunali Dei, juſte judicantis, errantibus eo damnabiliores, quo plura quam ipſi theoretica cognovimus. Quæ hic obiter dicere non piget, ne erratorum recenſione promoveatur potius errantium contemtus vel odium, quam erga eos dilectionis commiſerantis motus, nec non ipſorum propria emendatio: qua quantum inter alios opus habeas, in tuis illis præſertim relationibus quæ ſunt de materia cum tuis opinionibus non concordante, aut eas concutiente, poſtquam id meo exemplo hactenus oſtendi, tempus eſt ut & ſimilia in aliis tum recentioribus tum antiquioribus, dem ſpecimina nonnulla; unde condiſcant lectores quam parum tuis teſtimoniis modiſque ab aliorum Scriptis & veritatibus ſalutaribus pati debeant ſe abduci.

§. 7.

§. 7.

Oſtenditur aliquot exemplis, quantum fidei ſit habendum Dni Clerici relationibus.

Revera ad aperturam libri apud Bibliopolam forte inſpecti, & aliud agenti, occurrerunt exempla, quæ proponam, tria vel quatuor: nec alia volui præterea ſtudio quærere; neque enim credo pluribus ad hoc quod ſuſcepi confirmandum opus eſſe. a recentioribus lubet facere initium.

1. Scripſit Clariſſimus Vir quidam de Religionis Chriſtianæ veritate, ea dictionis nitiditate & perſpicuitate, ut ſi a te male referatur, obſcuritatem aut æquivocationem elocutionis, ut ſupra, prætexere nequeas; ea etiam moderatione, & argumentorum præſtantia, ut cum omnes habeat applaudentes, te ſolum iniquum niſi ob moroſitatem tuam, aut ob ſenſuum a tuis diſcordantiam, habere non debuerit. Interim tamen eum (ut ſoles fere omnes) ſemel atque iterum adortus es: & prima quidem vice (a) in tali materia ob quam quoſvis alios potius quam illum tangere potuiſſes. Secundâ autem, ut ei, Spinozæ objectiones contra Pentateuchi Scriptorem Moſen diſpellenti, contradiceres, ut (b) feciſti, ſed non impune. Is enim reſpondit tibi eo modo in libri ſui (c) editione altera, ut, quamvis moderatiſſime agat, non poſſit tamen non inde eluceſcere critices tuæ ſupra modum non ſolum

(a) Entret. p. 273.

(b) Sentim. let 6. p. 111.

(c) M. Abbadie de la Verité de la Rel. Chr. I. P. ch. 9. Edit. II.

lum incogitantia, abſurditas & temeritas; ſed, quod hic ad rem facit, mala etiam fides, dum & is (*a*) conqueritur, te ſibi imponere ea quæ ſua negat eſſe, quin etiam te (*b*) Scripturam ſacram, omiſſis & truncatis inde quæ tibi contraria ſunt, allegare, palam oſtendit.

(a) ibid. p. 267.
(b) ibid. p 280.

Sed tu inde infenſior factus, non cautior, quando tractatibus prioribus tertium de DIVINITATE JESU CHRISTI publice addidit Clariſſimus Auctor, tuque egregii hujus libri Epitomen (*c*) Bibliothecæ tuæ Univerſali inſerere voluiſti; id laudatis artibus tuis ſic exſecutus es, ut omnino ſtupendum ſit te non metuiſſe ne a lectoribus crederetur ſcopum tuum eſſe, hoc unum ipſis diſpiciendum relinquere, palmamne præripiat tuis in relationibus faciendis falſitas an malignitas. Non quæram hic, quare tam ſæpe infenſum te oſtendas iis, qui Socinianos errores ſolide refutant; vel cur illis quibus es infenſus te opponas ea ex parte qua *Socinianis* adverſantur: quod admodum imprudenter factum ab homine qui Socinianiſmi ſuſpectus, nollet eam de ſe ſuſpicionem confirmare. Neque meum faciam vindicare libri, de quo agitur, contenta a tuæ relationis corruptela. Sed ea tantum obiter annotabo, quæ ad ſcopum meum, de fide tuis relationibus & artibus habenda, conducunt. Conſtat illa tua relatio partibus quatuor, in quarum prima invidiam pro gratiis & laudibus auctori debitis ſuſcitare conaris: in altera falſam libro ejus materiam aſſignas: tertia orthodoxorum ſententiam

(c) Bibl. Un. 1689. p. 366. ad 379.

tiam irriſorio & ludibrioſo modo proponit: quarta quibuſque libri partibus imponit & falſa. Et prima quidem nititur ſola comparatiuncula, qua vis eos qui ſanam doctrinam proponunt, nec non eos qui falſa & noxia docent dogmata, comparari debere cum duabus pugnantium partibus, quibus & campus & favor utrinque æqualiter patere debeant, alioqui indecorum eſſe generoſo militi cum eo decertare cui non æque ac ipſi favetur, nec defenſio æque patet: quando tamen econtra, ex tota Scriptura patet, doctores mendacii, non militibus quibus ita favendum ſit; ſed ſeductoribus qui ſunt evitandi neque audiendi, aut etiam malarum herbarum ſeminatoribus, quibus invigilandum ne dum dormitur ſeminet inimicus, eſſe potius comparandos. In altera parte, quamvis Auctor expreſſiſſime (a) monuerit ſe *de ſola Divinitate* JESU CHRISTI *tractaturum*; *non autem de ejus incarnatione*, (ſive unione Divinitatis cum humanitate) *neque de SS: Trinitate, quandoquidem de iſtis ſeorſim & diſtincte agi poſſit*; tu tamen (b) illum introducis *tanquam alicui Sinenſi Philoſopho*, ut ſupponis, *librum ſuum offerendo, ſtatum quæſtionis* (c) explicantem de *tribus perſonis* Divinitatis deque *unione hypoſtatica ſecundæ perſonæ cum humanitate J. Chriſti*: ubi evidentiſſime omnibus notum facis, te libris, de quibus recenſes, materiam & ſubjecta ad lubitum ſolere imponere: ſed nempe ſine hoc jocis qui coram Philoſopho Sinæ de Orthodoxorum ſententia a te exhiberi debebant, locus non

(a) pag. 4.
(b) Bibl. p. 370.
(c) ib. p. 371, 372.

non fuiſſet. Hoc tertia relationis pars continet, ubi hominem ethnicum (egregium arbitrum rerum ſpiritualium, quæ, juxta Paulum, homini animali, Spiritum Dei non habenti, ſtultitia ſunt) in Judicem conſtituis ſententiarum orthodoxarum, ad ſequentes quæſtiones a te reductarum. 1. *An in Deo ſint tres diſtinctiones, quarum tamen nulla habetur idea; & inter quas certæ ſint relationes, quarum etiam nulla habetur idea? 2. An ſecunda ex his diſtinctionibus incognitis unita fuerit humanitati J. Chriſti modo pariter incognito?* Ubi præter repetitionem materiæ falſo ſuppoſitæ, nemo non videt, myſteria divina iis modis a te exprimi, qui riſum non ethnicis aut profanis ſolum, ſed etiam omnibus aliis moveant. Atqui ut ſincere ex Auctoris mente ſtatus quæſtionis recte fuiſſet expoſitus, ſic " dicendum erat: An illi qui agnoſcunt Deum " eſſe omnipotentem, incomprehenſibilem " & veracem, ſe vero tenuiſſimi captûs & " ne pili quidem naturam capientis, vermi-" culos, quique præterea agnoſcunt aliquem " librum, puta Scripturarum codicem, eſſe " a Deo prolatum: non debeant, quando " liber ille teſtatur Deum ipſum ad nos ve-" niſſe, eumque eſſe qui locutus eſt nobis, " nos docuit, vixitque inter nos cum certo " corpore certaque anima, &c. id ipſum cre-" dere, etſi id quomodo factum ſit non ca-" piant; an vero id rejicere ea de cauſa, quod " id non comprehendant? Item de SS. Tri-" nitate, (ſi de ea fuiſſet agendi locus) An illi " iidem, inter quos de Dei incomprehenſi-

" bilitate,

“ bilitate, ſui ipſorum captûs tenuitate, Scri-
“ pturarumque Divinitate conſtat, non de-
“ beant, Scripturis teſtantibus Ternarium
“ quoddam Sanctum in Deo dari, id ipſum,
“ etſi non perceptum, credere; aut vero id
“ negare, & Scripturarum verbis vim inferre,
“ ideo quod id non comprehendant? Atque hinc certum eſt vel Sinenſes ipſos ſententiam dicturos contra omnes quotquot hæc negabunt, poſtquam de principiis dictis convenerint, maxime vero quando hi negantes fatebuntur ſe Spiritu Dei præditos non eſſe, neque ſe ejus gratia, illuminatione & operatione interna opus habere, dum tamen ille liber, quo nituntur, dicit ſine Spiritu Dei ea quæ ſunt in Deo concipi non poſſe, nec non ea ſine eodem videri debere non falſa ſolùm, ſed & ſtulta & abſurda: quæ ipſiſſima ratio eſt, cur iſti gratiæ internæ negatores dicant ſe divina illa myſteria nolle admittere. Sed de hoc articulo ſatis. In quarta parte relationis, cætera quæ huc nil faciunt ne tangam, ubi Sectionum libri materiam refers ſpecialius, ter vel quater imponendo inculcas, ad argumentorum vel concluſionum Auctoris agnitionem vel admiſſionem, *debere ſupponi veras eſſe interpretationes Scripturæ ab eo allatas*: qua in re eodem prorſus agis modo ac ſuperius, cum dixiſti, me promiſiſſe demonſtrationes modo ſupponantur lectores eas cum fide recepturi: aut velut ſi cui demonſtrationes mathematicas offerenti, opponeretur a cavillatore aliquo, agnoſcendum utique eas eſſe veras, modo ſupponantur bene ex principiis deductæ. Atqui

hoc

hoc non ſupponitur; ſed in ipſis demonſtrationibus id continetur & probatur, veluti in argumentis Auctoris Clariſſimi non ſupponitur, ſed probatur Scripturarum ſenſum talem eſſe atque ab ipſo proponitur: quod de ſubſtantia totius Operis a me lecti teſtari poſſum ita eſſe.

2. In libro, *Entretiens ſur diverſes matieres de Theologie*, cujus partem primam etſi non a te compoſitam, ut tamen a te editam & tuis principiis conformem in præfatione approbas, citatur aliquoties (*a*) Voſſius, veluti peccati Originalis probationibus juxta mentem veſtram adverſans; aut objectionibus quibus id concutiatur, favens: imo exſtat (*b*) Objectio ſequens, quam dicitis *ab ipſo relatam, nec tamen ſolutam. Adamus ſuum poſteritati peccatum tranſmittere nequivit niſi tanquam cauſa aut moralis, aut phyſica & efficiens: non enim datur medium. Atqui id non potuit*, &c. deinde eam excuſare conamini (*c*) *a mala fide, quod ita cauſam ſuam prodiderit*. Quis non credat vobis loca libri citantibus, ubi hæc ita reperienda ſint? Ego ſane ita id eſſe credideram. Sed mihi aliquando neſcio quo caſu Voſſii librum pervolventi, incidit memoria hujus loci, quem quæſivi, & ecce, reperi non ſine admiratione Voſſio indigne a vobis imponi. Namque Voſſius in loco a vobis citato, tantum abeſt ut *cauſam ſuam nil reſpondendo prodat*, ut eam econtra confirmet ſolide. Inſuper ſpecialiſſime dictum argumentum duobus modis bene ſolvit, expreſſe dicens: (*d*) *Adam id*, tranſmiſſionem

(*a*) Entret. p. 181.

(*b*) ibid. p. 195.

(*c*) ibid. p. 196.

(*d*) Voſſ. Hiſt. Pelag. lib. II. part. 3. Theſ. 1. pag. 221. edit. ſec.

ſionem peccati ſui ad poſteros) *moraliter operari: quatenus nempe per actum moralem ac liberum ſibi ac poſteris meritus eſt privationem juſtitiæ originalis. Quanquam autem Adam directe non phyſica, ſed ſolum moralis ſit originalis peccati cauſa; tamen indirecte etiam phyſica ejus cauſa dici poteſt, quatenus nempe eſt realis cauſa illius cauſæ ad quam privatio juſtitiæ conſequitur.* Ecce, quam aperte duobus modis declaret contrarium ejus quod ipſi attribuebatis!

3. In dicto tuo libro, nec non paſſim in aliis, ſæpiſſime tribuitis Eccleſiæ primitivæ, ejuſque Doctoribus, corruptionis nativæ omnium qui naſcuntur ignorationem; cujus corruptionis aſſeverationem Auguſtino ſoli (quia forte primus termino *peccati originalis* uſus eſt, primuſque rem ex profeſſo & veluti ſyſtematice tractavit) ita adjudicatis, (*a*) ac ſi is rem ipſam, incognitam prius, excogitaviſſet primus: qua in re tam Eccleſiæ primitivæ quam Auguſtino falſum profecto impingitur. Et ne quis de hoc dubitet, legatur, ſi placet, Voſſius in hiſtoria Pelagiana, vobis aliquoties citata, (*b*) ubi is viginti tres paginas teſtimoniis Veterum Auguſtino priorum hac de materia replevit ad occaſionem & probationem hujus ſuæ theſeos. *Probat hoc dogma Auguſtinus e ſcriptis priorum Patrum, quorum luculenta adeo teſtimonia depromit, (nec minus illuſtria ſunt quæ præteriit) ut plane ſit mirandum vel olim fuiſſe, vel hodie inveniri qui hanc doctrinam Auguſtini eſſe commentum putent, atque id porro aliis perſuaſum velint.* Dein poſtquam huic exprobrationi a Pelagianis Auguſtino

(*a*) Vid. Entret. p. 115. 116. 124. 125. 127, &c.

(*b*) Lib. II. part. 1. theſ. 6. p. 158. &c.

guſtino factæ, eum *originale peccatum confinxiſſe*, Auguſtinum ſic reſpondentem citaſſet: *Non ego finxi originale peccatum, quod Catholica fides credidit antiquitus; ſed tu, qui hoc negas, ſine dubio es novus hæreticus;* pergit Voſſius, & allegat in dicti fidem e Græcis Ignatium, Juſtinum, Tatianum, Irenæum, Origenem, Methodium, Macarios duos, Athanaſium, Cyrillum, Baſilium, Gregorium Nazianzenum, Iſychium, Chryſoſtomum, nec non ex Auguſtini coævis aut qui eum ſecuti ſunt aliquot alios: e Latinis autem producit Tertullianum, Cyprianum, Arnobium, Reticium, Olympium, Hilarium, Ambroſium, Optatum Millevitanum, Prudentium, Hilarium diaconum, Hieronymum; quæ agmina hac quæſtione Vincentii Lerinenſis claudit: *Quis unquam ante profanum illum Pelagium tantam virtutem liberi præſumſit arbitrii, ut ad hoc in bonis rebus per actus ſingulos adjuvandum neceſſariam Dei gratiam non putaret? Quis ante prodigioſum diſcipulum ejus Cæleſtium reatu prævaricationis Adæ omne genus humanum negavit adſtrictum?* Interim tamen hæc viſa & lecta non impediunt quo minus per te & ſocios omnibus perſuadeatur, (*a*) *nil magis diſtare a fide totius Eccleſiæ Auguſtinum præcedentis, quam credere, uti ille, omnes generaliter & æqualiter eſſe corruptos per peccatum Adæ:* eumque eſſe primum qui hanc doctrinam e *Schola Manichæorum* in medium produxerit.

4. Similia de gratia Dei neceſſaria & intus operante (*b*) tribuis tum Eccleſiæ, quaſi hæc eam ante Auguſtinum ignoraſſet; tum Augu-

(a) Entret. p. 115, 116.

(b) Entret. p. 345. 346. p. 358. 365.

Auguſtino veluti qui ejus primus auctor eſſet: quod quam falſo utriſque impoſitum ſit, demonſtrat Voſſius (a) enarratis in eodem libro quam plurimis Latinorum & Græcorum Patrum teſtimoniis.

(a) Voſſ. Hiſt. Pelag. L. III. part. 1 & 2. maxime a pag. 278. ad 304.

§. 8.

De D. Cl. in Sanctiores Patres, Auguſtinum præſertim, invectivarum continuarum cauſis, fide & æquitate; deque genio ejus irriſorio.

Non jam neceſſe crediderim plura ut adducam exempla, quibus pateat quantum tibi poſthac de aliorum mente aut ſcriptis referenti credendum ſit: ea enim ob copiam tædioſa nimis eſſent; ob ſuperfluitatem vero etiam inutilia. Sed patere, quæſo, ut illuſtre magni Auguſtini exemplum, nec tædio nec diſpendio futurum adducam, in quo & ſimilia & multo plura peccare geſtis quam in aliis quibuſcunque, idque modis, ut mihi quidem videtur, omnino inhumanis, quibus ſanctiſſimum Eccleſiæ Præſulem, eo quod per ejus doctrinam amor tuus noſterque propriusſuperbiaque cordis propria, vulnerentur & impugnentur, atrociter inſectaris & exagitas, hinc inde in ſcriptis tuis, atque ludibrio omnium ſic exponere ſatagis, ut paſſim audiat *Manichæus converſus, a Manichaiſmo male ſanatus, peſſimus Scripturarum interpres, declamator quicquid in buccam venit effutiens, ſomniator perpetuus*, & alia ejuſmodi dicteria eouſ-

que inſolentiæ graſſantia, ut etiam carmina Italica(*a*) in ejus dedecus dictites: qua quidem occaſione tum artes illa tuæ, multis hactenus documentis oſtenſæ & laudatæ, porro magis magiſque apparebunt; tum ego aliquid inſuper de irriſoria tua methodo ſpecialius poſtmodum *concionabor*. Ita enim moralia & practica, quæ quandoque ſcriptis meis interſero, interdum ſoles, ut noſti, irriſorie coram aliis appellare.

(*a*) Entret. p. 369.

Tria ſunt in Auguſtino quæ palato tuo haud penitus arrident: 1. doctrina de corruptione noſtra originaria, 2. doctrina de gratiæ divinæ intus operantis neceſſitate, 3. de hujus gratiæ paucis impertiendæ, aliis vero non dandæ particularitate, ejuſque irreſiſtibilitate, ſive de prædeſtinatione abſoluta & particulari: quæ ſingula nil opus eſt hic exactius referre. Et quidem horum primum atque alterum amori proprio ſuperboque non poſſe non eſſe inviſa, nil opus eſt ut moneam: at quotquot ſe ipſos odiſſe & deprimere amaverunt, de hiſce non modo ſemper conſenſerunt, ſed & ea pro fundamentis fidei & ſpei ſuæ non dubitaverunt aſſumere. Nam quis Deo fidat niſi ſibi ipſi diffidat? & quis ſibi diffidat, niſi fundi & principii ſui impotentiam & corruptionem agnoſcat? Porro quis ſe ſuaſque animæ facultates, deſiderium, intellectum & cæteras confidenter das tradat Deo, niſi eum intimorum animi opitulatorem ſolum, adeoque neceſſarium internarum ſanationum effectorem agnoſcat? Tertium autem aſſumſerunt quidam alioqui Orthodoxi, eo inducti, quod libertatis idea

vera

vera carentes, timuerunt ne ſi in libertate hominis conſtituerent gratia potiri vel non, ſalvari vel non, ſequeretur inde hominem ſalutis ſuæ cauſam eſſe, & divinæ gratiæ dominatorem: quod ut amoverent, ceu primæ atque ſecundæ veritati modo dictæ adverſum, nec non amori proprio ſuperbiæque hominis favens, docere maluerunt gratiam qua ſalvamur ſic a Deo pendere, ut, cum contingat ea non omnes ſalvari, Deus eandem quoque neque dederit, neque voluerit dare omnibus; ſed nonnullis tantum, qui ea infallibiliter ſalvarentur: atque hoc e principio amoris Dei, (quo ſolam ejus gloriam intendebant,) ex odio autem amoris proprii atque ſuperbiæ, (quo omnem gloriandi anſam homini præripere volebant,) defenderunt. Cæteri autem Orthodoxi in hanc non iverunt ſententiam; ſed quæ aliis difficultatem movebant, cum ipſi ſolvere ſibi viderentur, ac præterea putarent Dei amorem magis promoveri, & homines inde potentius ad eum impelli, ſi docerentur gratiam divinam omnibus quidem offerri, at liberum eſſe cuivis eam admittere, aut ſecus; hanc doctrinam quoque amplexi ſunt, non ſolum ante, ſed & poſt Auguſtinum, uti videre eſt e teſtimoniis Patrum apud (*a*) Voſſium, & hodie in Eccleſiæ Romanæ maxima parte apparet. Aſt qui ſuperbiæ & amoris proprii cauſam agunt, non modo ex his principiis veritatum harum primam & alteram, Auguſtino cum primæva Eccleſia communes, impugnarunt; ſed & in tertia voluerunt voluntque videri ſenſui quidem

(*a*) Hiſt. Pelag. Lib. VII. part. 1. & 2.

Auguſtini adverſi, cum aliis verò orthodoxis conſentientes: quod fallax ſolummodo larva eſt. Nam quid ad eos particularitas aut univerſalitas, reſiſtibilitas aut irreſiſtibilitas gratiæ Dei internæ, qua interiora noſtra ſanantur, vivificantur & reguntur; quando ipſi aliam gratiam ſuperficiariam & fucatam cordibus ſuperbis & corruptis, (univerſaliter & reſiſtibiliter, an ſecus ipſi viderint,) incruſtandam, ſubſtituunt & intelligunt? Sic itaque ſententiam de Gratia Univerſali non ſenſu orthodoxo nec ex principiis orthodoxis defendunt. Nempe, non ex humilitate intima & ex ſolo ſtudio divinæ gloriæ dicunt aut docent, Dei gratiam ſalutarem omnibus offerri, ut ſi velint eam non quidem cauſentur, ſed ſinant in ſe intrare, quo illa operationibus ſuis intimis eos illuminet, ſanet, perficiat: verum ex ſuperbia, quæ non vult reprobari, ſed amari; & ex amore proprio, qui non vult damnari, ſed ſalvari, docent, Deum omnes homines amare, eoſque externis mediis ſalvare velle, quæ ipſi ſuperbi ſuique ipſorum intimi amatores, ſine ſui odio, abnegatione, miſeriæ agnitione, Dei intimo auxilio, optime adhibere poſſint, & ita de ſalute ſuperbo amori ſuo danda ſibi gratulari. Quæ ſane gratiæ Pelagianæ Univerſalitas Auguſtiniana prædeſtinatione & gratia particulari multo eſt deterior: hæc enim cum fundamentis fidei ac ſpei adhuc ſtare poteſt, imo & in anima ſancta ineſſe, quod alicubi (a) de Auguſtino oſtendi: illa verò & fundamenta fidei modo dicta diruit; & Deus porro, ſi ſuperbos

(a) Oecon. VI. ch. 7. n. 15, 16. & Tom. VII. p. 277.

perbos & philautia captos ſalvaret, Diabolorum (abſit blaſphemia) fieret ſocius, quod jam plus eſt quam, quem Auguſtino moderni objiciunt Pelagiani, Manichæiſmus: ſiquidem Manichæi principia oppoſita duo, boni & mali, nunquam concilianda ſtatuebant; hîc verò reconciliari poſſent. Quoniam autem Auguſtinus, cum Eccleſia Catholica in fundamentis de corruptione & gratia conſentiens, diſſentiebat tamen in tertio illo quodam minus præcipuo, Pelagiani autem, qui duo prima fundamenta concutiunt, in tertio cum prioribus pleriſque aliis orthodoxis de univerſalitate gratiæ & libertate ad eam quoad ſpeciem & denominationem ſolùm conſentiunt, non autem quoad rem, quæ in utriſque eſt diverſiſſima; hi propter hanc ſpeciem ſolam, fallacem & ſemiverbalem, fallaciſſime ſe cum Catholicis primis in omnibus componunt, & poſtea ſe Auguſtino opponentes in omnibus, Eccleſiam primitivam, cum qua ſe fallaciter compoſuerant, adducunt velut a ſuis partibus ſtantem contra Auguſtinum, quem, quia is ſe per doctrinam de corruptione hominis & gratia Dei, oppoſuit ſuperbiæ Pelagianæ & amori proprio, horribiliter propterea inſectantur & traducunt, quo de eo aperte, deque omni puriore ante eum Chriſtianiſmo implicite vindictam ſumant in perſona Auguſtini, eum idcirco confuſe & omnis generis artibus inviſum omnibus reddere allaborantes. Atque niſi poſt generale & nativum corruptæ naturæ contra veritatem odium, de quo ſupra, haſce ejuſdem odii tui in Auguſtinum ſpeciales cauſas in te agnoſcas,

V 3 oran-

orandus eſt Deus interiora tua tibi ut aperiat; in libellis enim tuis, iis præſertim quos in Simonium (a) ſcripſiſti, quæ modo dixi omnia ſe plus ſatis talia produnt: quæ non ex charitate veritatis, ſed ex affectibus & odio irriſorio teſtentur ſe emanare.

(a) Sentimens Epiſt. 16. p. 357, &c. Defenſ. des Sent. Epiſt. 14. p. 367.

Quod ſi enim ex charitate cum eo ageres, immenſæ quæ in anima Præſulis ſancti erant, vel hoſtibus non renuentibus, virtutes, præſertim quæ omne ferunt punctum, Dei proximique amor cum profundiſſima humilitate, tibi millies plus erant ubique laudandæ, quam exprobrandus unus aut alter nævus nec voluntarius & ei incognitus: errata enim ſi quæ ſua cognoſcebat, nedum retineret, aut excuſaret vel defenderet, deplorare ſolebat, & publico etiam ſtylo coram Deo & hominibus ea mentis ſinceritate iiſque modis confiteri, ut ſentire poſſint qui audiunt, in ſanctiſſima anima non fuiſſe dolum. Tu tamen ad hæc non attendis, neque ad infinitas & ſalutares veritates a ſancto Doctore ad promotionem Amoris Dei & virtutum Chriſti prolatas: ſed aranearum mos videtur magis arriſiſſe, vel ex floribus venena legentium. Locos aliquot conjectas communes, ut pietatem Veterum in ſuſpicionem adducas quaſi aliter ſcripſerint, aliter vixerint: ſed quæ cum S. Auguſtino, cujus vitæ bona & mala omnia ab amicis & inimicis, imo & a ſe ipſo (omnium ſibi maxime inimico) diſcuſſa & publicata ſunt, prorſus non quadrant: dein ubi aliquod ſphalma tibi in eo deprehendiſſe videris, nedum eo moderamine

agas

agas quo in Grotio aut Hammondo tuo, ſimilia interdum annotas, ut ne quidem, velut propriæ infirmitatis conſcius, modum illius hypocritæ in Euangelio, monentis fratrem modeſte de feſtuca cum trabs ei oculum premeret, in tuis caſtigationibus obſerves; ſed veluti oblitus mandati Dei, quo parentes, hoc eſt, & Seniores etiam, & canos capillos, & qui in Eccleſia Dei cæteris in Chriſto inſtituendis præfuerunt, atque jam in pace cum Deo requieſcunt, honorare tenemur, æmulusque facinoris Chami, qui venerandi patris nuditatem cæteris irridendam enunciabat, (unde ipſe cum poſteris maledictus eſt,) ſoles modo ſanctorum Patrum nuditatem (ſi quæ forte eſt) toti mundo cum ſarcaſmis annunciare & publicare; ſed & eam ſæpe quæ non eſt, effingere, & quoſvis ad eam videndam provocare, ad quam cum ventum eſt, eam (ſi fieri poſſit) tegendi gratia, nulla apparet, ſed potius contrarium.

Exempli gratia, nemo eſt eorum qui leget quæ de Auguſtino ſcripſiſti in libro ad marginem (a) deſignato, a pag. 366 ad 371, qui non putet S. Auguſtinum ea fuiſſe mentis crudelitate & *inhumanitate*, ut crediderit & *docuerit* licitum eſſe orthodoxis hæreticos aut errantes cogere ad ea quæ ſunt contra *lumen conſcientiæ ſuæ* circa OPINIONES quas fovent; idque per vim, & quidem eos vel *morte afficiendos dum creduntur eſſe in ſtatu damnationis, ut quemadmodum videtur, horribilis quædam voluptas ex damnatione iis procurata, capietur.* Niſi hanc Auguſtini ideam ex textu tuo, qui

(a) Defenſe des ſentimens des Theol. de Holl.

p. 369. 370.

longior eſt & artificioſior, lectores quicunque efforment, eorum cuivis in me judicio ſubſcribam. Ipſemet conceptis verbis ais, ex ejus doctrina ſequi, *potentiorem quemque jus habere perſequendi alios, & prout quiſque de ſuis* OPINIONIBUS *perſuaſus eſt, creditque alios errare; ita in conſcientia tenebitur eos perſequi.* Ap-
(a) 2. 367. pellas item ejus doctrinam (*a*) *abominandam.* Ais, *Subtiliſſimum omnium Patrum tranquilla mente promulgaſſe omnium doctrinarum, de quibus unquam inter homines auditum quidem ſit, inhumaniſſimam*; & talem (in fine epiſt. tuæ) agendi morem ei tribuis, ut tibi ipſe quaſi ſuccenſeas, quod de eo non *minori cum reverentia ſis locutus.* Eouſque igitur tua in illum procedit malevolentia, ut per te non ſtet, quin tanquam immanem, ſanguinariam & Diabolica malitia repletam animam totus mundus Auguſtinum horreſcat & abominetur.

Atqui hæc nec in mente nec in ſcriptis Sanctiſſimi viri exſtare, neque ex eis conſequi, ſed meras eſſe in illum invectivas, calumnias & impoſturas, advertere poteſt quiſquis eas, quas ex Epiſtola quadam ejus ad Vincentium allegaſti, lacinias legens, obſervabit lecta tota ejus Epiſtola, aliiſque ejuſdem argumenti, omnia quæ ille de certis quibuſdam ſubjectis & materiis dixit, te ad diverſa prorſus ſubjecta detorquere, quæ (arte tua) ſubſtituis illis de quibus apud Auguſtinum erat quæſtio. Nam apud illum cum Donatiſtis agentem, neutiquam agebatur de rebus (*b.*) fidei ſive de articulis qui concernerent

(*b*) Vide quæ circa

rent

rent credenda ad ſalutem, neque igitur, ut quis adea ullo modo, multo minus mortis ſupplicio, cogeretur credenda. Sed ibi quæſtio eſt de præſtanda externa obedientia Superioribus in rebus diſciplinæ, deque conſervanda pace, circa rem facti & perſonalem a judicibus legitimis, quos ipſæ partes (Donatiſtæ) petierant, imo & a ſumma poteſtate deciſam & juſſam. Ad quam obedientiam a Poteſtatibus refractarios potuiſſe cogi, idque etiam pœnis, ſi pertinacem rebellionem ſceleribus & homicidiis & furioſis cædibus & ſævitia defendant, nemo, niſi ſceleris propugnator, negare audebit. Atqui ſic res ſe habebat cum Donatiſtis, de quibus Auguſtinus. Non erat Secta de rebus fidei diſceptans, & a Catholicis circa has diſſentiens; ſed erat turba nefarie rebellantium in ſuos Præfectos, quibus quoad externa ſubjici recuſabant. Epiſcopo, Superiori ſuo legitime electo, debitam in externa diſciplina obedientiam negant, eum rejiciunt, alium ſeditioſe conſtituunt, poſtulant judices quorum ſe ſubjiciant ſententiæ; renuunt ſententiæ ſubjici: alios bis & ter poſtulant quorum ſtetur deciſioni: deciſionem Judicum toties rejiciunt: Cæſarem appellant, ejuſque ſententiæ quæ ad pacem tantum & obedientiam externam erat, non autem ut creditos ullos articulos immutarent, nuntium mittunt: inſurgunt odio in omnes totius orbis cœtus, & inobedientiæ ſuperaddunt tumultus, ſeditiones, furores quoſvis, perſecutiones, homicidia & cædes, etiam Epiſcoporum & Presbyterorum, incendia aliaque tragica &, horren-

hæc fuſius annotavit D. Claude in Parte III. cap. 4. Defenſe de la Ref.

Vid. Epiſt. Auguſt. ad Bonifacium, quæ eſt 50. in Edit. Altorf. in

410.1668 ubi tota hiſtoria diductè narratur. renda. A quibus ſi qui eorum reſipiſcere & ad obedientiam redire volebant, ipſi & domus eorum funditus a ſociis ſuis evertebantur: adeo ſeſe ad pacem & frugem nolebant redigi, & vero tum ſe ipſos, tum Eccleſiam totam ſuis furoribus & perſecutionibus perturbabant. Hic tandem inter Catholicos Epiſcopos quæſitum eſt, Num adverſus immanes iſtos perturbatores imploranda eſſent Imperialia Edicta ut ad ordinem ipſi compellerentur? Auguſtinus, qua erat indolis manſuetudine, negabat aliis hic mediis utendum quam monitis & patientia adverſus illos: cæteri Epiſcopi cenſebant Chriſtianorum Imperatorum leges atque auctoritatem eſſe interpellandas: & hoc factum eſt. Interveniunt ergo, imo præveniunt, quæ immanem inobedientiam & rebellionem coërceant Imperiales leges, non de capite; ſed quæ bona ſolum aut quorundam exilium reſpiciunt: non quæ cogant immutare fidem, ſed quæ jubeant, rebellioni valedicerent, & in concordiam cum illis redirent, quibuſcum jam antea una fides. Hæ leges effectum optatum, redactionem in concordiam, in omnibus fere ſortiuntur. Id ex eventu probat Auguſtinus, & mutat priorem ſuam ſententiam, qua antea opinabatur, refractarios iſtos non niſi verbis Paſtorum, non autem juſſis & pœnis Poteſtatum ad ordinem & obedientiam externam compelli poſſe. Quid hic Auguſtino poſſit vitio verti? Quid huic ſententiæ cum illa immani, quam ei imponis, intercedit, niſi forte quædam voces, (dum quandoque ſchiſmaticos & refractarios

dicit

dicit *hæreticos*, & obedientiam æquitatemque, *veritatem* vel forte *fidem*, unde res fidei cum rebus diſciplinæ ab incautis forte confundi poſſent,) cum ſubjecta & cauſæ nec non & effecta ſint diverſiſſima? Et revera nullum ex omnibus Patribus eligere poſſes, cui minus illa de immanitate crudelitateque mentis & doctrinæ impingi poſſet accuſatio: præ cæteris enim omnibus relucet in eo ſcriptiſque ejus ſingularis omnino Spiritûs Chriſti manſuetudo & cordis humilitas incomparabilis. Quin eouſque Sanctus Vir abhorruit ab infligendis pœnis atque a ſanguine fundendo, ut etſi Donatiſtæ ob cædes commiſſas ejuſmodi pœnis ſe obnoxios reddiderant, eum tamen Interceſſorem potentiſſimum habuerint, nedum videndus ſit *gaviſus morte aut damnatione pereuntium*, juxta inanem ſuſpicionem tuam. Ecce quæ ad Proconſulem Africæ Donatum ſcribit: (a) *Pertimeſcimus..... ne tu pro immanitate facinorum, ac non potius pro lenitatis Chriſtianæ conſideratione, cenſeas* [malum a Donatiſtis Eccleſiæ illatum] *coërcendum: quod te per* JESUM CHRISTUM *ne facias, obſecramus. Neque enim vindictam de inimicis hac in terra requirimus, aut vero ad eas anguſtias animi nos debent coarctare quæ patimur, ut obliviſcamur quid nobis præceperit pro cujus veritate ac nomine patimur, qui diligimus inimicos noſtros, & oramus pro eis. Unde ex occaſione terribilium Judicum ac legum, ne in æterni judicii pœnas incidant, corrigi eos cupimus, non necari; nec diſciplinam circa eos negligi volumus, nec ſuppliciis quibus digni ſunt exerceri. Sic igi-*

(a) Epiſt. 127. Edit. Altorf.

igitur eorum peccata compeſce, ut ſint quos pœniteat peccaſſe. Quæſumus igitur ut cum Eccleſiæ cauſam audis, quamlibet nefariis injuriis appetitam vel affectam eſſe cognoveris, poteſtatem occidendi te habere oblivіſcaris, & petitionem noſtram non obliviſcaris. Non tibi vile ſit neque contemtibile, fili honorabiliter dilectiſſime, quod vos rogamus ne occidantur pro quibus rogamus Dominum ut corrigantur, excepto etiam quod a perpetuo propoſito recedere non debemus, vincendi in bono malum. Illud quoque Prudentia tua cogitet, quod cauſas Eccleſiaſticas inſinuare vobis nemo, præter Eccleſiaſticos curat. Proinde ſi occidendos in his ſceleribus homines putaveritis, deterrebitis nos, ne per operam noſtram ad veſtrum judicium aliquid tale perveniat: quo comperto illi in noſtram perniciem licentiore audacia graſſabuntur, neceſſitate nobis impacta & indicta, ut etiam occidi ab eis eligamus, quam eos occidendos veſtris judiciis ingeramus. Hanc admonitionem, petitionem, obſecrationem meam, ne, quæſo, aſpernanter accipias. Adde & locum de iiſdem (Grotio (a) laudatum) ad Marcellinum Tribunum: (b) *Mihi ſollicitudo maxima incuſſa eſt ne forte ſublimitas tua cenſeat eos tanta legum ſeveritate plectendos, ut qualia fecerunt, talia patiantur. Idque his literis obteſtor fidem tuam, quam habes in Chriſto, per ipſius Domini Chriſti miſericordiam, ut hoc ne facias, nec fieri omnino permittas*, &c. Tota legenda eſt ardentiſſima interceſſionis Epiſtola: uti & illa ad Apringium Judicem tota, quæ ſic concluditur: *Contende ergo bonitate cum multis. Illi ſcelere immani membra de vivo corpore avulſerunt;* (exoculaverant

(a) De Jur. belli L. II. c. XX. §. 36.

(b) Epiſt. 159.

verant truculenter Catholicos nonnullos Donatiſtæ) *tu opere miſericordi effice ut illa quæ nefandis operibus exercebant, alicui utili operi eorum membra deſerviant. Illi non pepercerunt correctionem ſibi prædicantibus Dei ſervis; tu parce comprehenſis, parce ductis, parce convictis. Illi impio ferro fuderunt ſanguinem Chriſtianum; tu ab eorum ſanguine etiam juridicum gladium prohibe propter Chriſtum. Illi miniſtro Eccleſiæ occiſo, extorſerunt ſpatium vivendi; tu inimicis Eccleſiæ viventibus relaxa ſpatium pœnitendi. Talem te oportet eſſe in cauſa Eccleſiæ Judicem Chriſtianum, petentibus, monentibus, intercedentibus nobis*, &c. Infinita ejuſmodi allegari poſſent, niſi hæc ſufficerent ad animam mitiſſimam glorioſamque famam Sanctiſſimi Viri a crudeli calumnia ei impoſita vindicandam. Cui magis obnoxius eſſet Eraſmus (nulli tamen unquam de crudelitate ſuſpectus) quando illas in Donatiſtas leges exſequendas, mitiores cenſuit eſſe ac per erat; habetque ſecum conſentientem, cujus indulgentior animus ad ipſas quoque Sagas peſſima clementia extenditur, (*a*) Wierum. Sed inquis, *Laudavit* Auguſtinus *leges capitales in ſacrificia Paganorum.* Iterum ſtatus quæſtionis immutatur. An laudavit Auguſtinus leges quaſdam jubentes ut Pagani occiderentur propter *opiniones* ſuas, etiam eas de ſacrificiis, niſi *ſenſa* ſua vellent immutare aliaque & amplecti & teſtari *contra lumen conſcientiæ*? Nequaquam: ſed laudatas fuiſſe ab omnibus ait leges vetantes ſub pœna capitali externa exercitia ſacrificiorum paganorum, in

(*a*) Wierus. de præſtig. dæm: Lib. 6. cap. 18. Et apud eund. ibi. Eraſmus, cujus citatur verbotenus Apolog. ad Alphonſ. Manric. Archi-Epiſc. Sevill. quæ exſtat in Tom. IX. operum Eraſmi.

in quibus quippe infinita inerant, quæ contra jus dictamenque ipſum naturæ, bonos mores civilemque etiam ſocietatem pugnabant, ut mirum ſit, niſi Satanas hominum oculos occœcaſſet, hæc ab ullis potuiſſe unquam tolerari. Litabatur Diis, in quibus omnium ſpurcitiei vitiorumque moribus honeſtis adverſantium exempla proſtabant & laudabantur. litabatur fœdis & horrendis ceremoniis, & humano quoque ſanguine, nec ſortilegia maleficiaque aberant omnis generis: quæ cum ab ipſis etiam ethnicis capitali lege prohiberi debuiſſent, cur non a Chriſtiana Poteſtate, quando rerum potiebatur, & lux veritatis omnia detexerat, potuiſſent EXTERNÆ ILLÆ & morum corruptrices ACTIONES prohiberi ad deterrendos ab ejuſmodi tetris factis animos? non enim ad exſecutionem, ſed ad terrorem revocationemque a malo promulgatæ fuerant (ut ſæpe ſolent) dictæ leges, quæ (quicquid de tuo in contrarium dicas) ab Auguſtino ejuſque coævis non niſi eatenus (juxta principia ſua modo viſa) probabantur. Quod ſi & illud tibi diſpliceat, non mirum. Diſplicent enim & ſacræ Literæ, quando aliquid declarant captui tuo adverſans: & tunc tribuis corruptis affectibus effata eorum, qui divina ipſa exararunt, velut illud Pſ. 37: 9. ubi mirandum te, cum hoc reprehenderes, non magis idcirco tragice in Pſaltem eſſe invectum quam in Auguſtinum: quem ubi ſerio odioſum uno in loco effigiare conatus es, alibi in ridiculum conaris convertere artibus illis tuis veritati & charitati contrariis: nempe, 1. multa ei imponendo,

ut

ut jam aliquoties viſum. 2. irriſionibus perpetuis; de quibus mox. 3. de minutiis altercando, cum præcipua & ſolida prætermittuntur. 4. mox ipſi, mox ejus ſcriptis & ſententiis, quin & Syſtemati ejus Religionis Chriſtianæ, mox *Platonicismi* titulum aſſuendo, mox myſticum, ſive qui *continuo in nubes aberret*, proclamando, aut allegoricum, cujus *allegorias*, quia rerum ſpiritualium amor caſtratos ad divina animos non afficit, ideo *frigidas* dicis. Deinde miraris Pelagianos anteceſſores artibus iſtis non *veniſſe illum in ridiculum*: nempe, *non erant magni Critici*, tu vero magnus Criticus pro illis jam rem conficies: eſt enim ars illa mimica admirabile talentum tuum, quo hactenus omnes & ſoles excipere, & exhibere deridendos conſueviſti.

Sentimens ubi ſupra pag. 357.

ib. p. 359.

Et Auguſtinum quidem nullo negotio ita tractaveris, ſi præterieris ſilentio ſcriptorum ejus ſcopum & ſubſtantiam nil aliud ſpirare quam honorem Chriſti, pietatem, timorem Domini, pœnitentiam, Dei amorem, humilitatem, ſanctitatem, diviniorefque omnes virtutes; colligas autem hinc inde minuſcula quædam accidentaria, de quibus is, te (*a*) citante, fatetur, *in illis ſalva fide qua Chriſtiani ſumus, aut ignorari quod verum ſit, & ſententiam definitivam ſuſpendi; aut aliter quam eſt, humana & infirma ſuſpicione conjici*: quod multum abeſt ab arrogantia, qua dicis eum iſta *velut oracula proferre.* Interim propter illas minutulas erratiunculas, e quibus nihilominus bonos reverentiæ & pietatis erga Deum hominefque motus excitare cogitat, quia tamen

(*a*) Sentimens p. 44.

men illæ cum moroſæ critices tuæ vana atque futili de corticibus exactitudine non concordabunt, ideo illum ludibrio eorum, quos ad virtutes divinas movet, geſties exponere, ſimili omnino pietate, acſi in familia numeroſa ex præcipuis liberis nonnullus aliis præfectus, relictum a Patre ad ſtabiliendam firmandamque obedientiam & reverentiam in Patrem, fraternamque inter ſeſe concordiam, librum fratribus prælegeret ea mente, & eis modis, ut inde Patris amantes, reverentes, morigeri, unanimes fierent; ſurgeret vero ex illis protervus quidam irriſor, qui ſuſque deque habita ſincera & laudabili illius mente, diſcurſuumque ſubſtantia & ſcopo, eum ludibrio fratrum, quantum in ſe eſſet, exponeret, ob dicta quædam exilia, critice minus exacta; eumque, quamvis illa ipſa nullius periculi erratula ad voluntatis paternæ amorem & exſecutionem reduceret, pro peſſimo tamen Paternæ voluntatis librique interprete traduceret: quod de Auguſtino eadem revera mentis æquitate feciſti. Ingens vero malum; ex occaſione omnium rerum, etiam critice minus exactarum, occaſionem ſumere bonas cogitationes & pios motus excitandi, hominesque ad frugem virtuteſque reducendi! Quem non pudeat iſtius inſultorie carpendi rationis? Sit aliquid in diſcurſus materia minus quoad circumſtantias exactum & conveniens, quid tum poſtea? Animi ſinceritas, ſcopique ſanctitas, & bona loquentis voluntas, omnia in aurum amoris Dei & proximi convertunt: poſſemque oſtendere quoſvis ſanctiſ-

ſanctiſſimos, etiam e ſacris Auctoribus, etiam Deum ipſum, ejuſmodi materialiter minus accurata admiſiſſe, & eis uſos eſſe ad homines in ſanctum ordinem reducendos. Si cujus eſſet ſcopus, laudeculas in exactitudine critica venari ex recenſione multarum vaniſſimarum quiſquiliarum (qualibus Bibliotheca tua ſuperbit) quibus lectorum prurientem curioſitatem perfricare vellet, & tamen ibi hallucinationes deprehenderentur; aut ſi etiam iſtiuſmodi nugæ orbi veluti *obſervationes*, aut *quæſtiones ſacræ* plenis libris ad vanum hunc ſcopum proponerentur, tunc forte ibi, maxime ob vanitatem gloriolæ ſic quæſitæ, ridendi poſſet quæri materia. At longe notiſſimum eſt Auguſtini ſcopum non eſſe ex curioſis quæſtiunculis captare laudes, a quibus humillimus ejus animus plane abhorrebat: neque excitare aut titillare hominum inanem cupiditatem critica accuratione; ſed unius Dei gloriam tantum & amorem eum intendiſſe, excitando in animis hominum ex quavis occaſione motus ſanctos, quibus ad Deum laudandum, venerandum, amandum elevarentur, & ad ſe ipſos humiliandos deprimerentur. Atque adeo in ſcribendo, vel ad populum verba faciendo, conſtat ejus ſcopum non fuiſſe auditoribus lectoribuſve ſuis explicare Scripturas criticè, dictionario modo; neque etiam ſimpliciter hiſtorico & externo, ut eos inde redderet criticos aut hiſtoricos; ſed potius eo, qui eſt Scripturarum principium, ſcopus & materia, qui eſt amor Dei & proximi, qui veros Chriſtianos efficiat & con-

ſervet.

ſervet. Quod exſequitur Vir ſanctus poſſeſſione principii, ſcopi, materiæ, Spirituque Scripturarum bono inſtructus, hoc eſt, Spiritu (quo pollebat) precum, amoris divini, pœnitentiæ magnæ, charitatis ardentis, humilitatiſque incomparabilis, quæ clavis atque diſpoſitiones ſunt quibus Pater ſuis aperit Scripturarum ſenſa & arcana: Tu tamen non veseris eum ut ridiculum, ut ineptum, ut peſſimum Scripturarum interpretem traducere, quique *nullis ad interpretandum mediis requiſitis inſtructus* ſit, idque ais ad operum ejus aperturam fere quamvis conſtare. Ego vero quovis pignore certavero, etſi forte interpretationibus illius quibuſdam aliquid critice & acceſſorie minus accuratum inſit, non deeſſe tamen vel uni e millibus ſubſtantialem Scripturarum ſenſum & ſcopum; inter tuas vero ne quidem unicam eſſe in qua mens Dei ſenſuſque Scripturarum ſalutaris inveniatur; quin potius iildem (etſi aliquid cortici & accidenti Scripturarum externe conveniens potueris grammatice proferre) mentem Dei penitus deleri atque impugnari. Quod qua ratione fiat, facile judicabit quiſquis ea quæ de interpretationis & criticesmateria in libris ſuperioribus, nec non in (a) Oeconomia dixi, vel obiter voluerit expendere.

(a) Oecon. du Retabliſſ. chap. XIV.

Quam legitime judicandi viam ſi ſemel inierint cordati lectores, condiſcantque hoc modo ſolidam veritatem a fucata dignoſcere falſitate, tunc de irriſoria Critica actum eſt, nec poterit non recidere irriſio in irridentium capita, præſertim quando animadvertetur,

(quod

(quod a pluribus jam factum eſt) nil indecentius atque turpius a recentioribus quibuſdam vixdum barbatis & aliunde ſatis male ſuſpectis fieri poſſe quam ſi nulla pudoris conſcientia publice vel coram juvenili laſcivia propudioſe exagitent & ludibrio exponant ſenio, meritis, ſanctitate, gratiæ donis, auctoritateque non contemnenda conſpicuos; qui dum viverent, perſpicaciſſimis quibuſque & ſanctiſſimis, eos praxi & uſu noſcentibus, fuerant commendabiles; tum & univerſæ poſteritati a multis retro ſeculis quam maxime venerabiles; quique humili mente, ſanctum Dei amorem ſincere ſpirante & intendente, divinas ſic tractabant Scripturas, ut inde Dei Opt. Max. laus & gloria hominumque ſanctimonia creſcerent & promoverentur. Tales quippe nec objectum ſunt neque materia irriſionis, quæ non tantum erga ejuſmodi venerandas animas deteſtanda eſt, ſed & quæ per ſe ſola, maxime ubi in conſuetudinem abiit, peſſimi animi nota & character eſſe ſolet. Procedit namque habitualis irriſio ab impietate, ſuperbia, invidia, odio, vindicta, crudelitate, malitia & hypocriſi, quæ animæ diſpoſitiones coram Deo ſunt omnium maxime abominabiles. *Impietas* patet, quando irriſor ob nullius utilitatis nugas non dubitat in ludibrium vertere eos & ea quæ infucato corde ad laudum amoriſque Dei, nec non ad pietatis motus excitandos dicta ſunt & faciunt. *Superbia* irriſionis mater eſt, quando animus philautia captus, & eorum quæ poſſidet admirator, cætera aliorum omnia contemtim deſpicatui habet;

habet; & vero invidioſe timens aut videns ſuis præferri aliena, id eorum irriſione impedire conatur, parum conſiderans, ridiculæ eſſe apud omnes ſuperbiæ & *invidiæ*, ſeſe ob caſſas nullius utilitatis ſolidæ futilitates grammaticas, criticas, hiſtoricas, præ aliis quibus ſolida ſæpe & ſancta inſunt, magni facere & admirari, eoſque propter hæc propudioſo inſultationis modo infra ſe dejicere: quo ipſo oſtendit quoque irriſor animam ſuam non dilectione proximis debita, ſed *odio* erga eos animari, de quibus ut *vindictam* ſumat, non tantum curat ut ſalſis ſuis dicteriis, tanquam aculeatis ſagittis, corda eorum quos impetit amarè vulnerentur, ipſique ſentiant ſe ab irriſore contemni & pro ſtultis reputari, ſed & ut *crudelius*, & majore cum læſorum dolore id efficiat, eos modos adhibet, quibus læſi videant amorem erga ſe & exiſtimationem in aliis quoque extingui, non tantum ſine commiſeratione, (quam alioqui omnibus jacturam facientibus non denegat ullus) ſed & cum gaudio lætiſque cachinnis. Quis autem eſt qui non malit a declarato hoſte aperto campo impugnari, quam tecto hoc modo proditoriæ pacis & tranquillitatis ſpecie pungi & confodi? priori enim modo, ſe non plane pro nihilo contemni videt, & æqua datur omnibus conſentientibus ſeſe defendendi cauſa: poſteriori verò ſentit duntaxat ſui contemtum, & fere abſurdus aliis apparet ſi inde commotùs de injuria facta conqueratur, aut de defenſione cogitet. Quod lædendi genus, telum eſſe inter omnia amariſſimum, ſciunt ipſi

ipſi qui eo utuntur. Unde eorum *malitia* non parva ea in re ſe prodit, quando præſertim irriſor abſurda, quorum ipſe artifex eſt, de ſuo comminiſcens, dexteritate ſua effectum iri conſiderat ut non ipſe, ſed alii quibus ea affricat, quique eo nomine ſalſe irridebuntur, eorum auctores habeantur; idque artificium ſuum in ſe cum maligno gaudio intuetur & miratur: Ubi interim anima ejus juſtitiæ, moderationis & honeſtatis *hypocriticam* larvam & *titulum* coram hominibus ſervat & obtinet, quando non craſſis affectuum motibus, non incompoſitis verborum modis; ſed delicata & circumſpecta ſermonis aculeati dexteritate, ſpeciem encomii interdum, vel apologiæ pro inimico, aut ſaltem hiſtoricæ narrationis æmulante, nec non mente frigida, venenata ſua dicteria diſpenſat. Et ſe tunc quidem, ut Phariſæi olim, gaudet ab hominibus pro honeſto, modeſto, paſſionumque juſto moderatore haberi; ſpernitque & irridet eos qui zelo vel affectu conciti, iratos motus aut convicia apertiora (quorum ipſemet cauſa eſt) proferunt: ut coram Deo vitiis impietatis, ſuperbiæ, odii, vindictæ, crudelitatis, malitiæ & hypocriſeos ſcatens, quibuſvis apertis & craſſis peccatoribus abominabilior & inferior habetur & poſtponitur. Quæ omnia, Domine, ſi necdum in te ſint dudum radicata, aut ea non videas, rogo Deum ut tibi ita vivide horrida, uti ſunt, agnoſcenda imprimat, ut inde vel revoceris vel præpediaris ab eo præcipitio, in quod te cæteroquin procliviorem eſſe teſtantur omnia fere

re

re ſcripta tua, præſertim quæ in alios exaraſti, aut in quibus de iis loqueris qui tecum non ſentiunt. Sunt enim cuncta illa tua ſcripta tectis irriſionibus ſic referta, ut, dum qui inter lectores tuos minus emunctæ ſunt naris nil ſubeſſe putant, cæteri ſagaciores inde ſentiant in ſe excitari, quæ in nobis omnibus a corruptione naturæ intus latent malignitatis illius irriſoriæ adverſus quoſvis principia, ita ut & vix poſſint abſtinere quin naſo ſuſpendant adunco tum & ipſos irriſos, tum & lectores omnes qui maligna iſta ſpicula pro ſimplicitate ſua non animadvertunt. Equidem interdum ſalibus & jocis innocuis uti in eis quæ vel parvi vel nullius ſunt momenti, aut etiam quæ vana vel mala non magna ſunt, nil prohibet, quando id charitatem in cordibus proximorum non lædit nec diminuit, aut cum male agentes, aliquo pudore incuſſo, a malis ſuis ſic revocari poſſunt: quin læta veritas lætioribus interdum temperamentis ad hoc non invita utitur. Etiam proborum hac in re lapſus unus aut alter ex infirmitate excuſari poteſt. At id in rebus & de rebus divinis, id erga ſinceras mentes ut a cæteris infamentur, id habitualiter exercere, tametſi torvus irriſori & pallidus renidet in fronte Saturnus, Chriſtiani nullius neque viri probi character eſſe debet. Honeſti clariſſimique viri (a) qui Critices tuæ prætenſam accurationem veramque de divinis temeritatem, *guſtum ſubtilem* criticum, rationes criticas, riſui & commiſerationi expoſuerunt, quique (uti nuperrime celeberrimus (a) Theo-

(a) Abbad. Verit. de la Rel. Chr. I. P. ch. 9. Du Pin Bibl. Eccl. P. I. Diſſ. præl. p. 38.

(*a*) Theologus Ultrajectinus,) dum & Criticam tuam & ſcripta opinionibus, (*b*) *Arrianiſmo*, *Pelagianiſmo*, *Libertiniſmoque* faventibus paſſim contaminata declarabant, ob interſperſas abſurditates riſerunt aliquoties, obiter tantum id, plerique etiam prius a te provocati, fecerunt. Unus P. Simon perpetuos quos de eo prior feciſti publice ludos, eadem menſura redditurus, te arte illa, ſed apertius & vehementius, ſic exercuit, ut campum ei deinceps debueris relinquere. An multos habiturus ſit imitatores neſcio. De irriſione res ſe habet veluti de homicidio aut de alia injuria: eam in aliquem inceptare nemini licet; licita tamen videtur ejus in auctorem retorſio, modo nimia vindicta, cæteraque recenſita vitia, non ſubrepant cum illa, quod in hac naturæ noſtræ corruptione evitare difficillimum eſt, ne dicam, impoſſibile.

(*a*) *Vid.* Claiiſſ. dn. Witſij Miſcellanea Sacra, Cap. XIV. XVIII. XXII.

(*b*) ibid. pag. 345.

§. 9.

Plura eſſe in ejus ſcriptis & propoſitis irridenda & carpenda, quam quæ in aliis carpſit & irriſit: ſed optandum alia methodo, & Chriſtianis digna errores dedoceri.

Quapropter ſi qui eorum quos his modis pupugiſti, vel quibus diſplicet Sanctos a te deridiculo publice exponi, in te etiam calamum dirigant, ſive ut tela tua retorqueant, ſive

ſive ut propria tua tibi oſtendant abſurda, non crediderim eorum quenquam artis iſtius illaudatæ methodum electurum, etſi non deſit forte in tuis ſcriptis magna carpendi & irridendi materia: non ſolum quia multis aliunde imitatis infinitis minutiis, rebuſque vanis & indifferentibus, in quibus joci innocentius exerceri poſſunt, ſuperabundant; ſed etiam quod non deſit in illis inter multas hallucinationes ridiculum illud errati genus quod *contradictionem* appellant. Ego ſane, plurima ne in particularium materiarum numeroſitate tangam, cum ſemel oculo currente propoſita tua quædam intuerer, tria aut quatuor præcipua eſſe animadverti quibus ineſt contradictio. Primum, cui alia ſubordinantur, eſt Pelagianiſmum & Socinianiſmum cum Chriſtianiſmo conciliare. Alterum, Metaphyſicam limitare & reſtrænare. Tertium, Auguſtinum cum Patribus in ridiculum vertere. Quartum, Criticam & humaniora ſtudia velut nobis valde digna, & ad res ſacras tantum non neceſſaria, commendare. Per primum vis indifferens eſſe Chriſtiano ad ſalutem, utrum habeat objectum aliquod, puta Filium Dei & Spiritum ſanctum, pro ſummo fidei, ſpei, & ſalutis ſuæ fundamento, dilectioniſque & adorationis ſummæ objecto; an vero id objectum habeat pro creatura, ſidei, ſpei ſalutiſque non-fundamento, nec dilectionis adorationiſque ſummæ objecto. Præterea indifferens eſſe Chriſtiano, aut vero vivoque corporis Chriſti membro, utrum de Spiritu capitis & corporis, ejuſque vita. motibus,

tibus, operationibuſque internis in ſe participet, an verò eo Spiritu ejuſque internis operationibus in ſe (quod hodierni Pelagiani volunt) careat, nec eis opus habeat? Hoc eſt, indifferens eſſe membro vivo, a capite & Spiritu corporis animari, aut eis carere? Indifferens eſſe vivo principia vitæ habere vel non habere, atque adeo vivere vel mortuum eſſe. Quæ manifeſte contradictoria ſunt. In altero, quo vis Metaphyſicam non tollere ſed reformare, inter multa & obſcura & perturbata, ubi revera ſine lumine huc illuc a te oberratur, nec non cognitiones fidei, Metaphyſices, ſenſuumque inter ſe confunduntur, ais: (a) *Metaphyſices dodrantem tolli poſſe..... ſi cognitiones Metaphyſicæ limitentur ad ea quibus ad ſperatam felicitatem perduci poſſumus.* item (b) *Deum menſuram cognitionum noſtrarum metaphyſicarum menſuraſſe prout illis opus habemus* ad ſalutem ſive *ad finem propter quem nos creavit.* Atqui omnes conſentiunt, nec tu diffiteberis, cognitiones Metaphyſicas, qua Metaphyſicæ ſunt, non eſſe ad ſalutem neceſſarias: Quid enim de vulgo tunc fieret? Ais paulo poſt (c) *quicquid neceſſarium eſt, id ita clarum eſſe, ut omnes homines id ſciant: atque adeo metaphyſicos quando nos hac de re voluerunt aliquid docere, nil novi nos docuiſſe, aut ſaltem quod ſit eſſentiale.* Ubi per priora vis concedere Metaphyſicam, per hæc ultima vero eam tollis totam. Quæ iterum ſibi contradicunt. In tertio non minus etiam tibi contradicis. Agnoſcis alicubi (d) *Scriptores ſacros ſtyli*

(a) Entret. p. 233.

(b) Ib. 227.

(c) Entret. p. 240.

(d) Sentim. p. 15 & 16.

ſtyli adeo incurioſos fuiſſe, ut quovis momento inveniantur in eorum ſcriptis obſcuritates quæ omnibus grammatices regulis nequeant diſſolvi..... grammaticam, criticamque nil facere niſi propoſitum ſciatur Auctoris. Doces (a) & ſine eis ſimpliciores, bona fide intellectu utentes, omne id quod ad ſalutem neceſſarium eſt, quodque fide in Deum, & obedientia erga ejus mandata abſolvitur, e Scripturis percipere poſſe. Auguſtinus autem procul dubio erit tibi ſaltem vel e ſimplicioribus qui etiam hoc eſſentiale & neceſſarium ex Scriptura poſſint recte capere. Scis vero ejus ſcopum eſſe populo inſtruendo, cui præficiebatur, nec non iis quibus ſcribebat, interpretari Scripturas quatenus illi inde in eſſentialibus & neceſſariis, in fide erga Deum, mandatorumque ejus obſervantia recte formandi, aut fovendi & nutriendi erant; non vero ut docti critici fierent: & tamen contra eum, Sanctoſque Patres ſimiles, ſæpiſſime clamas, quaſi pro ſuſcepti muneris ſui ratione, peſſimi ineptiſſimique eſſent Scripturarum interpretes, ob imperitiam ſcilicet rei grammaticæ & criticæ, quarum minutiarum inobſervantiam, ipſis tamen Scriptoribus ſacris, te teſte, tritiſſimam, Auguſtino aliiſque Patribus rationis loco exprobras; tametſi illi inſuper Spiritus divini illuminationem, qua Scriptoris ſacri propoſitum & mens ſciri poſſunt, neceſſariam eſſe, & ſibi interdum contigiſſe præ te, agnoſcant. Quæ nemo non videt contradictionibus abundare: haud ſecus ac quando, quarto, commendas neſcio

(a) Ibid. p. 40 & ſeq.

cio quot humanas & profanas artes & literas & lectiones & criſes & hiſtorias, vanaque alia ſtudia ſexcenta, quibus & ſerio & totus occupetur animus, tametſi id contradicat tum naturæ illi noſtræ, qua ad æterna, non autem ad evanida iſtiuſmodi nugamenta facti ſumus; tum experientiæ, qua videmus eos qui bullis iſtis tument & tenuiculo Criticæ ſupellectilis apparatu abundè ſunt inſtructi, a veritatis ſolidæ ſanctitatiſque veræ fonte uno, Spiritu Dei Sancto, ejuſque poſſeſſione vel ſpe & deſiderio, cæteris eſſe remotiores; contradicatque ſemel, & recte, iſtis næniis ipſe Liberius de Sancto Amore in Epiſtolis ſuis Theologicis, inquiens (a) *Imperfectio eſt ea ſcire quæ inutilia ſunt; & tempus ponere in iis ſcientiis diſcendis quæ nos nec ſanctiores nec beatiores reddunt.* O quam multi hac lege pro ſcopo habent, ut ſtudeant fieri quotidiè imperfectiores, idque aliis etiam miſerè commendent! Non jam pluribus oſtendam quam contradictorie cum Scripturis agatur quando hæ ex ejuſmodi artibus cenſentur exponendæ: dicam tamen, tuto aſſeverari poſſe, Bibliorum Sacrorum interpretatio aut explicatio ſiqua exſpectanda eſſet ab homine critico ſimili apparatu atque methodo tecum inſtructo, nos pro Scripturis divinis ejuſmodi cadaver literale habituros, quod non tantum careret Spiritu, ſed & ei adverſaretur, & eum in nobis impugnaret, noſque letali afficeret contagio & indolentia. Indolentia quidem, ſi (quod ſanguineis lacrymis deplorandum eſſet) quæcunque immenſa Dei

(a) Lib. p. 125.

charitas excogitavit ad homines ultimorum, noſtrorumque adeo, temporum a mortali veterno excitandos, per prædictiones quæ de tremendis Dei judiciis, de plagis, cladibus, flagellis excidioque hominum univerſali & horrendo paſſim in Scriptis propheticis exſtant, quæque unica ſuperſunt motiva quibus mentes ad æternitatis deſideria nunc prorſus mortuæ excitari poſſint, infelix Critica aboleat juxta cum admirabilibus divinorum donorum promiſſis, quæ omnia jam dudum pariter præterita, nuncque adeo nulla eſſe, inculcet, ne timoris ſpeique motibus mentes ad frugem & reſipiſcentiam evigilent: Contagione vero, cum quæcunque in Scripturis conſideranda eſſent ut typi rerum potiorum, atque adeo ultra cortices ad Spiritualem animarum ſtatum internaſque Dei in illis operationes trahenda, modis ita brute, ita carnaliter, ita pulverulenter literalibus & criticis ſolùm venirent interpretanda, ut omnis divinus veruſque inde rejiciendus eſſet ſcopus & ſenſus: Sic ut Scripturis veroque eorum Interpretis officio non poſſit contradici periculoſius, quam iſtiusmodi earum translationibus aut commentariis, quorum errores effectuſque malos ut in omnium mentibus velit reddere irritos, imo & eos affuſis gratiæ ſuæ divinæ donis prævertere Deus Opt. Max. ſeriò rogandus eſt.

Hæc & ſimilia ſphalmata, nec non & quæcunque alia unuſquiſque committere poteſt, melius amica & placida mente oſtenduntur & dedocentur, quam illuſoria & in-

inimica. Optimè autem omnium, omnia errata atque mala quivis apud ſe ipſum diſcere poterit, ſi modo vel aliorum monitis, vel propriæ conſcientiæ inſtinctu, ad interiora ſua ſe recipiat, illicque imploret animarum, intelligentiæ, luciſque veræ fontem unum, benedictum Dei adorandi Spiritum, cujus lumina, dona, gratiarum effuſio, operationes millies ſanctis Dei verbis promiſſæ ſunt, pro illis maxime temporibus, quibus abundabunt aliunde tenebræ, iniquitates, errores, impietas, quæ tempora & ultima, & noſtra eſſe, vel ſaltem tam propinqua ut nil propinquius, dubitari non poteſt. Cavendum ſolum ne ex numero eorum ſimus, vel ab eis ſeduci nos patiamur, quos Apoſtolus cautelæ gratia præſignificavit, quando dixit, (a) *Venient in noviſſimis diebus in deceptione illuſores, juxta proprias concupiſcentias ambulantes, & dicentes ubi eſt promiſſio aut adventus ejus?* Juxta proprias concupiſcentias ambulant, quotquot nolunt quicquam de divinis myſteriis rebusque admittere, credere, ſperare, niſi id quod eorum intellectui, palato corrupto, captuque naturali arridet & ſapit: illuſores ſunt promiſſionum Domini, qui Spiritus ejus Sancti præſentiam, gratiam, operationes vitales & intimas, donaque illuminationum & virtutum omnigena, ex incredulitate irrident exſpectanda, etſi ſanctiſſimè ore omnipotentis & falſi neſcii Dei promiſſa ſint; illuſores ſunt adventus Domini, qui non exſpectant venturum eum qui doceat,

(a) 2. Petr. 3. 3.

ceat, renovet, regatque omnia per effuſio
nem Spiritus ſui in omnem carnem effunder
di; cœloſque novos & novam terram, i
quibus habitet juſtitia, formaturi: quanc
tunc cum rerum omnium corruptione vete
deriſores ipſos vindice igne exterminatur
(a) Pſ. 105.106. eſt. Et tunc (a) *memento noſtri, Domine, in ben*
placito populi tui: viſita nos in ſalutari tu
ad videndum bona electorum tuorum, ad l
tandum in lætitia gentis tuæ, & laudandu
te cum hereditate tua. Vivificet Dominus an
mas noſtras in ſpe gratiæ & ſalutis ſuæ, de
que ut divini luminis ſui auxilio interiora n
(b) Heb. 3. ſtra excutiamus ſerio, (b) *ne forte ſit in a*
quo noſtrûm cor malum incredulitatis, diſc
dendi a Deo vivo, & ut non obduretur quis
nobis fallacia peccati, ſimuſque ex illis q
increduli fuerunt, & non potuerunt introire
requiem illius propter incredulitatem. Hoc
nobis omnibus tibique ſpeciatim, Domin
indulgeat Deus, ex ſincero animi fun
Eum adoro, nec non ut efficiat, ut quæcu
que hactenus dixi, tibi non aliò dicta v
deantur quam ad ſolidum bonum tuum; n
aliud in te efficiant, quam ut obſtacula r
moveantur, quibus impeditur inter om
divinæ veritatis, gratiæ, gloriæque co
municatio & permeatio, quo illis remoti
(c) 1. Pet. 2. & (c) *depoſita omni malitia, & omni dolo*
que ſimulatione, cum livore & rixis, futi
buſque omnibus noſtris ſtudiis & partib
humanis, *ſicut infantes modo geniti deſide*
mus lac illud ſapientiæ divinæ *intellectu*
& humanis mixturis *non fraudatum, ut in*
creſ.

creſcamus, *guſtantes*, *quam benignus* & liberalis *ſit Dominus*, *ad quem accedentes tanquam ad lapidem vivum* & fundamentum Sapientiæ & Eruditionis noſtræ veræ, *Deo*, *etſi ab hominibus rejectum*, *electum tamen & pretioſum*, *Ei ut lapides vivi* divina politi atque eruditi manu, *ſuperædificemur ut domus ſpiritualis*, in qua habitet æternum adorandus Patris Chriſtique Spiritus. Hoc ubi tibi mecum pluribusque aliis acciderit, agemus gratiàs Omnipotenti animarum Eruditori & Reſtauratori, cujus in am[illegible] dein lætabimur perpetuo: neque porro amplius de divinis alia, ſpero, teſtimonia laturus es, quam quæ cum veritate, æquitate & charitate concordaverint. Sin minus (quod abſit) iſtis te conformare recuſaveris, & ſimili, qua prius, procedere malis methodo; faxim & ego ut ſecundum Methodi meæ procedam regulas, quarum una eſt, ut mihi proponam aliorum, maxime eorum qui ſecum & cum cœteris fallaciter, doloſe & minus ſincere agunt, non immutare animum; ſed potius eos neque curare, & ſibi ipſis totos permittere. Manebunt ergo illi per me agentque & loquentur aut ſcribent, quantum quidem voluerint in doloſo ſuo & illuſorio elemento, cujus ſi vel in Bibliothecæ continuatione vel alio quovis modo nova ſpecimina contra me iterum ediderint, ſufficiet pro omni reſponſione memoria loci annexi, juxta cujus tenorem cogitabit, ſi placet, quiſquis lector nolet decipi, eorum verbis fidem non facile adhibendam eſſe

quamdiu

quamdiu a mente in melius non immutata profiſcentur. Vale.

Sentimens ſur l'Hiſt. Critique du P. Simon. pag. 71.

En verité c'eſt une choſe tres fâcheuſe, qu'il faille ſi fort ſe defier des traducteurs, & des citations, & qu'il ſe trouve ſi peu de foy dans la Republique des lettres, qu'il faille traiter les Auteurs comme on fait ceux que l'on a convaincu une fois de parjure, à moins qu'on ne veuille s'expoſer à être trompé à tous momens. Il les faut examiner rigoureuſement, & conferer inceſſament les originaux avec leurs traductions & leurs Extraits, ſi l'on ne veut tomber dans l'erreur ſur la foy de ces Meſſieurs. Vous avez oüi parler ſans doute d'un fameux Chicaneur, nommé Oüir-dire, *qui tenoit Ecole de Temoignerie, d'où ſont ſortis un ſi grand nombre de faux temoins. Mais, Monſieur, ces gens-là n'y entendoient rien en comparaiſon d'une infinité d'Autheurs qui diſent à tous momens, qu'un tel, ou qu'un tel a dit des choſes à quoi il n'a jamais penſé, en faiſant des proteſtations ſolemnelles qu'ils ne diſent que la verité toute pure.*

FINIS.

AΦ1 1453947

Digitized by Google